


THEOLOGIA DOGMATICO-SPECULATIVA

IN

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

TRADITA

A

P. JOSEPHO MONSCHEIN S. J.

SS. THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM DOCTORE p. t. UNIVERSITATIS DILINGANÆ CANCELLARIO.



TRACTATUS IV.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, MAXIME DE FIDE.



CUM FACULTATE SUPERIORUM.



AUGUSTÆ VINDEL. & FRIBURGI BRISGOIÆ

Impensis FRATRUM IGNAT. & ANT. WAGNER, Bibliopolarum, anno 1766.

REVERENDISSIMO
AC
SERENISSIMO DOMINO
DOMINO
JOSEPHO
S. R. I. PRINCIPI,
EPISCOPO AUGUSTANO,
LANDGRAVIO HASSIÆ
A DARMSTADT,
PRINCIPI HIRSCHFELDENSI,
COMITI
CATIMELIBOGI, DIEZ, ZIEGENHEIMB,
NIDDA, SCHAUMBURG, ISENBURG,
ET BIDINGEN,
ABBATI INFULATO
S. HELENÆ DE FÖLDWAR IN HUNGARIA,
EQUITI S. HUBERTI &c. &c.

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO



INDEX

MATERIARUM,

In hoc opuſculo contentarum, ex quibus illæ, quæ ſtellula notatæ ſunt, ex præſcripto diſcutiuntur, reliquæ brevius exponuntur.

PARS I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS IN GENERE.

PARS II.

DE FIDE THEOLOGICA.

DISPUTATIO I.

De objecto materiali fidei.

DISPUTATIO II.

De vera Religione.

DISPUTATIO III.

De Notis veræ Eccleſiæ.

DISPUTATIO IV.

De ſacra Scriptura.

DISPUTATIO V.

De regula externa Fidei.

Et

DISPUTATIO VI.

De sacris conciliis.

An

DISPUTATIO VII.

De summo Pontifice.

DISPUTATIO VIII.

De objecto formali fidei, & actibus ad illam præ-requisitis.

DISPUTATIO IX.

De ultima reſolutione fidei.

DISPU-

DISPUTATIO X.

De proprietatibus actus fidei divinæ.

PARS III.

De Spe, & Charitate theologica.





TRACTATUS IV.

De Virtutibus Theologicis, maxime de Fide.

QUemadmodum gratia divina in ordine supernaturali est quasi natura: ita præcipue ejus proprietates sunt habitus virtutum, vi quarum actus præmii supernaturalis meritorios elicere possumus. Quoniam vero de singulis speciatim tractare annui cursus angustiæ non permittunt, tres solum virtutes theologicæ, nempe Fides, Spes, & Charitas enucleatius explicari solent, per quas maxime ad finem nostrum disponimur, & cum Deo conjungimur; Fides enim Deum immediate respicit tanquam primam veritatem, Spes tanquam nostram felicitatem, Charitas tanquam summum bonum, propter se ipsum super omnia amandum. Itaque præsentis tractatus prima ac brevissima pars aget de Virtutibus Theologicis in genere, altera eaque longissima de Fide, tertia de Spe, & Charitate.

PARS I.

De Virtutibus Theologicis in genere.

1 NOmen virtutis varie accipitur, 1mo pro quacunque rei perfectione præſertim operativa; ſic in oculo dicitur dari virtus viſiva, in igne virtus uſtiva, & Judith. 4 v. 13: *Amalec confidentem in virtute ſua dejecit.* 2do pro effectu, & ipſa operatione virtutis, ſive naturali, ut Joel. 2 v. 22, *Ficus, & vinea dederunt virtutem ſuam*, id eſt, fructum ſuum: ſive ſupernaturali: *Nonne in nomine tuo multas virtutes fecimus*, Matth. 7 v 22. ubi miracula virtutes vocantur. 3tio nos per virtutem hic intelligimus habitum, quo creatura rationalis redditur expedita ad bene operandum, quæ operatio ſicut vel ab intellectu, vel a voluntate provenire poteſt, ita virtutes aliæ dicuntur intellectuales, quia intellectum diſponunt ad cognitionem veri, aliæ morales, quia voluntatem dirigunt ad proſecutionem boni.

2 Virtus tam moralis, quam intellectualis dividitur 1mo in acquiſitam, & infuſam. Prior eſt, quæ ſolis naturæ viribus per actus frequentatos comparatur: poſterior absque prævio exercitio a Deo homini infunditur. Quod ſi per ſolas naturæ vires, & propriam induſtriam ſaltem acquiri potuiſſet, dicitur infuſa per accidens, ſecus infuſa per ſe. Porro habitus per ſe infuſi dant ſimpliciter poſſe, in quantum ad ſuos actus ita concurrunt, ut ſine ipſis juxta providentiam ordinariam, & ſine ſpeciali applicatione omnipotentiæ divinæ ſimpliciter non poſſunt elici, quamvis etiam cum ipſis propterea non eliciantur facile. E contrario habitus acquiſiti, & per accidens infuſi dant

facile posse; nam licet sine ipsis actus simpliciter possent poni, tribuunt tamen aliquam facilitatem eos ponendi.

Dividitur 2do in naturalem, & supernaturalem. Virtus naturalis est, quæ non excedit exigentiam totius naturæ, neque intrinsece, & efficaciter ad finem supernaturalem ordinatur, ut virtutes naturales gentilium, & hæreticorum, quæ ex defectu principii supernaturalis ad beatitudinem supernaturalem nihil conducunt. Ut igitur virtus proprie ac theologice supernaturalis sit, & vires totius naturæ debet excedere, & intrinsece ac efficaciter ad finem supernaturalem ordinari. Quod si postea homo cum tali virtute operetur, & frequentes actus eliciat, acquirit novum habitum, & majorem operandi facilitatem; hic tamen habitus acquisitus juxta Suarez, Vasquez, Viva &c. est tantum naturalis. 3

Dividitur 3tio in theologicam, & stricte moralem. Virtus stricte moralis, prout theologicæ opponitur, pro objecto suo formali, & materiali habet tantum honestatem quamdam creatam, licet etiam Deum possit respicere tanquam motivum formale quo. Sic religio erga Deum pro suo objecto immediato tantum habet honestatem, quæ in ipso actu religionis relucet, quamvis mediate etiam respiciat excellentiam Dei. At virtus theologica pro objecto formali, & materiali primario ita habet ipsum Deum, ut immediate quamdam perfectionem divinam affirmando, vel amando attingat; sic per actum fidei affirmatur summa Dei veritas, per spem amatur Deus tanquam nostra beatitudo, per charitatem amatur propter se. Ratio a priori assignatæ differentiæ juxta S. Thomam 1 2 q. 68 a. 8 in corp. est, quia virtus theologica proprie dicitur ex eo, quod mentem humanam 4

Deo tanquam fini ultimo perfectissime conjungat, dum virtus moralis per se tantum tendit in media, quæ ad finem ultimum consequendum conducunt.

5 Ut ista melius intelligantur, noto 1, per objectum virtutis hic intelliguntur res illæ, in quas habitus per actus suos intentionales, id est, per assensum, vel dissensum, per amorem, vel odium tendit. 2. Objectum materiale est, quod attingitur propter aliud, formale, propter quod aliud attingitur. e. g. Si credo resurrectionem mortuorum, quia Deus illam revelavit, objectum materiale est resurrectio mortuorum, formale auctoritas Dei revelantis. Si Deo obedio, quia habet jus præcipiendi, objectum materiale est actus præceptus, formale jus Dei. 3. Objectum formale quod est, quod attingitur propter se, & propter quod etiam attingitur aliud; Objectum formale quo est, propter quod attingitur aliud, sed ipsum non attingitur, videlicet affirmando, aut amando. Sic in positis exemplis auctoritas Dei revelantis est objectum formale quod, quia hæc ipsa auctoritas primario affirmatur, & propter illam resurrectio mortuorum. At in actu obedientiæ jus præcipiendi non amatur; hinc tantum est objectum formale quo. Idem dic de reliquis virtutibus moralibus, per quas Deus formaliter nec amatur, nec odio habetur, sed ab ejus amore præscinditur.

QUÆSTIO I.

An, & quales dentur virtutes infusæ?

6 QUod in sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ cum gratia sanctificante infundantur virtutes theologicæ, de facto apud Catholicos adeo

certum eſt, ut Suarius & Lugo exiſtiment, hoc eſſe de fide; quippe Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 7 ſatis clare hoc enuntiat: *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo: fidem, ſpem, & charitatem.* Neque hæc intelligi poſſunt de virtute actuali; hæc enim in parvulis non datur, in adultis vero eſt diſpoſitio prævia ad juſtificationem requiſita. Ratio autem eſt, quia homo connaturalius conſtituitur proxime potens ad actus ſupernaturales per potentias intrinſecas permanentes, quam per ſola auxilia tranſeuntia; hinc iſtæ virtutes ſunt habitus per ſe infuſi, & proprietates gratiæ ſanctificantis, ſine qua connaturaliter non dantur, nec ſolis viribus naturæ obtineri poſſunt.

Porro in via tres tantum dantur virtutes theologicæ. De his loquitur Apoſtolus 1 ad Cor. 13 v. ult. dicens: *Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas: tria hæc, major autem horum eſt charitas.* Neque plures in decretis Pontificiis, Conciliis, aut Patribus exprimuntur. Rationem dare ſolent hoc modo: Deum per actus noſtros tanquam motivum formale quod attingimus ſub ratione veri, & boni: ergo datur virtus theologica intellectualis, quæ eſt fides, & cum Deus ſit bonum infinitum tam in ſe, quam erga nos, datur duplex virtus theologica ex parte voluntatis, ſcilicet charitas, & ſpes; has vero virtutes realiter diſtingui, & a ſe invicem ſeparari poſſe, inferius oſtendetur. Dixi, dari tantum tres virtutes theologicas in via, quia in patria fidei ſuccedit lumen gloriæ, quod etiam inter virtutes theologicas numeratur. 7

In juſtificatione etiam infundi virtutes morales docet longe communior contra Scotum, 8

& Durandum. Cum enim homo per gratiam sanctificantem elevetur ad statum supernaturalem, connaturaliter debet accipere potentias permanentes ad eliciendos actus huic statui consentaneos; tales autem non tantum sunt virtutes theologicæ, sed etiam morales. Hinc Clemens V in Concilio Viennensi, ut refertur in Clementina de summa Trinitate cap. 1 sententiam asserentem, tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam & virtutes, declaravit esse probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum theologiæ magis consonam, & concordem. Consentiunt SS. Patres nominatim Gregorius Homil. 5 in Ezech. Hieronymus, vel potius Paulinus epist. 5 ad Celantiam. Prosper contra collatorem cap. 38, ubi ait: *Charitas ex Deo est diffusa per Spiritum sanctum in cordibus nostris, hoc de fide, hoc de tolerantia passionum, hoc de pudicitia conjugali, hoc de continentia virginali, omnibusque virtutibus profitemur.*

9 Si hæc de virtutibus tantum per accidens infusis explicare velles; contra est, quia habitus per accidens infusi sunt entitative tantum naturales, nec sufficiunt ad eliciendos actus salutares, & intrinsece conducentes ad finem supernaturalem. Dein Clemens V & Patres eodem modo loquuntur de virtutibus theologicis & moralibus. Imo ipsa experientia testatur, per virtutes in baptismo infusas non acquiri illam inclinationem, & proclivitatem ad opus exercendum, quam habitus per accidens infusi afferre solent. Cæterum quamvis virtutes morales per se infusæ cum gratia sanctificante, & charitate defacto ita sint connexæ, ut sine illa nunquam dentur; de iisdem tamen tanquam rebus distinctis loquuntur Patres citati, quibus etiam consonat catechismus Tridentini de baptismo,

de

de eximiis baptiſmi fructibus, ubi ait: *Huic gratiæ autem additur nobiliſſimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur.* Quomodo autem ipſæ virtutes morales diſtinguantur inter ſe, ex nullo principio videtur ſatis poſſe determinari.

Quæres. Per quid actus virtutum fiant intrinſece ſupernaturales? Reſp. Cajetanus, Suarez, Vaſquez multique alii cenſent actum ſupernaturalem a naturali intrinſece differre per objectum formale motivum, ita ut actus ſupernaturalis e. g. fidei, quo credo præſentiam realem Chriſti in Evchariſtia, pro objecto formali habeat primam veritatem revelantem, ut ſubſtantem cognitioni ſupernaturali, actus autem naturalis primam veritatem revelantem, ut ſubſtantem cognitioni naturali. Verum quamvis actus naturalis & ſupernaturalis non tendant in idem objectum ſub eadem ratione, ex hoc nondum ſequitur, quod habeant diverſum objectum formale, ſed diſtingui debet ratio, quæ movet, a ratione, ſub qua movet. Ratio, quæ movet, in utroque actu eſt ſola prima veritas revelans: ratio, ſub qua movet, eſt cognoſcibilitas extrinſeca objecti, quæ licet reſpectu actus fidei ſupernaturalis debeat eſſe ſupernaturalis, non tamen movet, nec ſe tenet ex parte objecti, ſed ex parte cauſæ efficientis. Præterea probari nequit, quod actus ſupernaturalis virtutis moralis e. g. juſtitiæ neceſſario debeat procedere ab honeſtate ut conducente ad finem ſupernaturalem. 10

Unde cum Scoto, Lug. Ovied. judico excellentiam, qua actus ſupernaturalis intrinſece actum naturalem ſuperat, præcipue, ac ſæpe unice haberi a principio effectivo, ſeu a virtute ſupernaturali, quæ una cum potentia in ta- 11

lem actum influit. Nam 1mo actus non tantum specificantur a suo objecto formali, sed etiam a diversis principiis. Sic intrinsece differunt gaudium, & desiderium ejusdem rei, cognitio angelica, & humana, scientifica, & opinativa de eodem objecto: ergo etiam actus supernaturalis jam est essentialiter perfectior, & superioris ordinis quam actus naturalis, modo essentialiter profluat a conprincipio supernaturali; sic enim jam transcendit vires totius naturæ. 2. Actus supernaturalis & naturalis possunt tendere in idem objectum sub eodem motivo. e. g. Hæreticus negans Evcharistiam potest assensu naturali credere Trinitatem ex motivo primæ veritatis revelantis, ex quo motivo catholicus Trinitatem credit assensu supernaturali. Infidelis potest dependenter a cognitione naturali Deum amare propter se, ex quo motivo fidelis illum amat amore supernaturali, Qui restituit, quod debet, ob honestatem relucentem in adæquatione juris alieni, exercet actum supernaturalem justitiæ, si concurrat conprincipium supernaturale, secus vero tantum excercet actum naturalem &c.

QUÆSTIO II.

An charitas infusa amittatur per quodlibet peccatum mortale?

12 Jovinianus teste S. Hieronymo lib. 2 advers. ipsum docuit, justitiam, adeoque gratiam, & charitatem semel acceptam amitti nunquam posse. Idem de Pelagio refert S. Augustinus lib. de Hæres. hæres. 88, de Wicleffo Andreas Vega de Justificat. lib. 12. cap. 1, de Beguardis, & Beguinis Clementina ad Vestrum de hæreticis. Consentit Calvinus lib. 3 institut. cap. 2, Lu-

Lutherus vero charitatem cum gratia per solum peccatum infidelitatis destrui contendit. Porro quamvis habitus charitatis juxta multorum catholicorum sententiam realiter a gratia sanctificante distinguatur; juxta omnes tam arcte cum illa connectitur, ut saltem citra absolutam Dei potentiam ab eadem separari nequeat, sed speciali prorsus modo ad faciendum filium adoptivum, & amicum Dei concurrat; hinc sæpe in Scriptura munia gratiæ propria charitati tribuuntur. Imo justificatio saltem integraliter sumpta pro constitutivis charitatem, aliasque virtutes involvit, ut colligitur ex Tridentino juxta quod sess. 6 cap. 7 justificatio consistit: *In renovatione interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.*

Dicendum 1. Charitas infusa cum gratia 13
sanctificante amittitur per peccatum mortale. Prob. Homo post acceptam justificationem cum charitate potest iterum peccare, & gratiam sanctificantem amittere: ergo etiam potest amittere charitatem. Antecedens est de fide, & sæpius revelatum in Scriptura. Sic Ezechiel. 18 v. 26 clarissime dicitur: *Cum averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis.* In eadem referuntur exempla Adami, Davidis, Salomonis &c. qui fuerunt justi, postea graviter lapsi sunt. Idem tradunt SS. Patres Cyprianus lib. de lapsis. Ambrosius in exhortat. ad pœnitentiam, Gregor. lib. 30 moral. cap. 32, S. August. de corrept. & grat. cap. 13. Hinc Tridentinum sess. 6 can. 23 anathema dicit asserenti: *Hominem semel justificatum amplius peccare non posse, nec gratiam amittere.* Jam vero charitas saltem ex lege Dei est habitus gratiæ justificationis inseparabiliter annexus, ut consentiunt omnes Theologi, & indicat Scriptura Matth. 24 v. 12: *Quoniam abunda-*

undavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Ubi refrigescere idem est, ac extingui, quia mox subjungitur: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

14 Dicendum 2. Gratia sanctificans cum charitate amittitur per peccatum mortale quodlibet. Quippe Tridentinum sess. 6 can. 27 ita definit: *Si quis dixerit nullum esse peccatum mortale, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi, & enormi, præterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.* Probat autem suam definitionem ex epist. 1 ad Cor. Cap. 6, ubi dicitur: *Nec fornicatores, nec molles, nec adulteros, nec fures &c. regnum Dei possessuros.* Quod falsum esset, si justificatio amitteretur per solam infidelitatem. Nempe homo per quodlibet peccatum mortale dissolvit amicitiam cum Deo, avertit se a fine suo ultimo, & spiritualiter occidit animam: ergo gratia sanctificans, quæ est vita spiritualis animæ, forma denominans amicum Dei, & tribuens jus ad æternam beatitudinem per quodlibet peccatum mortale expellitur, consequenter etiam habitus charitatis cum gratia sanctificante connexus.

Objectiones.

15 OBj. 1. Charitas præservat hominem ab omni peccato saltem gravi: ergo per peccatum non potest amitti. Ant. Prob. Cant. 8 v. 7 dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* 1 ad Cor. 3 v. 8: *charitas nunquam excidit.* Joan. 4 v. 13: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Conf. ex illo Apostoli ad Rom. 8 v. 38: *Quia neque mors, neque vita &c. poterit nos separare a charitate Dei.* Resp. Dist.

 Ant.

Ant. si homo velit Deo constanter adhærere, & ejus gratiæ cooperari, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. & Conf. Textus Scripturæ solum probant, quod gratia justificans, & charitas infusa sit conjuncta cum talibus auxiliis actualibus, quibus si homo cooperari velit, omnes difficultates, & aquas tribulationis superare, ac peccata gravia vitare valeat. Item quod ardens charitate animo fixum habeat, nullius terroris causa Deum offendere, ex quo non sequitur, quod ab hoc fervore charitatis nemo possit deficere, aut auxilia divina frustrare, quo posito licet charitas ex se non excidat, peccator sponte excidit a charitate. Ex quibus etiam patet responsio ad Conf.

Dices 1. Joan. 3 v. 9 dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Hinc Christus Joan. 10 v. 28 de suis ovibus ait: *Non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea.* Ergo justi non possunt peccare. Conf. S. Joannes de illis, qui a fide ad hæresim defecerant, epist. 1 cap. 2 v. 19 scribit: *Si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Ergo supponit, quod justi non amplius possint a fide, & gratia excidere. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo justi non possunt peccare in sensu composito justitiæ, & quamdiu manent justi, Conc. Conf. in sensu diviso, Neg. Conf. Christus loco objecto non loquitur de justis quibuscunque, sed de iis, qui sunt prædestinati ad gloriam, a qua impotentia consequente non possunt excidere finaliter. Ad Conf. Neg. Conf. Quia illi hæretici negabant Christum esse Deum, & multa a Christi doctrina valde abhorrentia docebant, S. Joannes colligit, quod nunquam sinceram fidem habuerint, alias non fuissent ausi Apostolos, magistros suos adhuc viventes hæ-

16

resis

refis arguere ; ex quo non fequitur generaliter certum effe, quod deficientes a fide nunquam veram fidem habuerint, neque fubfequentes hæretici ipfos damnant Apoftolos, fed folum eorum doctrinam male interpretantur, cujus fenfum a defunctis petere nequeunt.

17 Obj. 2. Scriptura fæpe promittit falutem credentibus: ergo gratia fanctificans tantum expellitur per peccatum infidelitatis. Conf. Charitas eft habitus ; fed habitus non amittitur per unum actum: ergo. Refp. Dift. Ant. promittit falutem credentibus excludendo reliqua ad falutem neceffaria, Neg. Ant. ab illis præfcindendo, Tranf. Ant. Neg. Conf. Quando Scriptura credentibus promittit falutem, indicat, quod fides fit primum illius initium, & fundamentum, per quod non excludit alia ad falutem requifita, ficut non excludit neceffitatem fidei, quando falutem promittit pœnitentibus. Ad Conf. Dift. Maj. charitas eft habitus acquifitus, Neg. Maj. infufus, Conc. Maj. & Dift. min. habitus acquifitus non amittitur per unum actum contrarium, Conc. min. habitus infufus, Neg. min. Habitus acquifitus dependet a viribus naturæ, & propria virtute fubjecti, habitus autem infufus ab actione Dei infundentis, qui in ipfius confervatione fe habet ficut fol in illuminatione aeris, atque ita a confervatione ceffat, quando ponitur obftaculum.

18 Quæres. An oppofitio peccati cum habitu charitatis fit phyfica, vel tantum moralis? Refp. 1. Juxta omnes certum effe, quod peccatum expellat habitum charitatis faltem moraliter, tum quia peccatum mortale meretur, ut Deus ab habitu charitatis confervando ceffet: tum quia peccator, qui fe a Deo tanquam fine ultimo avertit, eft indifpofitus ad eundem fupra

pra omnia amandum, adeoque ad operandum, ſicut oportet, in tota materia habitus. Hinc non obſtat, quod habitus fidei, & ſpei non expellatur per peccatum e. g. odii Dei, licet hoc ſit longe gravius quam infidelitas, & deſperatio. Nam oppoſitio peccati gravis cum charitate non præciſe conſiſtit in ratione demeritoria, ſed ſimul etiam in dicta indiſpoſitione peccatoris, & ſpeciali repugnantia cujuslibet peccati gravis cum habitu charitatis, quam ſpecialem repugnantiam non habent alia peccata cum habitu fidei, & ſpei, licet cæteroquin ſint graviora, quam infidelitas, & deſperatio.

Reſpondeo 2. Si habitus charitatis conſideratur ſecundum ſe, prout a gratia ſanctificante realiter diſtinguitur, per peccatum non deſtruitur phyſice. Quippe peccatum phyſice nihil efficit, quod cum charitate habituali eſt incompoſſibile, cum unicus actus non ſtatim generet habitum vitioſum, & ipſe habitus vitioſus ſæpe adhuc in peccatore remaneat, poſtquam fuit juſtificatus. Sed neque ipſa entitas peccati habitui charitatis opponitur formaliter, alias illum etiam excluderet, licet poneretur ſine culpa mortali e. g. ſine plena deliberatione. Imo quamvis peccatum mortale aliquo modo charitati habituali adverſetur, ideo nondum illam tollit formaliter, ſicut motus ſurſum formaliter non tollit habitualem propenſionem ad motum deorſum. Si tamen habitus charitatis conſideretur ut connexus cum gratia ſanctificante, poteſt dici, quod peccatum grave aliquo modo phyſice illum deſtruat, in quantum gratia ſanctificans ex ſua natura cum nullo peccato gravi poteſt conjungi, ut dictum eſt in tract. de grat. num. 682. 19

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Per quænam peccata amittantur habitus Fidei, & Spei?

20 CAlvinus lib. 3 Instit. cap. 2 asserit in peccatore christiano non posse dari veram fidem, sed tantum fidei apparentiam; hinc nugatoriam esse distinctionem scholasticorum inter fidem formatam, & informem. Jansenius quoque lib. 5 de gratia Christi cap. 6 docet, nullam dari veram fidem (consequenter neque spem) nisi ex charitate Dei dimanet. Hæc si de fide, & spe habituali intelliguntur, ex instituto illa refutabimus: si vero intelliguntur de fide, & spe actuali, clare reclamat Apostolus 1 ad Cor. 13 v. 2: *Si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Alexander VIII damnavit hanc propositionem 12: *Quando in magnis peccatoribus deficit amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.* Accedunt propositiones damnatæ Quesnelli 52: *Omnia alia salutis media continentur in fide - - - sed hæc fides non est absque amore, & fiducia,* & 57: *totum deest peccatori, quando deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.*

21 Dicendum 1. Fides non amittitur per aliud peccatum, quam infidelitatis. Pars prima supponitur a S. Jacobo, dum cap. 2 v. 14 ait: *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem charitatis non habeat; nunquid fides poterit salvare eum?* hinc Tridentinum sess. 6 can. 28 anathema dicit asserenti: *Amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse christianum.*

stianum. Idem docent SS. Patres nominatim Gregor. Homil. 38 in evangel. & S. August. lib. 15 de Trinit. cap. 18. Nempe cum peccator se non possit disponere ad justitiam nisi per actus fidei, congruum est, ut Deus illi relinquat principium connaturale illorum actuum, quam Dei voluntatem ac ordinationem nobis manifestat Ecclesia. Pars 2da rursus docetur a Tridentino sess. cit. cap. 15, ubi ait: *Gratiam amitti non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, licet non amittatur fides.* Ratio est, quia infidelitas directe opponitur fidei: ergo sicut charitas amittitur per quodlibet peccatum grave, quia quodlibet illi directe opponitur, sic fides amittitur per infidelitatem.

Dicendum 2. Spes infusa amittitur tum per 22
peccata directe illi opposita, tum per infidelitatem; non vero per alia. Ita communissimus fere omnium Theologorum sensus, qui in hac materia maximi est ponderis. Ratio congrua primæ partis est, paritas cum habitu fidei, quem per peccatum directe illi oppositum amitti probavi. Ratio 2dæ partis. Quia fides est fundamentum totius nostri status supernaturalis, & spes in illa singulariter fundatur. *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?* ad Rom. 10 v. 14: ergo quando per infidelitatem expellitur fides, spes non amplius manet. Ratio 3tiæ partis, quia spes requiritur, ut peccator ad justificationem se disponat: ergo ut connaturaliter actum spei elicere valeat, congruum est manere habitum spei, ut etiam indicat Tridentinum sess. 6 cap. 7, ubi de virtutibus a Spiritu sancto infusis loquens ait: *Fidem, & spem nos non perfecte unire Christo, nisi accedat charitas:* ergo supponit, quod possint esse sine charitate. Cæterum illa peccata dicuntur spei

ſpei directe eſſe oppoſita, quæ directe tollunt objectum formale ſpei, uti deſperatio, ac poſitiva & efficax nolitio vel contemptus beatitudinis.

Objectiones.

23 OBj. 1. Quodlibet peccatum grave meretur amiſſionem omnium donorum ſupernaturalium ſaltem indeterminate: ergo per quodlibet amittitur fides, & ſpes. Conf. Per quodlibet peccatum mortale amittuntur habitus virtutum moralium; ergo multo magis fides, & ſpes utpote præſtantiores; hinc Apoſtolus 1 ad Timoth. 1 v. 19 ait: *Quod quidam repellentes bonam conſcientiam circa fidem naufragaverint.* Reſp. Diſt. Ant. ita tamen, ut Deus hanc pœnam non ſtatim velit infligere, Conc. Ant. ut hoc velit, Neg. Ant. & Conſ. ſicut Deus peccatorem non ſtatim poſt peccatum vult damnare, ſed illi adhuc ſpatium concedit ad juſtificationem recuperandam, ita eidem non ſtatim vult ſubtrahere principium connaturale ad illos actus, quibus ſe ad juſtificationem diſponere debet, tales actus autem ſunt fides & ſpes. Ad Conf. Tranſ. Ant. Nam quamdiu manet habitus fidei, juxta communem Theologorum etiam manet habitus piæ affectionis, & prudentiæ particularis, per quam elicitur dictamen practicum credibilitatis, de quo plura ſuo loco. Neg. Conſ. Quia habitus virtutum moralium non ſunt ita neceſſarii. Apoſtolus tantum loquitur de quibusdam peccatoribus, nec plus vult, quam quod peccata fidem aliquo modo debilitent, & ad illius amiſſionem diſponant.

24 Dices 1. In veteri teſtamento peccator non potuit diſponi ad juſtificationem niſi per charitatem, & in lege nova ad illam diſponitur per pœniten-

tentiam: imo etiam per actus aliarum virtutum moralium, neque tamen habitus istarum virtutum in peccatore manent: ergo neque ideo manet fides, & spes, quia est necessaria dispositio ad justificationem. Conf. Etsi homo careat habitu fidei, potest nihilominus fidem elicere per auxilium transiens, & potentiam Dei specialiter applicatam: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Habitus charitatis in peccatore non manet ob specialem illam oppositionem, quam habet cum omni peccato gravi. In novo testamento actus charitatis non est determinate ad justificationem necessarius, neque pœnitentia necessario debet agi ex motivo speciali pœnitentiæ, sed ex motivo cujuscunque tandem virtutis e. g. spei; cum igitur spes in peccatore maneat, satis illi provisum est. Actus denique virtutum aliarum, licet aliquo modo ad justificationem conducant, non ita determinate requiruntur sicut fides, & spes. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Omnipotentia specialiter applicata non est principium ita intrinsecum & connaturale, sicut habitus infusi.

Dices 2. Fides connaturaliter non infunditur sine gratia sanctificante; est enim illius proprietas: ergo neque sine gratia sanctificante conservatur. Conf. Habitus fidei non manet in damnatis; licet non omnes peccarint peccato infidelitatis: ergo etiam non manet in aliis peccatoribus. Resp. Trans. Ant. Neg. Conf. Quod sæpe plus requiratur ad productionem alicujus rei, quam ad illius conservationem, nemo dubitat. Sic ipse habitus fidei conservatur per solam carentiam peccati, quæ certo non sufficit, ut primo infundatur. Dein licet fides cum gratia sanctificante connaturaliter desineret, Deus ex speciali beneplacito illam conservat: quod autem eandem sine gratia nunquam 25

infundat, Lugo, Arriaga &c. contra Suarium aliosque graves auctores probant ex auctoritate sacra; nam in Clementina unica de Trinitate aperte supponitur, gratiam, & virtutes infundi virtute baptismi, licet actus fidei baptismum fructuosum in adultis praecedere debeat. Tridentinum quoque sess. 6 cap. 7 ait, catechumenos ante baptismum petere fidem, utique habitualem; actualem enim jam habent. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Habitus aliaque auxilia supernaturalia non dantur, nisi ubi locus est gratiae, & homo per actus salutares potest tendere ad beatitudinem; damnati vero neque opiam affectionem ad fidem, nec ullam aliam operationem bonam possunt elicere; hinc juxta S. Dionysium de divin. Nom. cap. 4 daemones carent omnibus donis divinis tam secundum habitum, quam secundum operationem.

26 Obj. 2. Fides infusa est donum Dei, & testimonium nostrae adoptionis; atqui hoc non convenit fidei charitate destitutae: ergo sine charitate non datur fides. Conf. Fides sine charitate est mortua, sed fides mortua non est vera fides, sicut homo mortuus non est verus homo. Resp. Conc. Maj. Neg min. fides etiam in peccatore est donum Dei, & testimonium nostrae adoptionis, non quasi per ipsam fidem homo formaliter justificetur, sed quatenus fides est radix, & initium, per quod ad justificationem praeparamur, ut habet constans doctrina Ecclesiae, nobis manifestata per Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 6, 7 & 8. Hinc quando in Scriptura dicitur, quod fides justificet, id intelligendum est de fide charitate formata. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Charitas non est vita fidei, sicut anima corporis; haec enim dat vitam tanquam pars essentialiter constituens hominem: econtra fides sine charitate jam habet pro-

proprium suum esse, & speciem, & per charitatem solum vivificatur accidentaliter in esse moris, in quantum charitas est causa, ut possit exercere opera vitæ æternæ meritoria, & ipsi actus fidei vitam æternam mereantur.

Dices 1. Charitas ita est forma omnium virtutum, ut sine illa non detur ratio veræ virtutis; nam S. Augustinus contra Julianum cap. 3 negat, in peccatoribus, & infidelibus esse veram virtutem. Conf. Fides sine charitate est deformis, & Jacobi 2 v. 19 comparatur fidei dæmonum: *Tu credis, quoniam unus est Deus, bene facis; & dæmones credunt, & contremiscunt.* Resp. Neg. Ant. Quamvis fides sine charitate non sit talis virtus, quæ se sola liberandis, & beatificandis hominibus deserviat, in quo sensu virtutem loco objecto accipit S. Augustinus; est tamen vera virtus, quatenus est principium intrinsece, & permanenter complens intellectum ad assentiendum veritatibus revelatis. Hinc ad Conf. dico, quod fides tantum sit deformis, seu potius informis accidentaliter ob defectum alicujus perfectionis extrinsecæ. S. Jacobus solum vult, quod fides supernaturalis sine operibus non plus prosit homini ad salutem, quam dæmoni sua fides naturalis. Nam ipsemet in eodem capite clare distinguit inter fidem vivam, & mortuam. Idem indicat S. Paulus ad Galat. 5 v. 6, dum ait: *Fidem per charitatem operari,* id est agi, & moveri, ut colligitur ex textu græco: ergo charitas non facit, ut fides sit vera fides, sed tantum, ut moveatur meritorie ad vitam æternam. 27

Dices 2. Fides semper habet conjunctam bonam voluntatem, & humilem propensionem, qua se subjicit divinæ veritati; hæc autem non potest esse sine charitate; hinc 1 ad Timoth. 5 v. 7 dicitur: *Si quis suorum maxime domestico-* 28

 rum

rum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Conf. S. Joannes epist. 1 cap. 2 v. 4. ait: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est*: ergo qui dicit se habere fidem in Deum, mendax est, si charitatem, & opera non habeat. Resp. Neg. Ant. quoad 2dum membrum. Non enim omnis bonæ voluntatis propensio est charitas; qui vero curam suorum non habet, dicitur negare fidem, non verbo aut mente, sed facto, quia opere se non gerit, ut dictat fides, quam profitetur. Est itaque de numero illorum, qui *confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, ut habetur ad Titum 1 v. 16. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. S. Joannes loquitur de notitia Dei affectiva, & practica, quæ complectitur non tantum actum intellectus, sed etiam voluntatis illum amantis, quem noscit; talem autem voluntatem utique erga Deum non habet, qui graviter contra ejus mandata delinquit.

29 Obj. 3. Quamvis infidelis aut hæreticus neget aliquem articulum fidei, potest adhuc credere alios: ergo fides non amittitur per peccatum infidelitatis. Antecedens videtur patere ab experientia. Licet enim aliquis incidat in errorem contra fidem, pergit reliquos articulos eadem facilitate credere, qua antea; imo etiam illum articulum, quem negat, crederet, si sufficienter agnosceret, illum esse revelatum. Conf. Qui negligit discere credenda, vel omittit actum fidei præceptum, aut solum se exponit periculo deficiendi a fide, peccat contra fidem, & tamen non perdit habitum fidei: ergo. Resp. Dist. Ant. potest adhuc credere alios articulos fide qualicunque & imperfecta, Conc. Ant. perfecta, & theologica, Neg. Ant. Hæretici articulos veros non credunt præcise propter aucto-rita-

ritatem Dei revelantis, ſed partialiter ob alia motiva, aut certe illorum fides non procedit ex generali affectu ſe in omnibus ſubmittendi auctoritati divinæ ſufficienter propoſitæ; hinc formales hæretici non ſunt parati etiam reliquos veros articulos credere, quos ignorant, & quidem culpabiliter: promptitudo autem credendi articulos veros, ut antea, non eſt ab habitu infuſo fidei, ſed a naturali quodam acquiſito. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Juxta Tridentinum fides tantum amittitur per hæreſim formalem, & infidelitatem poſitivam, conſiſtentem in judicio pertinaci, & deliberato contra aliquam veritatem fidei.

Dices 1. Poteſt hæreticus articulum verum 30
credere fide ſupernaturali, ut contra Molinam docet Lugo & Viva: ergo hæreticus non perdit totum habitum fidei, ſicut ille non perdit totum habitum ſcientiæ, qui tantum errat circa unum, & alterum ipſius objectum. Conf. Poteſt aliquis eſſe obediens Deo circa aliqua mandata, & inobediens circa alia: ergo a pari. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. talis actus fidei ſupernaturalis procederet quidem ab auxilio ſupernaturali, ſed non eſſet actus theologicus; nam fides theologica juxta illud act. 8 v. 37: *Si credis ex toto corde*, debet appretiare auctoritatem Dei revelantis ſuper omnia, id eſt illam præferre omnibus aliis motivis contrariis adæquate, & in tota ſua latitudine: ergo cum nullo peccato gravi infidelitatis poteſt componi: neque eſt paritas cum habitu aliarum ſcientiarum, pro diverſis enim concluſionibus ejusdem ſcientiæ ſunt diverſa media, per quæ probantur, quorum unum poſſumus cognoſcere, & amplecti ſine alio; at fides inhæret omnibus veritatibus propter idem motivum, ſcilicet propter auctoritatem Dei revelantis. Ad Conf.

Conc. Ant. Neg. Conſ. virtutes morales poſſunt habere motiva proxima diverſa, nec debent illa appretiare ſuper omnia, ſi tamen obſervatio mandatorum referatur ad unum motivum primum, quod eſt perfecte ſe Deo ſubjicere, ab hac decideret, qui unum transgrederetur juxta illud Jacobi 2 v. 10: *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus.*

31 Dices 2. Si per peccatum infidelitatis amittitur habitus fidei, 1. Apoſtoli tempore paſſionis domini amiſiſſent fidem in Chriſtum & SS. Trinitatem. 2. Theologus incidens in aliquam hæreſin amitteret habitum theologiæ; hic enim fundatur in fide, & ex illa deducit ſua principia. 3. Hæreticus ad Eccleſiam rediens deberet corrigi in aſſenſu etiam illarum veritatum, quas jam antea credidit. Reſp. ad 1. Licet Apoſtoli tempore paſſionis Chriſti fuerint infirmi ac tardi in fide, probabilius tamen nunquam fidem internam in Chriſtum, & SS. Trinitatem amiſerunt. Ad 2. Cum habitus ſcientiæ non poſſit manere deſtructo ſuo principio formali, quod reſpectu ſcientiæ theologicæ eſt fides, utique theologus in hæreſin incidens habitum veræ theologiæ amitteret; poſſet nihilominus alias materias in theologia tractare, ut antea, dependenter ab habitu fidei naturali, & acquiſito. Ad 3. Hæreticus rediens non deberet corrigi quoad objectum materiale, & articulos, quorum aſſenſum in hæreſi retinuit, corrigeretur tamen a Deo quoad modum aſſenſus, ut illos articulos iterum recipiat fide theologica, & divina.

32 Obj. 4. Nemo conſtitutus in peccato mortali poteſt ſperare beatitudinem, imo quilibet peccator impœnitens deſperat: ergo ſpes per quodlibet peccatum amittitur, neque ſine charitate eſſe poteſt, ut ſcribit S. Auguſtinus in En-

Enchir. cap. 8. Conf. Præſumptio præſertim venialiter tantum peccaminoſa non tollit ſpem, licet illi ſpecialiter opponatur : ergo. Reſp. Quamvis nemo poſſit ſperare beatitudinem ut conſequendam in ipſo ſtatu peccati mortalis, poteſt nihilominus peccator ſperare, quod per miſericordiam Dei ſit transferendus ad ſtatum gratiæ, in quo beatitudinem conſequi valeat. Peccator impœnitens vero non deſperat formaliter, & in actu ſignato, ſed tantum virtualiter & in actu exercito, niſi beatitudinem poſitive nolit, aut contemnat, vel animum illam acquirendi abjiciat ex eo, quaſi Deus non poſſit, aut non velit illum ſalvare. S. Auguſtinus loquitur de ſpe viva, & charitate formata, vel charitatem accipit latius pro amore qualicunque. Ad Conf. Præſumptio de miſericordia Dei, qua quis ſperat id, quod Deus ſecundum legem ordinariam facere non ſolet, nec promiſit, directe non opponitur motivo ſpei. Cæterum ſicut charitas perfecta poteſt ſtare cum peccato veniali, ita fidei, & ſpei non ita opponuntur peccata venialia, ut illas deſtruant.



PARS II.

De Fide Theologica.

Fides tum in libris profanis, tum in ſacris literis quandoque ſignificat fiduciam : *Poſtulet in fide nihil hæſitans,* Jacob. I v. 6 ; quandoque fidelitatem in ſervandis promiſſis : *Perſeverate adhuc conſervare ad nos fidem*, I Machab. 10 v. 27 ; quandoque dictamen conſcientiæ : *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ad Rom. 14 v. 23 35

v. 23. In ſenſu autem maxime proprio per fidem intelligitur actus intellectus, quo aliquid affirmamus, vel negamus propter auctoritatem, & teſtimonium alterius. Si hoc judicium intellectus tantum nititur auctoritate, & teſtimonio hominis, dicitur fides humana; ſi vero nitatur auctoritate, & teſtimonio Dei, vocatur fides divina.

34 Fides divina dividitur 1mo in naturalem ſeu acquiſitam, quæ elicitur dependenter a lumine mere naturali, & in ſupernaturalem ſeu infuſam, quæ elicitur dependenter a lumine ſupernaturali. Dividitur 2 in actualem, habitualem, & objectivam. Actualis eſt actus intellectus, quo aliquid judicamus propter auctoritatem, & teſtimonium alterius. Habitualis eſt habitus ad eliciendos actus fidei inclinans. Objectiva eſt ipſum objectum credendum, & præcipue tota collectio omnium credendorum. Ego deinceps præcipue agam de fide divina actuali, & ſupernaturali, quam ſcholaſtici paſſim definiunt, quod ſit aſſenſus, vel diſſenſus ſupernaturalis, firmus, & obſcurus, objecto a Deo revelato præſtitus propter auctoritatem & teſtimonium divinum.

35 Antequam actus fidei elicitur, regulariter præcedere debent multi alii actus tum intellectus, tum voluntatis; ut enim infidelis, vel Judæus credat e. g. hanc veritatem de ſe obſcuram, & captu difficilem: *Chriſtus eſt Deus*, prærequiritur 1 judicium credibilitatis ſpeculativum, quo judicet, ſe prudenter agere affirmando, quod Deus revelaverit Chriſtum eſſe Deum, & credendo, quod Chriſtus re ipſa ſit Deus. Hinc ante omnia docendus eſt geminas has veritates: Omne id eſt infallibiliter verum, quod Deus infinite veridicus revelat.

Item Deus infinite veridicus revelavit, Christum esse Deum. Prima veritas universalis habetur ex ipso lumine naturæ, quod dictat DEum esse infinite sapientem, seu determinatum ad omnia cognoscenda, prout sunt in se, & simul infinite veracem, sive determinatum ad rem revelandam, prout a se cognoscitur, adeoque falli, & fallere nescium. Secunda veritas particularis cognosci debet ex motivis credibilitatis, id est, ex illis rationibus, quibus suo loco demonstrabimus mysteria nostræ Religionis esse evidenter credibilia.

Ex judicio credibilitatis speculativo sponte 36
sua fluit 2 judicium credibilitatis practicum, seu judicium credenditatis, quo infidelis, aut Judæus ulterius judicat, se honeste agere credendo, quod Christus sit Deus, imo se teneri hoc credere. Ex his sequitur 3. Pia affectio, per quam intelligitur actus voluntatis, imperans intellectui, ut veritati cognitæ quam firmissime assentiatur, non jam propter motiva credibilitatis, sed propter auctoritatem Dei revelantis. 4. Deus infundit illustrationem supernaturalem suasivam, quæ ex natura sua, & modo repræsentandi summe certificat, quod Deus sit infinite veridicus, & divinitatem Christi revelaverit. 5. Denique elicitur ipse actus fidei hoc, vel simili modo: Credo Christum esse Deum, quia Deus infinite sapiens, & verax hoc revelavit. In quo indivisibili actu simul divinitas Christi creditur propter solam auctoritatem Dei revelantis, & ipsa auctoritas, ac revelatio divina per illustrationem suasivam proposita propter seipsam affirmatur, ut adeo nullum sit periculum, ne procedamus in infinitum, aut in circulo ambulemus, ut hæretici frequenter objicere solent.

DISPUTATIO I.

De objecto materiali fidei.

37 OBjectum materiale fidei stricte acceptum est, quod per actum fidei affirmatur, vel negatur propter auctoritatem, & revelationem divinam. Vocatur objectum materiale creditum ad distinctionem objecti materialis latius accepti, quod quidem etiam affirmatur per actum fidei, non tamen propter auctoritatem, vel revelationem divinam, sed propter seipsum, aut aliud motivum distinctum, in quo sensu ipsa etiam auctoritas, & revelatio divina potest dici objectum materiale fidei, quamvis stricte loquendo potius sit illius motivum, seu objectum formale, loquendo de illis actibus fidei, in quibus creditur objectum ab auctoritate, & revelatione divina distinctum. An vero, & quomodo ipsa etiam auctoritas, & revelatio divina credi possit, alibi dicendum erit.

38 Dividitur objectum materiale stricte acceptum in proximum, remotum, & remotissimum. Proximum est, quod vel actu creditur, vel saltem potentia proxima credi potest, eoquod illius revelatio sufficienter sit proposita; hinc dicitur esse de fide tam quoad se, quam quoad nos. Remotum est, quod reipsa quidem revelatum, quin tamen ejus revelatio sufficienter sit nota; hinc dicitur esse de fide quoad se, non vero quoad nos. Remotissimum est, quod actu nondum est revelatum, attamen a Deo posset revelari, atque etiam credi, quæ ultima verba addo ob geminum casum, quem proponit Viva disp. 2 q. 1, & Lugo disp. 3, quo videlicet Deus faceret decretum intrinsece efficax objectum aliquod de se revelabile nunquam revelandi, vel nunquam concurrendi ad actum fidei de aliquo obje-

objecto revelato eliciendum. Ejusmodi enim objecta ne quidem remotissime fide divina credi possent.

QUÆSTIO I.

An omnia a Deo revelata sint credibilia, & credenda fide divina?

Priscillianistæ sic dicti a Priscilliano Episcopo 39
Abulensi olim blasphemarunt, Deum esse auctorem mendacii. Imo etiam ex Catholicis Holkot, Aliacensis, & Gabriel putarunt Deum de absoluta potentia mentiri posse; sectarii vero nostri temporis distinguunt tres fides. Fidem historicam, qua credimus vera esse, quæ narrantur in sacris literis; Fidem miraculorum, qua fiunt miracula, fidem promissionum, qua credimus salutem esse promissam omnibus credentibus. Ex his nulla juxta ipsos ad justificationem sufficit, sed fides justificans juxta Calvinum consistit in notitia; juxta Lutherum vero in actu voluntatis, qua unusquisque sibi promissionem divinam applicans confidit peccata omnia sibi per Christum esse dimissa; hinc pro objecto materiali fidei justificantis assignant solam misericordiam, seu benevolentiam Dei.

Dicendum 1. Objectum materiale fidei ju- 40
stificantis non est sola promissio misericordiæ specialis per fiduciam vel notitiam cuilibet applicata. Nam 1, quando Scriptura agit de fide justificante, non loquitur de fiducia in misericordiam, sed de assensu intellectus, quem præstamus aliis mysteriis e. g. Resurrectioni, & divinitati Christi: *Si corde tuo credideris, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*, ad Rom. 10 v. 9: *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia JEsus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*, Joan. 20 v. 3. 2. Omnia

nia ſymbola, quæ a prima Eccleſia tanquam fidei regula ſunt agnita, enumerant plura revelata tanquam neceſſario credenda, nihil autem de ſpeciali fiducia, & notitia ſectariorum memorant. Idem faciunt SS. Patres lib. 1 de juſtific. cap. 9 apud Bellarminum. 3. Remiſſio peccatorum nulli in particulari eſt abſolute promiſſa: ergo non poteſt abſolute credi fide divina, imo fides hanc remiſſionem jam præſupponeret, utpote ejus objectum. Conf. Apoſtolus 1 ad Cor. 13 v. 13 fidem expreſſe diſtinguit a ſpe. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas*; & ad Hebr. 11 v. 1 ait: *Fidem eſſe argumentum non apparentium*: ergo fides neque conſiſtit in fiducia Lutheri, neque in notitia Calvini.

41 Dicendum 2. Omnia a Deo revelata ſunt credibilia, & credenda fide divina. Prob. Deus eſt infinite veridicus, neque poteſt in cognoſcendo falli, neque in loquendo fallere: ergo omnia a Deo revelata ſunt credibilia fide divina, & quidem proxime, ſi actu revelata & nobis ſufficienter propoſita ſunt; quia tunc nihil deeſt, quo minus illis aſſentiamur propter auctoritatem, & teſtimonium Dei. Antecedens dictat lumen naturæ. Sicut enim Deus eſt infinite bonus, ita etiam eſt infinite ſapiens, & verax: ergo ſicut ut ſumma bonitas non poteſt facere malum; ita ut ſumma ſapientia non poteſt in cognoſcendo falli, neque ut ſumma veracitas in loquendo fallere, alias mentiretur, quod ſemper eſt intrinſece malum. Hinc Apoſtolus ad Hebr. 6 v. 18 ait: *Impoſſibile eſt mentiri Deum*; S. Dionyſius de divin. nom. cap. 8: *Veritatis negatio eſt a Deo prolapſio: a Deo cadere Deus non poteſt*; S. Chryſoſtomus Homil. 1 in ſymbolum: *Deus aliqua non poteſt, ſcilicet falli, fallere, mentiri*; S. Auguſtinus l. 1 de ſymbolo

bolo ad Catechumenos: *Cum Deus ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt.* Conf. In humanis prudenter creditur, quod vir gravis, & fide dignus teſtatur: ergo multo magis credibilia, & credenda ſunt, quæ teſtatur Deus.

Colliges. 1. Quod Deus etiam non poſſit fallere, aut mentiri in promittendo; nam in omni promiſſione includitur aſſertio. Si enim quis dicit, dabo, vel donabo, ad minimum aſſerit ſe habere animum dandi; cum ergo Deus ſit immutabilis, neque falſum poſſit aſſerere, non poteſt fallere in promittendo. 2. Quod Deus neque poſſit fallere, aut mentiri per alium; Quippe hoc æque repugnat primæ veritati, & ſicut ſe habet pure materialiter, an Deus loquatur per voces, aut ſigna; ita in ordine ad primam veritatem ſe pure materialiter habet, ſive loquatur immediate per ſe ipſam, ſive mediate per alium, qui eſt merum inſtrumentum juxta illud Davidis pſalm. 44 v. 2: *Lingua mea calamus ſcribæ:* imo cum Deus potiſſimum loquatur per internuncios Angelos, Prophetas &c. rueret tota firmitas fidei, ſi per alios falſum teſtari poſſet. Neque dicas, Deum revelaſſe, quod per alios non feſellerit, quia hæc ipſa revelatio poſſet eſſe falſa. Unde bene S. Auguſtinus lib. de mendacio cap. 8 quærit: *Quomodo credendum eſt ei, qui putat aliquando eſſe mentiendum, ne forte tunc mentiatur, quando præcipit, ut credamus.* 42

Colliges 3. Quod Deus in loquendo non poſſit uti amphibologica inſenſibili, aut reſtrictione pure mentali, quæ tunc datur, quando verba exterius prolata ſecundum ſe ſignificant falſum, & ſolum in mente aliquid ſubintelligitur, quod cum illis verbis verum ſenſum efficit, quin hoc ullo indicio colligi poſſit; nam in hoc caſu tota 43

ta locutio consistit in solis verbis : ergo aliud non significat, quam quod verba præseferunt: cum igitur verba præseferant sensum falsum, talis locutio est falsa, mendax. Hinc usus restrictionum pure mentalium merito proscriptus est ab Innocentio XI, propositione 26, & duabus sequentibus. 4. Quamvis Deus tanquam causa prima, & universalis possit concurrere ad cognitionem falsam, aut conservandum habitum vitiosum, probabilius nequit tanquam causa particularis infundere errorem etiam speculativum, ita, ut ex sua propria determinatione, & præter exigentiam creaturæ in illius intellectu producat cognitionem erroneam, quia tali modo creaturam positive deciperet, & non minus induceret in errorem, quam si eidem aliquid falsum per verba revelaret. Imo Deus talem errorem infundendo saltem virtualiter mentiretur, tum quia æquivalenter idem faceret, ac si loqueretur falsum: tum quia licet hic error non sit proprie dicta locutio, quæ fit per signa externa, est tamen locutio æquivalenter talis, & positio ipsius signi formalis, scilicet cognitionis falsæ.

44 Colliges 5. Quod Deus non possit facere miraculum in confirmationem erroris, aut doctrinæ falsæ, ita ut per tale miraculum errorem intendat, aut finis alius, quem intendit, sit prorsus insuspicabilis. Quippe miracula ab omnibus gentibus, & populis omni tempore habita sunt pro testimoniis, & sigillis divinis: sicut ergo Deus non potest testari falsum, neque uti restrictione pure mentali, sic non potest facere miraculum in confirmationem erroris. Hinc Christus Joann. 5 v. 36 ad miracula provocavit dicens: *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*; & Joan. 10 v. 38: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. 6. Ex eadem ratione

tione Deus ne quidem potest permittere, ut quis ad confirmandam doctrinam falsam virtute patrandi miracula abutatur abusu insensibili, alias ad deceptionem cooperaretur, & doctrina falsa miraculis confirmata tribueretur ipsi Deo tanquam causæ principali, & particulari, ferme sicut dolus, & falsitas tribueretur Regi, qui sigillum suum tribueret ministro pro casu, quo determinate videt illius abusum ad signandum falsum aut dolum. Cum igitur Deus falsitatem semper cognoscat, non potest virtutem patrandi miracula in testimonium erroris concedere, sed in casu abusus deberet suum concursum subtrahere.

Objectiones.

OBj. 1. S. Paulus ad Hebr. 11. v. 1 fidem de-
finit, quod sit *sperandarum substantia re-* 45
rum, argumentum non apparentium: ergo fides
consistit in fiducia speciali de remissione peccatorum; nam vox græca ὑπόστασις exspectationem significat. Conf. S. Joannes epist. 1 cap. 5 v. 13 scribit: *Hæc scribo vobis, qui creditis in Filium Dei, ut sciatis, quia vitam habetis æternam*: ergo absolute debemus credere nos habere vitam æternam; alias, ut ibidem dicitur, mendacem facimus Deum, Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quid significet ὑπόστασις optime noverunt SS. Patres, præsertim Chrysostomus græcæ linguæ peritissimus; isti vero per hanc vocem apud Bellarm. lib. cit. cap. 5 intelligunt basin, ac fundamentum; hinc sensus est, quod fides respectu rerum futurarum sit fundamentum, & repræsentatio, extra quod non habent substantiam; respectu rerum obscurarum autem argumentum seu convictio: atqui repræsentatio rerum futurarum, & convictio de rebus

bus obſcuris ad intellectum pertinent. Unde definitio Apoſtoli potius confirmat noſtram doctrinam. Quod ſi per ὑπόστασιν deberet intelligi exſpectatio, id non faveret adverſariis, quia non ſolum remiſſionem peccatorum, ſed multa alia, vitam æternam, reſurrectionem corporum &c. ſperare debemus. Ad Conf. Diſt. Ant. ut ſciatis, quia habetis vitam æternam, ſi credatis fide viva, & ſicut oportet, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. etiam, qui non credit, e. g. divinitatem Chriſti, Deum facit mendacem.

46 Dices 1. Ex una parte aliunde conſtat, quod fides in ſacra Scriptura ſignificet ſpem, & fiduciam: *Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis*; 2 Paralip. 20 v. 20: *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis*, Marci 11 v. 24. Ex altera parte fides, quæ fertur in hiſtorias, minas, mandata divina &c. non juſtificat, ſed potius auget timorem, & deſperationem: ergo. Conf. In Scriptura ſæpe puſillanimes, qui non habent fiduciam, arguuntur ob defectum fidei: *Quid timidi eſtis modicæ fidei*, Matth. 8 v. 26: ergo. Reſp. Conc. Ant. quoad 1mum membr. Neg. quoad 2dum. Nam fides incutiendo terrorem revocat a peccatis, & ſic etiam ad juſtitiam diſponit, proponit inſuper plurima, quæ credentem in ſpem erigunt, unde non eſt, cur deſperet. Porro quamvis fides in ſacra Scriptura quandoque accipiatur pro fiducia, id tamen ſit minus proprie, neque tunc ſermo eſt de fide a Chriſto prædicata, & ad juſtificationem requiſita. Adde, quod etiam textus objecti de hac fide poſſint intelligi, in quantum nos jubent credere, quod Deus fideles ſuos protegat, & cuſtodiat, eorumque preces ſemper exaudiat, ſi bene petant, & expediat illis dari. Ad Conf. Neg. Conſ. cum ſpes oriatur

tur ex fide, pusillanimes merito ob defectum fidei arguuntur.

Dices 2. De Abrahamo ad Rom. 4 v. 18 affirmat Apostolus, quod fuerit justificatus, *Quia contra spem in spem credidit*; atqui per credere hic intelligitur spes fiducialis; nam infra v. 20 additur, *Non hæsitavit diffidentia*. Conf. In eodem capite, v. 16 ait: ideo justificatum esse ex fide, *ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini*: ergo fides tunc solum justificat, quando homo promissionem de remissione peccatorum sibi applicat, & amplectitur; ferme sicut in humanis non est tota promissio, donec promissarius illam acceptaverit. Resp. Conc. Maj. Neg. min. In hoc loco non est sermo de remissione peccatorum, sed quod Abraham tam firmiter crediderit loquenti Deo, ut qnamvis naturaliter nullam prolem ex Sara potuerit sperare, nihilominus illam speraverit ob promissionem divinam. Unde solum indicatur, quod fides illius fuerit insignis, & post se traxerit fiduciam. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. In hoc textu per promissionem rursus non intelligitur remissio peccatorum, sed vocatio gentium, neque per fidem significatur fiducia, sed fides de omnipotentia divina, ut indicat ipse Apostolus, dum ibidem v. 20 addit: *Sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens esset facere &c.* 47

Obj. 2. Deus sæpe dixit falsum: ergo non omnia a Deo revelata sunt credenda Ant. Prob. Genes. 4 v. 8 Deus promisit Caino, non fore occidendum, & tamen fuit occisus. 4. Reg. 8 v. 10 per Elisæum nunciavit Regi Benadad, quod sit sanandus a morbo, in quo tamen ab Hazaele occisus est. 4 Reg. 2 per Isaiam præ- 48

 dixit

dixit mortem Ezechiæ, quæ non evenit. Jonæ 3 post quadraginta dies minitatus est interitum Ninive, & illa salva stetit. Conf. Deus sua dicta sæpe firmavit juramento, ergo signum est, quod possit decipere. Resp. Neg. Ant. Deus Caino solum promisit, quod non sit occidendus impune, ut colligitur ex verbis additis: *Qui occiderit septuplum punietur.* Regi Benadad Elisæus solum nunciari jussit *Sanaberis*, id est, non morieris vi morbi; nam mox addidit: *ostendit mihi Dominus, quia morte* (videlicet violenta) *morieris.* Prædictiones comminatoriæ factæ Ezechiæ, & Ninivitis erant conditionatæ, nisi resipiscerent, & ad Dominum clamarent. Ad Conf.Conc.Ant. Neg. Conf. Deus non juravit ad faciendam majorem fidem, sed se conformans humano usui suam assertionem magis voluit inculcare, ac majorem nominis sui & dictorum reverentiam hominibus ingenerare.

49 Dices 1. Deus sæpe usus est restrictione, & æquivocatione, ut patet ex illo Christi: *Non ascendam ad diem festum hunc*, Joan. 7 v. 8, & Marci 13 v. 32: *De die illo nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius.* Atqui æquivocationes, & restrictiones sunt mendacia; nam locutio æquivoca non est connexa cum conceptu interno, & vero sensu, quem loquens intendit. Conf. Qui utitur æquivocatione, aut restrictione, vult occultare veritatem: ergo non intendit sensum verum, sed deceptionem. Resp. Dist. Maj. usus est æquivocatione, & restrictione sensibili, Conc. Maj. insensibili, & pure mentali, Neg. Maj. & sic Dist. min. Conf. Sensus locutionis non semper consistit in solis verbis, sed etiam in variis circumstantiis, consignificantibus, per quas æquivocatio, & restrictio sensibilis sufficienter cum vero, & in-

terno

terno ſenſu connectitur. Sic quia Apoſtoli a Chriſto petierunt, ut aſcendens die feſto ſe mundo per ſplendorem miraculorum manifeſtaret, ſatis intellexerunt, illum loqui de aſcenſu manifeſto, & palam facto. Et quia ſciverunt Chriſtum eſſe Deum, ac univerſorum fore judicem, facile potuerunt colligere, quod loquatur de illa ſcientia, quam ex voluntate Patris poſſet, ac deberet aliis communicare. Ad Conf. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ergo non intendit ſenſum verum voluntate efficaci, & abſoluta, ac tanquam finem ultimo intentum, Tranſ. Conſ. tanquam finem proximum, Neg. Conſ. Qui utitur reſtrictione ſenſibili efficaciter vult ponere verba apta ad ingenerandum ſenſum verum, & ſic proxime intendit manifeſtationem activam; licet poſtea hanc ex juſta cauſa ordinet ad occultandam veritatem: ex quo tantum ſequitur, quod non etiam intendat manifeſtationem paſſivam, ſed potius permittat, ut audiens ſe ipſum decipiat, non accipiendo verba in ſenſu vero.

Dices 2. Si Deus poteſt uti reſtrictione non pure mentali, ruit firmitas fidei, & infallibilitas Eccleſiæ, ſicut illa rueret, ſi poſſet mentiri; nam ſemper poſſemus dubitare, an revelando aliquod myſterium non ſit uſus reſtrictione, cujus verum ſenſum non intelligamus. Certe in apocalypſi tam obſcure locutus eſt, ut vix bene intelligi poſſit. Conf. Voces ſignificant ex placito Dei, vel hominum: ergo ſemper poteſt dubitari, an Deus illas non acceperit in alio ſenſu. Reſp. Neg. Ant, loquendo de myſteriis ſcitu neceſſariis; cum enim Deus de illis exigat fidem firmiſſimam; foret cauſa erroris, ſiquidem ſenſus omnibus obvius eſſet falſus. Hinc Ulloa, & Lugo dicunt, ex ſignis 50

credibilitatis extrinſecis, & illuſtratione intrinſeca ſupernaturali indubitatum fieri, quod Deus in eo ſenſu revelationes protulerit, quem juxta mentem Eccleſiæ præſeferunt. At ſi Deus poſſet mentiri vel decipere, præterquam quod hoc intrinſece eſſet malum, rueret ipſa auctoritas Dei loquentis, adeoque præcipuum fidei fundamentum. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Poſita ſemel humana verborum inſtitutione, Deus ſalva ſua veracitate tam parum poteſt voces in alio ſenſu adhibere quam homines, alias falſum diceret.

51 Obj. 3. In ſacra Scriptura quidam Sancti ex inſtinctu divino leguntur falſum dixiſſe; ergo Deus ſaltem poteſt falſum dicere per alios. Ant. Prob. Raphael Tobiæ 5 v. 18 dixit: *Ego ſum Azarias Ananiæ filius.* Abraham Saram vocavit ſuam ſororem, & immolaturus filium famulos exſpectare juſſit dicens: *Poſtquam adoraverimus revertemur ad vos*, Geneſ. 22. v. 5. Joſeph ad fratres ſuos ajebat: *Exploratores eſtis*, Geneſ. 42. v. 9. Conf. Job. 12 Deus dicitur decipere homines, Iſai. 63 inducere in errorem, 3 Reg. 22 dediſſe ſpiritum mendacii in ore Prophetarum &c. Reſp. Neg. Ant. Dictum Raphaelis juxta interpretes idem ſignificat, ac ego ſum auxilium, & adjutorium Dei, ſeu filius adoptivus Dei. Sara teſte S. Auguſtino in quæſt. ſuper Geneſ. ex patre vere fuit ſoror Abrahæ, qui ideo dixit ſe reverſurum cum Iſaac, quia ſperavit illum brevi poſt immolationem ad vitam revocandum, ut indicatur ad Hebr. 11. Illud *eſtis exploratores* idem ſignificat, ac habebimini, ſicut quando de Deo dicitur: *Deus noſter ſit Deus veſter.* Ad Conf. Diſt. Ant. dicitur decipere homines indirecte, occaſionaliter, & mere permiſſive, Conc. Ant. dire-

recte, formaliter & positive, Neg. Ant. directe & formaliter decipere est ponere signum determinatum ad falsum. Indirecte, & occasionaliter decipere, est ponere signum verum, vel ambiguum, cujus occasione alter in errorem inducitur, quod ex justa causa licet. Porro ejusmodi locutiones Scripturae juxta phrasin Hebraicam intelligendae sunt praecise de permissione Dei, ut pluribus explicatum est in Tract. de peccat. disput. 3 q. 1.

Dices 1. Jacob. Genes. 27 v. 19 dixit pa- 52
tri: *Ego sum filius tuus primogenitus.* Judith. cap. 11 v. 17 spopondit Holoferni victoriam de Judaeis dicens: *Se missam esse a Deo haec nunciare.* Obstetrices Aegyptiacae Exod. 1 dixerunt Pharaoni se non vocari ad parientes Haebraeas, & tamen servabant pueros, propter quod Deus ipsis benefecit. Conf. Mendacium ideo est malum, quia est contra legem Dei, & eversivum societatis humanae; atqui Deus nulla lege tenetur, & pro libitu quamlibet societatem humanam potest evertere. Resp. Si Jacob aliique revera mentiti sunt, id non est factum ex instinctu divino, sed ex mera permissione. Interim multi Jacobum excusant, tum quia jus primogeniti a fratre emerat, tum quia praefigurabat Christum, & sic in sensu mystico erat primogenitus. Juditham ajunt locutam esse comminatorie, ferme sicut Jonas Ninivitis. Obstetrices denique non fuisse vocatas ad omnes mulieres Hebraeas, & Deum tantum praemiasse bonam earum voluntatem non occidendi proles masculas. Ad Conf. Trans. Maj. Dist. min. Deus nulla tenetur lege stricte, & proprie tali, Conc. minor. latius & aequivalenter tali, Neg. min. mendacium jam antecedenter ad legem Dei est malum radicaliter, Deus autem ob infinitam suam perfectionem

 ni-

nihil intrinſece malum poteſt velle, neque tale medium ad operandum adhibere.

53 Dices 2. Si aliquis invincibiliter judicaret, ſe debere mentiri ad ſalvandam vitam proximi, Deus illi præciperet mendacium. Ergo idem poteſt præcipere, ſi id eſt neceſſarium ad avertendum grave malum reipublicæ. Conf. Etiam locutiones æquivocæ, & reſtrictiones ſenſibiles evertunt ſocialem vitam, & commercia humana, & tamen Deus quandoque illas poteſt adhibere: ergo a pari. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Licet Deus ſuppoſito errore invincibili, quem tamen ipſe non intendit, per accidens, & lege conſequente præcipiat mendacium, ideo non fit auctor per ſe mendacii, nec vult mentientis verba habere pro ſuis. At fieret auctor per ſe mendacii, ſi ipſemet antecedenter mendacium vellet, neque reſpectu Dei ulla datur neceſſitas utendi mendaciis, ſed infinitis aliis modis poteſt ſuccurrere. Ad Conf. iterum nego paritatem. Mendacium eſt intrinſece malum, & ſemper opponitur veracitati; at reſtrictiones ſenſibiles ex ſe nulli virtuti repugnant, & quandoque per illas ſocialis vita, & commercium humanum potius promovetur; hinc ſi adſit juſta cauſa ad ſervandum ſecretum licite adhibentur; incommoda vero, quæ inde ſequuntur, ſunt per accidens ob inadvertentiam audientis.

54 Obj. 4. Solus Deus poteſt eſſe objectum virtutis theologicæ: ergo non omnia revelata ſunt objectum fidei theologicæ. Conf. Proximus non eſt eodem modo objectum charitatis theologicæ, quo eſt Deus: ergo res creatæ non ſunt eodem modo objectum fidei theologicæ, quo Deus; alias omnia revelata eſſent æque credibilia, ac certa, cum tamen

men objectum increatum longe magis sit necessarium. Resp. Dist. Ant. Solus Deus potest esse objectum formale virtutis theologicæ, Conc. Ant. materiale, Subdist. materiale primarium, Conc. Ant. adæquatum, & etiam secundarium, Neg. Ant. nec plus vult S. Thomas, quando q. 14 de verit. art. 8 ait, revelata, quæ sunt extra Deum, ad fidem pertinere per accidens. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quia bonitas divina a creaturis tantum participatur extrinsece, utique non sunt æque amandæ ac ipse Deus. At revelatio divina omnes res æqualiter facit credibiles; sive enim Deus aliquid revelet de se, sive de aliis, semper est æque veridicus. Hinc omnia revelata sunt æque certa certitudine extrinseca, quam habent a revelatione divina; licet non sint æqualiter certa certitudine intrinseca, quam habent ratione suæ entitatis ex principiis intrinsecis. Sic ex principiis intrinsecis certior est existentia Dei, quam creaturarum.

Dices 1. Juxta nos etiam illa possent, 55
ac deberent proxime credi, quorum revelatio nondum est sufficienter proposita: imo quæ præcise possunt revelari; nam vis motiva revelationis consistit in hoc, quod sit revelatio Dei, non quod sit præsens, vel futura, facta, vel possibilis, ignota, vel nota. Conf. Qui negaret, verum esse id, quod Deus potest revelare, esset hæreticus: ergo quod Deus potest revelare, potest proxime credi. Resp. Neg. Ant. cum ratione addita, sicut non possumus proxime sperare, quod actu nondum est promissum, neque fidelitas ad illud dandum obligat: ita non possumus proxime credere, quod actu non est revelatum, aut nobis nondum sufficienter propositum.

Unde vis motiva proxima revelationis involvit actualem illius existentiam, & applicationem, quæ fit per sufficientem notitiam revelationis. Ad Conf. Dist. Ant. esset hæreticus, quia negaret veritatem nondum revelatam, Neg. Ant. Quia negaret veritatem revelatam, Conc. Ant. & Neg. Conf. quod Deus non possit revelare falsum, sed omne, quodcunque potest revelare, verum sit, actu revelatum est. Hinc magnum est discrimen inter istas duas propositiones: Credo illud esse verum, quod Deus potest revelare, & credo hoc, quia potest esse, ut Deus illud revelet.

56 Dices 2. Qui crederet aliquod mysterium, quia cras est revelandum, eliceret actum fidei: ergo etiam qui crederet aliquod mysterium, quia cras a Deo potest revelari. Ant. Prob. Qui hodie vellet facere, quod cras certo præcipietur, exerceret actum obedientiæ, & qui vellet subvenire miseriæ proximi, quæ prudenter timetur, exerceret actum misericordiæ. Ergo a pari. Conf. Qui actu videns Petrum diceret, assentio existentiæ Petri, quia potest revelari, eliceret actum fidei, cum sola fides revelationem tanquam motivum formale attingat. Resp. Dist. Ant. si per revelationem divinam actu factam constaret de revelatione futura, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Quia tunc Deus nondum interposuit suam auctoritatem, adeoque nondum datur motivum formale fidei. Ad Prob. Neg. Ant. quoad 1mum membrum, quod multi etiam negant quoad 2dum, saltem nisi ille, qui nondum pauperi aliquid largitur, id faciat ideo, ut paupertas impediatur. Ad Conf. Neg. Ant. Talis assensus non niteretur revelatione ut testificatione, & per modum dicti, quod pro-

proprium est fidei ; sed præcise per modum medii essentialiter cum re præsente connexi, in quantum intuens existentiam Petri a posteriori inferret, illam a Deo posse revelari, & sic esse veram, quæ illatio non est actus fidei, sed scientiæ.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo objecta implicite revelata possint credi fide divina?

Revelatio proprie dicta est manifestatio rei 57
occultæ, non qualiscunque, & per signum mere naturale, ut quando Deus producendo mundum se suasque perfectiones nobis manifestavit, sed per signum ad placitum, quo revelans alteri loqui, & conceptus suos indicare vult. Objecta explicite revelata dicuntur, quæ sunt clare revelata in se secundum suum conceptum formalem, & explicitum: implicite vero revelata sunt, quæ in explicite revelatis formaliter quidem continentur, sed tantum implicite, & confuse. Talia censentur partes objecti explicite revelati tum potestativæ, tum actuales, sive physicæ, sive metaphysicæ. Partes potestativæ vocantur termini inferiores respectu superioris e. g. species respectu generis, individua respectu speciei, propositio particularis respectu universalis. Partes actuales physicæ e. g. respectu hominis sunt anima, corpus, & unio, partes metaphysicæ animal, & rationale. Quæritur jam, utrum objecta implicite revelata sint simpliciter revelata, & pertineant ad objectum materiale fidei, ita, ut non solum possint credi aliquo modo implicite, quod nemo negat, sed etiam explicite, & secundum se.

58 Dicendum. Objecta implicite revelata ordinarie possunt credi explicite, si sufficienter constet illa contineri in explicite revelatis, ita Suarez, Ulloa, Lug. aliique communissime. Prob. Talia objecta ordinarie sunt revelata, & de fide tam quoad se, quam quoad nos: ergo explicite possunt credi fide divina. Ant. Prob. quoad 1mum membrum. Quando tam loquenti, quam audienti sufficienter constat, quae partes sub toto, & veritates particulares contineantur sub universali, tunc, qui testatur aliquid explicite de veritate universali, & toto, id ipsum etiam vult testari de veritatibus particularibus, & partibus sub toto contentis. Sic qui dicit existere hominem etiam intendit dicere existere animal rationale, compositum ex corpore, & anima inter se unitis. Qui certo sciens Petrum esse theologum, alteri idipsum scienti testaretur, omnem theologum esse doctum, hoc ipsum vellet testari de Petro: ergo cum Deus omnes veritates particulares sub universali, & partes sub toto contentas clarissime perspiciat, revelando veritatem universalem aut totum, etiam vult revelare partes, & veritates particulares contentas, quando simul videt, quod homini, ad quem loquitur, sufficienter constet, illas veritates particulares sub universali, & partes sub toto contineri. Conf. Juxta dictum de omni, qui dicit omnem hominem esse animal rationale, hoc ipso saltem confuse, & implicite dicit & Petrum esse animal rationale, & Paulum esse animal rationale &c.: ergo si tam loquenti, quam audienti constet, quaenam individua sub propositione universali contineantur, perinde est, ac si singula distincte enumerarentur.

Pro-

Probatur antecedens ſuperius etiam quoad 2dum membrum. Quando nobis ſufficienter conſtat, quod Deus aliquid ſimpliciter revelaverit, nihil obſtat, quo minus illud proxime poſſimus credere: ergo implicite revelata etiam ſunt de fide quoad nos, ſi ſatis cognoſcimus illa ſub explicite revelatis contineri; hoc enim poſito Deus non minus ſibi vult credi implicite, quam explicite revelata. Sic qui in humanis vellet ſibi credi omnem theologum eſſe doctum, vellet etiam ſibi credi Petrum eſſe doctum, & haberetur pro auctore falſidico, ſi id negaretur ab alio, cui conſtat Petrum eſſe theologum. Sic ſi Confeſſarius diceret omnes hodie mihi confeſſos abſolvi à peccato mortali, & aliunde conſtaret, quod Petrus ſit ipſi confeſſus, juxta omnes revelaſſet ſigillum ſacramentale, & teſtaretur Petrum confeſſum eſſe peccatum mortale. Conf. Si implicite revelata non poſſent credi explicite, nemo fide divina de ſe in particulari poſſet credere, quod ſit redemptus a Chriſto, quod ad conſequendam ſalutem indigeat gratia Dei, quod ſit damnandus, ſi in peccato gravi moriatur; atqui hæc repugnant communi ſenſui fidelium, nec ſatis concordant cum illa fide explicita S. Pauli ad Galat. 2. v. 20: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* 59

Dixi implicite revelata ordinarie poſſe credi explicite, niſi videlicet aliunde colligatur, quod Deus revelando objectum univerſale noluerit revelare quævis particularia ſub eo contenta, vel certe, quod non infundat illuſtrationem ſupernaturalem ad hæc objecta explicite credenda. Sic quia Deus noluit, de ſtatu gratiæ nos eſſe certos certitudine fidei, non poſ- 60

possum citra specialem, & explicitam revelationem fide divina credere me esse in gratia, etsi Deus revelaverit hanc universalem: omnis rite absolutus est in gratia; & licet ego re ipsa sim absolutus, idque mihi certo constaret. Dixi 2. Si sufficienter constet, objecta particularia in universali contineri, intellige, notitia vera; si enim objectum particulare re ipsa non contineretur in objecto explicite revelato, non posset credi fide divina, quamvis moraliter, vel etiam physice certo contineri existimaretur. Sic quamvis revelatum sit, omnem hominem decedentem in gratia esse salvandum, & insuper moraliter certum esse ponatur, Petrum in gratia decessisse. Si tamen re ipsa in gratia non decessisset, non posset credi, illum esse salvandum, quia falsum nunquam potest credi fide divina, ut alibi ostendetur.

Objectiones.

61 OBj. 1. Objecta tantum possunt credi eo modo, quo sunt revelata; nam modus revelandi trahit post se modum credendi: ergo objecta implicite revelata non possunt credi explicite. Conf. Homines terminos universales tantum instituerunt ad particularia confuse significanda; nam instituendo e. g. has voces: Omnis homo, tantum habuerunt cognitionem confusam singulorum: ergo Deus loquens per voces universales non vult distincte revelare particularia: ergo neque vult, ut distincte credantur. Resp. Dist. Ant. Objecta tantum possunt credi eo modo &c. id est, nullus modus, aut circumstantia ex parte objecti potest credi, quin sit revelata, Conc. Ant. etiam modus tendendi ex parte actus fidei debet per omnia esse similis modo tendendi revelationis,

Neg.

Neg. Ant. alias objecta explicite revelata nunquam possent credi implicite, quod certo falsum. Ad Conf. Neg. Ant. Voces universales institutæ sunt, ut confuse, vel distincte significent pro captu audientium, nam significant etiam respectu Angelorum, & Dei, qui confusam cognitionem habere nequit; hinc quamvis instituentes hos terminos: Omnis homo, explicite de singulis e. g. de Petro non cogitaverint, nihilominus possunt illi, cui nunc applicantur, Petrum significare distincte, & quidem ex institutione hominum. Posset etiam distingui Consequens: ergo Deus per voces universales non vult revelare particularia, si non sufficienter constet, illa sub universalibus contineri, Trans. Conf. secus, Neg. Conf.

Dices. Actus fidei pro motivo adæquato debet habere solam auctoritatem, & revelationem divinam; atqui hoc non fit, si creduntur implicite revelata; ut enim credam e. g. me esse redemptum a Christo, non sufficit revelatio universalis: Omnis homo est redemptus a Christo, sed insuper etiam pro motivo inadæquato debet concurrere veritas naturalis, quod ego sim homo. Conf. Non apparet, unde possim infallibiliter cognoscere, quod Deus explicite revelando veritatem universalem, etiam revelaverit, me esse redemptum: ergo. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Sicut e. g. locutio parochi, quo rustico fit credibile aliquod mysterium, non est motivum intrinsecum fidei; ita veritas naturalis, quod sim homo, tantum est motivum extrinsecum, quo cognosco me contineri sub revelatione universali, & consequenter credibile esse, etiam meam redemptionem esse implicite revelatam; ipse autem actus fidei nititur sola auctoritate, & revelatione divina hoc modo: **Credo me a Christo esse redem-** 62

demptum, quia Deus infinite veridicus explicite revelando, omnem hominem esse redemptum a Christo, implicite etiam revelavit, me esse redemptum a Christo. Ad Conf. dico, istud ultimato infallibiliter cognosci ope illustrationis supernaturalis, quæ supposita sufficienti notitia, quod aliquod objectum particulare contineatur in universali explicite revelato, a Deo infunditur, & revelationem implicitam ita suasive proponit, ut de illa infallibiliter certificemur.

63 Obj. 2. Si implicite revelata possent credi fide divina, de quolibet homine e. g. de Platone possemus credere, quod sit redemptus a Christo; sequela videtur falsa, quia alias redemptio Platonis nobis certior esset, quam ejus existentia, cum tamen hæc ad illam præsupponatur. Conf. Nisi aliunde sciremus, Platonem fuisse hominem, Deus implicite non revelasset illum esse redemptum a Christo: ergo neque de facto id revelavit, cum utique nostra scientia se habeat mere per accidens ad sensum revelationis; sed hic desumi debeat ex institutione hominum. Resp. Trans. Maj. Licet enim ad finem revelationis explicitæ: Omnis homo est redemptus, valde proficuum sit, ut quilibet de se ipso credere possit se redemptum esse, quia sic potentius stimulatur ad spem, gratitudinem, & amorem sui Redemptoris; putant tamen aliqui ad finem ejusdem revelationis non pertinere, ut de quolibet alio explicite credamus, illum a Christo esse redemptum, Neg. min. quam non probat ratio addita, cum plura alia e. g. motiva credibilitatis ad actum fidei præsupponantur, quæ sunt minus certa, quam ipse actus fidei subsequens, & objectum ab illo affirmatum. Ad Conf. Dist. Ant. Deus non revelasset quoad nos, & in actu secundo Platonem

nem esse redemptum, Conc. Ant. non revelasset hoc in se, & in actu primo, Neg. Ant. In hoc casu non tam deesset revelatio, quam applicatio revelationis, ex cujus defectu sæpe aliqua, quæ Deus revelavit, a nobis credi non possunt, quando videlicet sensus revelationis, & vis significandi vocum nos latet.

Dices. Si possemus credere, quod Plato sit redemptus a Christo, pariter possemus credere, quod exstiterit, quod fuerit homo &c. posterius est falsum: ergo. Maj. Prob. Hæc propositio: Plato est redemptus, est in materia contingenti, & affirmat existentiam sui subjecti: ergo. Conf. In hoc discursu: Omnis homo, qui exstitit, est conceptus in peccato originali; sed Plato exstitit: ergo est conceptus in peccato originali. Major est explicite revelata, minor moraliter certa; ergo conclusio est de fide; atqui conclusio importat existentiam Platonis: ergo. Resp. Neg. Maj. Si enim existentia Platonis per eundem actum cum ejus redemptione credi posset, deberet esse revelata saltem in complexo; hoc dici nequit, alias etiam posset credi per actum distinctum, sicut omnia alia objecta in aliquo complexo revelata per actum distinctum credi possunt. Porro propositio in materia contingenti tunc solum importat existentiam subjecti, quando de illo prædicatur exercitium physicum vel actualis forma subjecto intrinseca, non item si denominatio tantum est extrinseca, vel intentionalis uti e. g. Plato est cognitus, redemptus &c. Ad Conf. Transmisso enthymemate, Neg. min. subsumptam, quod scilicet hæc conclusio existentiam subjecti ita importet, ut credi possit; nam Deus hanc existentiam non revelavit, ut magis patebit ex quæstione sequenti. 64

Obj.

65 Obj. 3. Juxta noſtram concluſionem Deus revelando unum prædicatum implicite revelaret omnia reliqua cum illo realiter identificata; nam iſta non minus ſe habent ut includens, & incluſum, quam totum & pars, univerſale, & particulare, Sequela non poteſt admitti; alias Deus revelando unicam ex ſuis perfectionibus, eo ipſo implicite revelaret omnes reliquas. Conf. Cognito uno prædicato cognoſcuntur omnia reliqua cum illo identificata; ergo uno revelato revelantur reliqua. Reſp. Diſt. Maj. Revelaret omnia reliqua, inter quæ intercedit ſola diſtinctio rationis ratiocinantis, Tranſ. Maj. inter quæ intercedit diſtinctio rationis ratiocinatæ, aut omnino virtualis, Subdiſt. revelaret ea materialiter, & quoad ſe, Tranſ. Maj. formaliter, & quoad nos, Neg. Maj. Ut aliquid cenſeatur eſſe revelatum, præter continentiam unius in altero requiritur intentio loquentis, qua utrumque vult teſtari; jam vero Deus revelando ſuam omnipotentiam non eo ipſo intendit etiam revelare ſuam æternitatem, immenſitatem &c.; ſed hæc prædicata in Scriptura revelavit per locutiones diſtinctas. Ad Conf. Diſt. Ant. Cognoſcuntur etiam reliqua prædicata realiter, & materialiter, Conc. Ant. formaliter, Neg. Ant. & eodem modo conſequentiam. Ad fidem, & revelationem alicujus prædicati proprie dictam requiritur, ut loquens illud manifeſtet, & teſtetur aliquo modo formaliter, ſaltem implicite, & confuſe.

66 Dices. Saltem Deus revelando definitum juxta nos implicite revelaret ejus definitionem; hoc rurſus falſum; alias ut arguit Arriaga, quando Deus revelavit in templo Jeroſolymitano fuiſſe columbas, eo ipſo etiam revelaſſet, quænam ſit illarum definitio. Conf. Si objecta implici-

plicite revelata poſſent credi explicite, iſta objecta eſſent articuli fidei; hoc nemo facile dixerit: ergo. Reſp. Diſt. Maj. revelando definitum revelaret ejus definitionem, id eſt, revelaret, quænam ſit illius definitio nempe formalis, Neg. Maj. revelaret, quod ei, cui convenit, definitum etiam definitio conveniat, Subdiſt. revelaret hoc reſpectu eorum, de quibus aliunde ſufficienter conſtat hanc definitionem convenire huic definito, Conc. Maj. reſpectu aliorum, Neg. Maj. Quando Deus revelavit Chriſtum eſſe hominem, non quidem per hoc revelavit, quænam ſit definitio hominis, revelavit tamen implicite Chriſtum eſſe animal rationale, adeoque explicite hoc poſſumus credere, & propoſitio contradictoria eſſet contra fidem. Hinc magnum eſt diſcrimen inter iſtas propoſitiones: Deus revelavit, quod homo ſit, vel definiatur animal rationale, &: Deus revelando Chriſtum eſſe hominem implicite revelavit illum eſſe animal rationale. Ad Conf. Neg. Maj. quæ eſt de modo loquendi, cui ut hic, & deinceps nos accommodemus, explicandæ ſunt aliquarum vocum acceptiones.

Symbolum fidei juxta Suarium diſp. 2 de fide ſect. 5 eſt brevis quædam ſumma, ſeu regula fidei ex variis articulis collecta, & fidelibus propoſita tanquam ſignum profeſſionis fidei. Articulus fidei eſt veritas aliqua a Deo revelata, & in ſymbolo contenta. Propoſitio fidei eſt quælibet veritas Deo revelata, quæ ſi pertinet ad communem Eccleſiæ doctrinam, dicitur propoſitio fidei divinæ Catholicæ, ſeu dogma; ſi vero non proponitur omnibus fidelibus credenda, vocatur propoſitio fidei divinæ theologicæ, quamquam fides infuſa Catholica, & theologica tantum accidentaliter diffe- 67

rant. Conclusio theologica est propositio, quæ in se non est revelata, sed ex una aut pluribus veritatibus immediate a Deo revelatis certo deducitur, quin tamen ipsa sit de fide. Multo minus ipsa conclusio formaliter spectata est actus fidei; non enim nititur sola auctoritate Dei loquentis, sed saltem partialiter veritate præmissarum, & connexione objectiva cum præmissis.

68 Propositio *hæretica* est, quæ directe, & immediate opponitur veritati a Deo revelatæ, & ab Ecclesia propositæ. *Hæresi proxima*, quam major, & sanior pars theologorum judicat esse hæreticam, quin tamen absolute talem pronuntiet, eoquod graves alii Theologi judicent, hanc censuram eidem inuri non debere. Propositio *erronea* est, quæ opponitur conclusioni theologicæ, *temeraria*, quæ est contra communem sensum Theologorum, ac Patrum *Schismatica*, quæ ex se est apta sine hæresi promovere schisma, id est, separationem fidelium a suo capite. Propositio *impia* vocatur, quæ est contra cultum Deo, vel Sanctis debitum. *Scandalosa*, quæ præbet occasionem peccati, sive contra fidem, sive contra mores. *Piarium aurium offensiva*, quæ in materia religionis docet aliquid indecens. *Male sonans*, quæ abutitur vocibus contra communem sensum fidelium. *Suspecta*, quæ videtur innuere latentem hæresim. Vid. Suarez. disp. 19 sect. 2.

69 Quæres. An Ecclesia, dum aliquid definit, condat novos articulos fidei? Resp. 1. Sicut dubium non est, quin articuli fidei simpliciter creverint, si consideretur tempus ab Adamo usque ad Christum, cum Deus multa successive revelaverit Abrahamo, Moysi &c. & plura Ecclesiæ Christi per Christum, & Apostolos: ita

a

a tempore Chriſti, & Apoſtolorum juxta communem Theologorum ſententiam nulli novi articuli fidei ſimpliciter fuerunt conditi, ſed fides antiquorum Patrum quoad ſubſtantiam fuit eadem cum noſtra fide, & Chriſtus Apoſtolis manifeſte teſtatus eſt, quod tum ipſemet illis nota fecerit omnia, quæ audivit a Patre, tum Spiritus ſanctus ipſos docturus ſit omnem veritatem Joan. 15 & 16. Dein Deus interea nec per ſe, nec per Angelos novum articulum revelavit, nec id fecit per Eccleſiam; hæc enim nihil unquam definivit ut fide divina credendum, quod non jam antea in revelationibus, & traditionibus divinis aliqua ratione continebatur, ut patet ex perpetuo uſu, & praxi Eccleſiæ, quæ antequam aliquam veritatem fidei definiat, diligenter ſenſum Scripturæ, traditiones apoſtolicas, nec non Patrum teſtimonia ſcrutari ſolet, ut inde appareat, an proponendum dogma in revelationibus a Deo jam antea factis contineatur.

Reſpondeo 2. Nihilominus a tempore Chri- 70
ſti creverunt articuli fidei ſecundum quid, in quantum nunc aliqua debent credi explicite, quæ prius quoad nos nondum erant de fide. Quippe Eccleſia habet, & ſemper exercuit poteſtatem, ac infallibilem auctoritatem explicandi, & applicandi relevationes divinas tam ſcriptas, quam non ſcriptas, & earum ſenſum determinandi; hæc enim poteſtas neceſſaria eſt ad extinguendas hæreſes ex obſcuritate Scripturæ ortas, & ad decidenda dubia de exiſtentia traditionis, ac intelligentia revelationum explicitarum. Unde qui infallibilitatem in definiendis tanquam de fide certis propoſitionibus Eccleſiæ negaret, juxta omnes Theologos formaliter eſſet hæreticus, & quilibet fidelis tenetur profiteri om-

nes articulos in professione fidei contentos, qui a Conciliis tum antiquioribus tum Tridentino fuerunt definiti, & declarati. Imo aliqui putant hoc ipso, quod Ecclesia aliquod dogma definiat, illud implicite fuisse revelatum. Probant hoc discursu. Omne, quod Ecclesia assistente Spiritu sancto definit, est infallibiliter verum: atqui hoc dogma Ecclesia Spiritu sancto assistente definit: ergo est infallibiliter verum. Quae conclusio cum sit deducta ex duabus praemissis de fide, etiam ipsa videtur esse de fide, ut alibi magis declarabitur.

QUÆSTIO III.

An, & quomodo virtualiter revelata possint credi fide divina?

71 OBjecta virtualiter revelata confundunt aliqui cum implicite revelatis, plerique autem illa sollicite distinguunt; nam implicite revelata aliquo modo formaliter, & secundum suum proprium conceptum, licet confuse tantum, in objecto explicite revelato comprehenduntur. Econtra objecta virtualiter, seu ut alii loquuntur, solum mediate revelata, nullo modo formaliter in objecto explicite revelato continentur, sed cum eo tantum habent necessariam connexionem, vel metaphysicam, & absolute indispensabilem, vel physicam, aut moralem, qualem connexionem habent proprietates tum physicae, tum metaphysicae cum sua essentia, effectus necessarius cum sua causa, & vicissim causa cum effectu. Disputatur jam ulterius, utrum etiam ista objecta possint credi fide divina. Affirmativam praesertim de metaphysice connexis tenent Bellarm. Vasquez, Platel. Tanner &c. negativam Suarez, Molina,

na, Lugo, Tourneli &c. ego media via incedam.

Dicendum 1. Quando Deus aliquod objectum explicite revelat, non hoc ipso universim, & semper revelata sunt, quæ cum ipso habent necessariam connexionem. Prob. Quando Deus aliquod objectum revelat, non hoc ipso debet, aut vult manifestare omnia cum illo connexa: ergo &c. Ant. quoad primum membrum videtur patere, tum quia res connexæ neque sunt ipsum objectum revelatum, neque illius partes; tum quia revelatio proprie dicta est allocutio seu manifestatio conceptus directa ad alterum ex intentione, ut is veniat, vel saltem venire possit in cognitionem rei, quæ revelatur; potest ergo intendere revelare unum objectum, quin intendat revelare omnia connexa: e. g. potest Deus revelare Incarnationem, quin hanc ipsam revelationem dirigat ad manifestandum mysterium Trinitatis, & similia alia, cum quibus Incarnatio connectitur, cum cognitio, & conceptus Incarnationis sit omnino separabilis, ac distincta a cognitione aliorum cum ipsa connexorum. Conf. Potest Deus revelare unum prædicatum, quin hanc revelationem dirigat ad manifestanda alia realiter identificata, quando ejusmodi prædicata habent conceptus formales diversos, ut quæstione præcedente adverti; ergo multo magis potest revelare unum objectum, quin formaliter manifestet alia cum ipso connexa. 72

Probatur superius antecedens etiam quoad 2dum membrum, partim negative, partim positive. Si enim Deus revelato uno objecto semper vellet revelare omnia connexa, tunc per revelationem cujuscunque rei e. g. muscarum Ægyptiacarum revelasset omnia sua præ- 73

 dica-

dicata divina, ipſamque Trinitatem; cum quibus exiſtentia cujuscumque rei metaphyſicam connexionem habet, adeoque vi hujus revelationis hæc omnia fide divina credi poſſent, quod plane abſurdum. Multo minus Deus uno objecto revelato ſemper vult revelare omnia ſolum phyſice, aut moraliter connexa; cum enim hæc connexio abſolute ſit violabilis, poſſet dari objectum explicite revelatum, quin darentur phyſice aut moraliter cum illo connexa, conſequenter revelatio divina poſſet falſificari: Sic revelatum eſt, quod in fornace babylonica fuerit ignis, neque tamen ideo eſt revelatum, quod in illo datus fuerit calor, & combuſtio trium puerorum. Neque juvat dicere, quod revelato explicite uno objecto cætera præſertim metaphyſice connexa ſaltem revelentur indirecte, virtualiter, & quoad ſe; nam iſta revelatio virtualis non eſt manifeſtatio, & locutio proprie dicta, quæ ad fidem explicitam neceſſario requiritur, ſed hi termini ſolum ſignificant, quod alia objecta cum objecto explicite revelato habeant neceſſariam connexionem. Conf. In humanis non ſemper in ordine ad fidem obtinendam affirmantur omnia connexa cum eo, quod explicite affirmatur, ut conſtat ab experientia: ergo a pari.

74 Dicendum 2. Poſſunt tamen objecta neceſſario connexa quandoque cenſeri proprie revelata, ſi a vocibus, vel aliis ſignis revelationis explicitæ ſignificentur juxta communem acceptionem, & circumſtantias, in quibus adhibentur. Prob. Omnia illa debent cenſeri vere, ac ſimpliciter revelata, quæ Deus per revelationem externam ſimpliciter dicit, & teſtari vult; atqui Deus per revelationem explicitam alicujus objecti ſimpliciter dicit, & teſtari vult etiam objecta neceſſario connexa,

quæ a vocibus, & aliis ſignis dicto modo ſignificantur; ergo ejusmodi objecta vere ſunt revelata, & etiam proxime fide divina credibilia, ſi de eorum revelatione, & connexione ſufficienter conſtet. Min. Prob. Deus loquens hominibus loquitur modo ipſis accommodato, & utitur vocibus in ea ſignificatione, in qua uſurpari ſolent ab hominibus; atqui homines ita uſurpant voces, ut ſæpe dicere, & ſignificare velint, non ſolum illud objectum, quod per ſe, & immediate ſignificant, ſed etiam alia, quæ conſtat eſſe connexa. Sic ſi interroganti: An Judas eſt in inferno? vel S. Petrus in cælo? reſponderem: Ille in deſperatione eſt mortuus, hic pro Chriſto Martyr occubuit, juxta communem intelligendi modum affirmarem Judam eſſe in inferno, S. Petrum in cælo. Sic quia Deus revelavit, Chriſtum verum Deum conceptum eſſe de Spiritu ſancto, & natum ex Maria Virgine, cenſetur etiam revelaſſe S. Joſephum non fuiſſe naturalem Patrem Chriſti, Mariam Virginem autem eſſe vere Matrem Dei.

Objectiones.

OBj. 1. Concilia, & Patres complura objecta virtualiter ſolum revelata cenſuerunt 75 eſſe credenda fide divina, eaque tanquam dogmata fidei definierunt, ut multis exemplis probant Adverſarii: ergo objecta virtualiter revelata ſunt proprie revelata. Conf. Habitus fidei debet extendi ad omnia objecta, quorum aſſenſus mediate, vel immediate in motivum fidei reſolvitur; atqui etiam aſſenſus objectis connexis præſtitus reſolvitur in motivum fidei: ergo. Maj. Prob. Habitus charitatis extendit ſe ad omnia objecta, quæ amantur pro-

 pter

pter Deum e. g. ad amandum proximum, aut media conducentia ad amorem Dei : ergo. Resp. Omitt. Ant. Dist. Conf. ergo objecta virtualiter revelata sunt proprie revelata, si ex ipso fine revelationis, vel auctoritate Ecclesiæ colligitur, quod Deus in his circumstantiis illa voluerit manifestare, Conc. Conf. semper, & universim, Neg. Conf. Ad Conf. Transf. Maj. Neg. min. Quando Deus objecta connexa non est locutus, nec manifestare voluit, assensus illis præstitus non resolvitur in revelationem divinam, sed ad illa affirmanda potius movet connexio cum objecto revelato, aliunde nobis noto. Quis enim dicet assensum, quo affirmo mysterium Trinitatis resolvi in revelationem de muscis Ægyptiacis factam. Hinc ad Conf. non est paritas. Quippe hoc ipso, quod proximum, & media conducentia ad amorem diligam propter Deum, id facio ex motivo charitatis.

76 Ad exempla, quæ Adversarii hic congerere solent, observari potest 1. Quod nonnunquam potius sint formaliter, quam virtualiter tantum revelata. Sic, quando Patres ex illo Christi Joan. 10 v. 30: *Ego, & Pater unum sumus*, contra Arianos intulerunt, quod Filius sit Patri consubstantialis, potius fuit explicatio terminorum, quam deductio; nam sensus verborum Christi est: Ego & Pater unum sumus quoad naturam, essentiam, & substantiam, quem eundem sensum reddit propositio definita: Filius est Patri consubstantialis. 2. Sicut Patres & Concilia ad confirmanda dogmata nonnunquam adhibent rationes mere naturales: sic etiam recurrunt ad ea testimonia Scripturæ, ex quibus veritates fidei solum mediate deducuntur. Sic ex eo, quod Spiritus sanctus dicatur: *Missus a Patre, & Filio* contra

tra Sabellianos intulerunt, illum realiter a Patre, & Filio diſtingui. Interim hoc dogma immediate, & explicite adſtruitur 1 Joan. 5 v. 7: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*, nempe in eſſentia. 3. Quandoque Patres, & Concilia veritates fidei potius probarunt ex traditione, quam ex Scriptura. Hoc modo contra Monothelitas probarunt duas in Chriſto voluntates, ut patet ex epiſtola ſynodica Agathonis Papæ. Fateor tamen, magnum laborem ſubiturum, qui oſtendere vellet omnia a S. Conciliis, & Pontificibus definita non ſolum virtualiter revelata eſſe, ſed formaliter in verbo Dei ſcripto, aut tradito contineri.

Obj. 2do. Quando Deus aliquid revelat, hoc ipſo debet revelare omne id, quo negato ejus teſtimonium non eſſet verum: ergo debet, & vult revelare omnia objecta neceſſario connexa, præſertim ſi audienti conſtet, illa connexa eſſe. Si enim in tali caſu audiens objectum connexum negaret, hoc ipſo negaret, vel Deum aliquid eſſe teſtatum, vel ejus teſtimonium eſſe verum. Conf. Auctoritas Dei revelantis eſt motivum ſufficiens, ut credantur omnia cum objecto revelato connexa, & ad ipſam veracitatem divinam pertinet, ut hæc etiam neceſſario vera ſint. Reſp. Neg. Maj. Quamvis omnia, quæ cum objecto revelato indiſpenſabiliter connectuntur, debeant eſſe vera, & nihil eorum negari poſſit, ideo Deus non debet habere intentionem illa manifeſtandi. Sic hæc veritas: Ego ſum redemptus: indiſpenſabiliter connectitur cum mea exiſtentia, non tamen ideo Deus meam exiſtentiam debuit revelare; imo fruſtra illam revelaſſet, cum notitia meæ exiſtentiæ neceſſario jam præſupponatur ad affirmationem revelationis de

mea redemptione. Hinc qui negaret aliquid cum objecto revelato connexum, objectum revelatum ſolum negaret mediate, & arguitive, non immediate, & formaliter. Ad Conf. Diſt. Ant. ſi etiam objecta connexa ſunt revelata, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Veritas objectorum connexorum ad veracitatem divinam tantum pertinet mediate, quatenus connectuntur cum objecto revelato.

78 Dices. Qui aliquid revelat, hoc ipſo audienti etiam manifeſtat eſſentialiter connexa, ſi prævideat illum jam aliunde intelligere terminos connexionis: ergo non debet expreſſe intendere, ut audientem ducat in cognitionem objectorum connexorum, neque hæc intentio eſt de ratione locutionis. Conf. Implicite revelata ſufficienter a Deo manifeſtantur, & ſaltem quoad ſe ſunt credibilia; ergo etiam virtualiter revelata. Reſp. Neg. Ant. Revelans non loquitur ſibi, ſed aliis: ergo ad illos debet dirigere locutionem ſaltem indirecte, & intendere ut illis manifeſtentur ſui conceptus. Hinc dum aliquid narro Petro, non ideo cenſeor loqui homini excommunicato, tunc forte præſenti, ad quem tamen meam allocutionem non dirigo; hinc poſſum teſtari Paulum dinon ſputaſſe, quin per hoc teſtimonium velim revelare, quod ſit homo. Licet itaque intentio ducendi audientem in cognitionem non ſit de ratione locutionis præciſe materialis, ſeu prolationis vocum, eſt tamen de ratione locutionis formalis, qua loquor ad alterum. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quæ implicite revelata ſunt, ſub explicite revelatis continentur aliquo modo formaliter ita, ut ſola terminorum expoſitione indigeant; hinc Deus illa ordinarie cenſetur immediate manifeſtare: quæ vero cum objecto revelato tantum ſunt connexa,

nexa, in illo non continentur formaliter, sed primum mediante notitia connexionis inde deducuntur.

Obj. 3. Juxta nostram sententiam Deus posset revelare essentiam hominis, quin revelaret ejus risibilitatem; hoc non potest admitti, alias etiam posset revelare essentiam hominis sine animalitate. Conf. Deus revelando Christum esse hominem, hoc ipso voluit testari omnia prædicata, quæ terminus Homo significat respectu audientis; atqui inter hæc est risibilitas, quando audiens ejus indispensabilem connexionem cum essentia hominis cognoscit: ergo. Resp. Dist. Maj. Deus posset revelare essentiam hominis, quin revelaret risibilitatem realiter, materialiter, & physice, Neg. Maj. formaliter, & theologice, in quantum revelatio essentiæ non necessario a Deo debet ordinari, ad significandam risibilitatem, Conc. Maj. Licet essentia, & risibilitas hominis realiter sint inseparabiles, nihilominus illarum conceptus formales realiter separari possunt, & aliter homo concipitur per prædicata essentialia: animal rationale, quam per prædicatum risibilitatis, quod in essentia hominis non includitur formaliter, sicut includitur animalitas, adeoque inter hæc duo prædicata non est paritas. Ad Conf. Dist. Maj. Vult testari omnia prædicata, quæ terminus homo vel ex institutione hominum, vel ex circumstantiis significat aliquo modo formaliter, Conc. Maj. aliter, Neg. Maj. & suppositum, quod terminus homo formaliter risibilitatem significet. 79

Dices. Qui negaret Christum esse risibilem esset hæreticus: ut patet ex hoc discursu: Omnis homo est risibilis; Christus est homo: ergo est risibilis. In quo cum veritas majoris ponatur 80

tur esse evidens, conclusio negari non potest, quin negetur minor explicite revelata. Conf. Tali modo verificarentur contradictoria: Essentia hominis est revelata, risibilitas non est revelata. Humanitas Christi est de fide, risibilitas Christi non est de fide. Unde orirentur plures syllogismi contradicentes e. g. Risibilitas hominis est essentia hominis; sed risibilitas non est revelata; ergo essentia hominis non est revelata, quæ tamen revelata esse ponitur. Resp. Dist. Ant. esset hæreticus præsuppositive, Conc. Ant. formaliter, Subdist. præcise ob negatam risibilitatem Christi, Neg. Ant. si simul negaret veritatem revelatam in minore additi discursus contentam, Conc. Ant. Spectando præcise hanc revelationem: Christus est homo: altera propositio: Christus non est risibilis, non esset hæretica, sed tantum erronea, quia non habet oppositionem immediatam, & directam cum materia fidei catholicæ. Ad Conf. Neg. sequelam; si enim allatæ propositiones accipiuntur in sensu reali, & physico, tam essentia, quam risibilitas est revelata, & minor adducti syllogismi falsa; si vero accipiuntur in sensu formali, prout substant diversis conceptibus, non cadunt supra idem eodem modo sumptum, & in hoc sensu formali syllogismus objectus habet quatuor terminos, quia in majore essentia, & risibilitas accipitur realiter, in minore autem, & conclusione formaliter.

81 Obj. 4. Si Ecclesia nunc definiret aliquam veritatem virtualiter tantum revelatam e. g. Christum esse risibilem; hæc veritas deberet credi fide divina: ergo virtualiter revelata jam ante definitionem Ecclesiæ sunt credibilia; Ecclesia enim nihil definit, quod non est revelatum, nec quando aliquid definit novam revelatio-

lationem acquirit, aut per ſuam definitionem primum facit, ut illud revelatum ſit. Conf. Eccleſiæ nullibi eſt promiſſa aſſiſtentia Spiritus ſancti in definienda riſibilitate Chriſti; aut ſimili objecto virtualiter tantum revelato: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ergo virtualiter revelata jam ante definitionem Eccleſiæ ſunt credibilia ſemper, & univerſaliter, Neg. Conſ. aliquando, Subdiſt. ſunt credibilia quoad ſe, Conc. Conſ. quoad nos, Neg. Conſ. ſicut ex definitione Eccleſiæ colligimus, quod ſenſus aliquis Scripturæ, aut exiſtentia traditionis fide divina ſit credibilis: ita ſi Eccleſia definiret riſibilitatem Chriſti, inde colligeremus, quod Deus revelando humanitatem Chriſti etiam intenderit revelare ejus riſibilitatem: unde riſibilitas Chriſti per definitionem Eccleſiæ non primum redderetur credibilis, quoad ſe, ſed tantum ſenſus divinæ revelationis nobis infallibiliter applicaretur, ad quod ſufficit aſſiſtentia Spiritus ſancti ſine nova revelatione. Ad Conf. Diſt. Ant. aſſiſtentia Spiritus ſancti non eſt Eccleſiæ promiſſa explicite pro hac definitione, Conc. Ant. implicite, in quantum illi univerſaliter promiſſa eſt, ne unquam erret in definiendis rebus fidei, Neg. Ant. & Conſ.

Dices. Quamvis infallibiliter ſit verum, 82
quod Eccleſia aſſiſtente Spiritu ſancto definit, non tamen hoc ipſo eſt dogma fidei: ergo. Conf. Quando Eccleſia definit propoſitionem oppoſitam concluſioni theologicæ eſſe erroneam, hæc definitio non debet credi fide divina, nec qui illam negaret, formaliter eſſet hæreticus: ergo a pari. Reſp. Diſt. Ant. non eſt dogma, niſi Eccleſia illud definiat ut fide divina credendum, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Tournelius citans pro ſe Waldenſem, Canum, Lorcam,

&

& communem Thomiſtarum exiſtimat Eccleſiam definiendo objecta ſolum virtualiter revelata, illa non proponere ut credenda fide divina, quæ nititur auctoritate Dei, ſed ſolum fide Eccleſiaſtica, quæ nititur auctoritate Eccleſiæ definientis cum aſſiſtentia Spiritus ſancti, vi cujus etiam circa objecta, quæ proprie non pertinent ad fidem divinam, errare nequit, ſicut tamen errare poteſt fides humana, quæ nititur ſola auctoritate hominum. Econtra Suarez, Lugo, aliique plurimi docent, etiam objecta virtualiter revelata hoc ipſo fide divina fieri credibilia, quod ab Eccleſia ſimpliciter tanquam credenda proponantur. Id ipſum ſuadent ea, quæ diximus num. 70. Certe qui Eccleſiæ negaret poteſtatem ejusmodi objecta definiendi tanquam dogmata fidei, nimis videretur tribuere hæreticis; cum enim Eccleſia jam plura contra hæreticos per Concilia, & Pontifices definierit, de quibus inter ipſos Catholicos controvertitur, ſintne alicubi formaliter, vel tantum virtualiter revelata, anſam arripere illi poſſent, contra ejusmodi definitiones Eccleſiæ excipiendi. Ad Conſ. Aliqui negant Antecedens, ſi autem verum eſt, tunc ideo, quia mens Eccleſiæ non eſt proponere propoſitionem errori oppoſitam ut fide divina credendam, prout riſibilitatem Chriſti proponere in objectione ponitur.

83 Obj. 5. Si aliqua objecta virtualiter revelata poſſent credi fide divina, tunc vi revelationis de perfectione, pulchritudine, & gubernatione hujus univerſi poſſet etiam credi potentia, ſapientia, aliæque perfectiones divinæ; hoc non videtur admittendum, alias actus fidei, quo crederem ſolam pulchritudinem mundi, eſſet æque perfectus, ac meritorius, quam alius

alius actus fidei, quo præter pulchritudinem mundi etiam crederem perfectiones divinas; quippe has ipſas etiam crederem per primum actum fidei. Conf. Si per revelationem de pulchritudine univerſi revelata eſſet ſapientia, & potentia Dei, tunc per revelationem explicitam cujuslibet creaturæ eſſet revelata exiſtentia Dei, quia quælibet creatura cum exiſtentia Dei eſt eſſentialiter connexa; hoc nimium: ergo. Reſp. Conc. Maj. Neque enim Scriptura pulchritudinem, & perfectionem hujus mundi præciſe ob ſpeculationem philoſophicam deprædicat, ſed ad laudandum Deum conditorem. Neg. min. Ad rationem additam dico, iſtos actus fidei eſſe æquales non quidem formaliter, ſed realiter quoad numerum objectorum creditorum. Item eſſe æquales quoad meritum, ſi conſtet credenti de connexione reliquorum cum objecto formaliter credito; ſi autem de hac connexione non conſtet, fides reliquorum objectorum ipſi non imputatur. Ad Conf. Neg. ſequelam, quia non poteſt probari, quod Deus revelationem cujuslibet creaturæ ordinaverit ad ſignificandam ſuam exiſtentiam.

Dices. Actus fidei, quo crederetur obje- 84
ctum virtualiter revelatum, neceſſario pro motivo inadæquato haberet connexionem cum objecto explicite revelato naturaliter cognitam: ergo hoc ipſo non eſſet actus fidei. Ant. Prob. Ut poſſem credere, quod Chriſtus habeat voluntatem humanam, quia explicite revelatum eſt, quod ſit homo, neceſſario pro motivo inadæquato deberem habere hanc veritatem: Omnis homo habet voluntatem humanam, quæ veritas tantum eſt connexa cum iſta: Chriſtus eſt homo, quin in hoc formaliter contineatur, ſicut implicite revelata continentur in explici-

te revelatis, quæ ſunt meræ expoſitiones ſubjecti veritatis explicite revelatæ. Conf. Exiſtentia fundamenti non eſt exiſtentia termini: ergo etiam revelatio fundamenti non eſt revelatio termini connexi. Reſp. Neg. Ant. Quamvis veritas objecti virtualiter revelati non ſit formaliter contenta in revelatione explicita, quia tamen cum illa eſt connexa, jam potuit ex intentione loquentis cum illa revelari, atque ita fieri de fide quoad nos, modo hæc revelatio per veritatem naturalem de utriusque objecti connexione nobis applicetur. Ferme ſicut num. 62 dixi de implicite revelatis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Etſi objecta connexa habeant exiſtentias ſaltem formaliter diſtinctas, neceſſario tamen dantur ſimul, unde revelato fundamento jam poteſt revelari terminus, ſi loquens illam revelationem intendat.

QUÆSTIO IV.

Quanta notitia requiratur, ut implicite, vel virtualiter revelata proxime credi poſſint?

85 Dixi in præcedentibus duabus quæſtionibus, quod objectum tum implicite, tum quandoque virtualiter revelatum ſit de fide non ſolum quoad ſe, ſed etiam quoad nos, ſiquidem ſufficienter conſtet, quod tali modo ſit revelatum. Declarandum jam ulterius, qualis vel quanta debeat eſſe notitia, ut proxime credi poſſint. Licèt autem plures dentur modi requiſitam notitiam comparandi; præcipuus tamen videtur eſſe, qui conſiſtit in legitimo diſcurſu, in quo veritas aliqua revelata per modum concluſionis deducitur ex una, aut pluribus præmiſſis de fide. Hinc a multis præſens quæſtio ita proponi ſolet: An, & quomodo

conclusio objectiva deducta ex præmissis, quæ sunt de fide, credi possit fide divina? Porro ego potissimum loquor de conclusione syllogismi categorici, & de implicite revelatis, ex quibus haud difficulter colligi poterit, quid sentiendum de virtualiter revelatis, si aliquando constet illa simpliciter revelata esse.

Dicendum 1. Implicite revelata plerumque possunt explicite credi, si per novam revelationem constet, illa sub explicite revelatis contineri, sive quod idem est, conclusio objectiva deducta ex duabus præmissis de fide, plerumque est de fide, ita communissima. Prob. In hoc casu certissimum est veritatem implicite revelatam contineri in revelatione divina explicita: ergo proxime potest credi. Ant. declaratur hoc syllogismo: Omnis Apostolus die Pentecostes repletus fuit Spiritu sancto; S. Petrus est Apostolus: ergo die Pentecostes repletus fuit Spiritu sancto. Ubi cum Major sit de fide, certum est dari revelationem universalem, quod omnis Apostolus die Pentecostes sit repletus Spiritu sancto. Cumque etiam de fide sit minor, pariter certum est, S. Petrum inter omnes Apostolos contineri: ergo etiam certum est, de S. Petro revelatum esse, quod die Pentecostes repletus fuerit Spiritu sancto; quæ veritas est ipsa conclusio objectiva. Conf. Qui negaret conclusionem ex talibus præmissis deductam, esset formaliter hæreticus. Cum enim negare non posset bonitatem consequentiæ, seu connexionem objectivam inter objectum præmissarum, & conclusionis, quia hanc evidenter penetrare ponitur, negaret unam ex præmissis, quas tamen rursus ponitur sufficienter cognoscere esse revelatas. 86

87 Dicendum 2. Implicite revelata ordinarie etiam poſſunt explicite credi, ſi ea contineri in explicite revelatis conſtet per evidentiam metaphyſicam, phyſicam, aut moralem ſtricte & poſitive talem; unde concluſio deducta ex majore univerſali revelata, & minore metaphyſice, phyſice, aut ſtricte moraliter certa, ordinarie eſt de fide. Ita communior. Quippe in his caſibus objectum implicite revelatum ordinarie in explicite revelato continetur, & inſuper habetur tanta certitudo, quod ita contineatur, quanta regulariter ſufficit, ut ipſa objecta explicite revelata credi poſſint, ac debeant; neque enim ſemper poteſt expectari nova revelatio, aut evidentia metaphyſica de exiſtentia revelationis, alias nulla religio poſſet firmiſſime teneri, quia in nulla habetur evidentia metaphyſica omnium myſteriorum ac dogmatum ad veram Religionem pertinentium. Hinc communiter cenſentur eſſe de fide ſequentes concluſiones: Omnis homo eſt redemptus a Chriſto; ego ſum homo: ergo ſum redemptus a Chriſto. Omnis homo eſt mortalis; Papa eſt homo: ergo eſt mortalis. Omnis homo reſurget; Cicero eſt homo: ergo reſurget. In quibus ſyllogiſmis Major eſt explicite revelata. Minor in primo eſt metaphyſice, in ſecundo phyſice, in tertio ſtricte moraliter certa.

88 Dicendum 3. Implicite revelata nunquam poſſunt credi fide divina, ſi ſub explicite revelatis continentur tantum probabiliter, aut late moraliter certo ita, ut concluſio deducatur ex majore univerſali revelata, & minore ſolum probabiliter vera, aut negative moraliter certa. Prob. Quia in his caſibus non ſatis conſtat de revelatione facta circa objectum implicite revelatum. Nam 1 ſola probabilitas

non

non sufficit, ut objecta etiam explicite revelata credi possint; alias fides posset stare cum formidine, aut dubio, quod damnatum ab Innocentio XI in hac propositione 21: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.* 2. Certitudo moralis tantum negativa, quæ præcise consistit in eo, quod non detur fundamentum dubitandi, quin tamen habeatur positiva ratio excludens omne prudens dubium, in materia fidei æquivalet probabilitati, alias divina fide credi posset objectum hujus conclusionis: Omnis rite absolutus est in statu gratiæ; ego sum rite absolutus: ergo sum in statu gratiæ; atqui hoc clare repugnat Tridentino, quod sess. 6 cap. 9 ita concludit: *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

Objectiones.

OBj. 1. Si implicite revelata possent explicite credi, quando per novam revelationem constat, illa sub explicite revelatis contineri, tunc fide divina credi posset omnis veritas metaphysice certa. v. g. Bis duo sunt quatuor. Idem non potest simul esse, & non esse; hoc nimium: ergo. Maj. Prob. ex hoc syllogismo. Omne id, quod a Deo cognoscitur esse tale, revera est tale; sed quælibet veritas metaphysice certa a Deo cognoscitur, & æstimatur esse talis: ergo revera est talis. Conf. In hoc syllogismo: Omne existens cognoscitur a Deo existere; sed ego existo: ergo cognoscor a Deo existere. Conclusio est de fide: ergo etiam in isto: Omne id, quod a Deo cognoscitur existere, existit; sed ego a Deo cognoscor existere: 89

 stere:

ſtere : ergo exiſto. Conſ. patet ; quia utraque præmiſſa ultimi ſyllogiſmi eſt de fide, Major enim per ſe eſt revelata ; minor vero eſt concluſio ſyllogiſmi prioris. Reſp. Diſt. Maj. tunc credi poſſet omnis veritas metaphyſice certa ſub aliqua ratione, & prædicato quodam generico, quod ſcilicet revera ſit talis, qualis a Deo cognoſcitur, & affirmatur eſſe. Tranſ. Maj. ſub omni ratione, & prædicato etiam ſpecifico, ac individuali, Neg. Maj. Quando Deus revelavit, quod ſit omniſcius, & omnem veritatem, prout eſt in ſe, cognoſcat, ideo non voluit revelare omnia prædicata ſpecifica, & individualia cujuslibet rei ; alias omnes res creatæ fierent objectum fidei ſub omni ſuo prædicato, quia Joan. 1 v. 3 univerſaliter dicitur : *Omnia per ipſum facta ſunt.*

Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Ad Prob.
9° Diſt. Ant. utraque præmiſſa eſt de fide, ita tamen, ut notitia concluſionis objectivæ jam præſupponatur ad aſſenſum præmiſſarum, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. Facienda hic eſt aliqua limitatio noſtræ ſententiæ, & excipiendæ illæ concluſiones, quæ deducuntur quidem ex duabus præmiſſis revelatis, vel majore revelata, & minore naturaliter certa, ita tamen, ut earum veritas præſupponatur ut aliunde nota, & ad ipſum aſſenſum præmiſſarum, vel ſaltem unius ex præmiſſis prærequiratur, ſicut contingit in allato poſteriore ſyllogiſmo, ubi veritas hujus propoſitionis : Ego exiſto, jam præſupponitur ad veritatem iſtius : ego cognoſcor a Deo exiſtere ; nam eatenus affirmo, quod Deus cognoſcat me exiſtere, quia aliunde ſcio, quod exiſtam. Ratio exceptionis eſt, quia inutile videtur, quod loquens intendat audienti manifeſtare illud, cujus notitia aliunde jam præſupponitur ad hoc, ut ſenſus locutionis poſ-

possit percipi. Quod si huic rationi acquiescere nolint adversarii: quæro ex ipsis, an ejusmodi veritas sit saltem conclusio theologica, cui sine errore in fide contradici nequeat, si negent, ut negari debere videtur, non facile afferent aliam rationem, quam nostram. Si affirment, pari jure nos poterimus dicere, quod ejusmodi conclusio omnino sit de fide. Eadem responsio servit ad similes syllogismos: quod Deus scit existere, existit; sed Deus scit existere hunc diem: ergo hic dies existit. Item omnis redemptus a Christo est homo; ego sum redemptus a Christo: ergo sum homo.

91 Dices 1. Si objectum implicite revelatum non potest credi, quando ejus notitia prærequiritur ad assensum præmissarum, tunc nunquam potest credi auctoritas divina, quia ejus notitia prærequiritur ad credendam omnem revelationem: ut patet in hoc discursu: Omne id, quod a Deo est revelatum, datur; atqui infallibilis auctoritas Dei est a Deo revelata: ergo datur. Conf. Ideo alia objecta implicite revelata possunt credi, quia continentur in objecto præmissarum, & Deus formaliter loquendo universale, loquitur etiam singularia: ergo non potest admitti limitatio a nobis facta. Resp. Neg. sequelam. Nam imprimis infallibilis auctoritas Dei est immediate, & explicite revelata; dein quando creditur per modum conclusionis, ejus notitia non requiritur ad ipsum assensum præmissarum, sive ad ipsam revelationem percipiendam, sed tantum ut immediate per se cognita præsupponitur ad actum fidei, quo creditur conclusio; unde non nego, quod Deus aliquando revelare possit veritatem naturaliter evidentem: sic defacto revelatum est, quod homo sit mortalis, quod sol oriatur &c. Ad

Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. rationes iftæ tantum probant cum limitatione, nifi habeatur fpecialis ratio dicendi, quod Deus aliquod objectum particulare revelare noluerit; cum enim revelatio externa fit aliquid creatum, non debet neceffario omnia dicere perfectiffime, fed poteft plura vel pauciora diftincte, vel confufe manifeftare.

92 Dices 2. Conclufio deducta ex duabus præmiffis de fide, vel una naturaliter evidente pro motivo immediato, & adæquato non habet folam auctoritatem divinam, fed veritatem præmiffarum: ergo tantum pertinet ad habitum theologiæ, & eft folum aliqua veritas, quæ fine errore negari nequit. Conf. Habitus principiorum differt ab habitu conclufionis: ergo etiam habitus præmiffarum de fide, qui eft habitus fidei, differt ab habitu conclufionis. Refp. Dift. Ant. fi talis conclufio fpectetur formaliter, & reduplicative ut deducta ex talibus præmiffis, Conc. Ant. fi accipiatur materialiter, & fpecificative ut objectum implicite revelatum, Neg. Ant. & fub eadem diftinctione, Conf. quamvis ipfa illatio formalis, qua conclufio ex præmiffis infertur, non fit actus fidei divinæ, nihilominus conclufio objectiva eft de fide, in quantum eft tale objectum materiale, quod credi poteft per alium actum, ut explicavimus num. 62; hinc bene diftinguenda funt ifta duo: Effe actum fidei divinæ, & effe de fide. An autem conclufio formalis faltem aliquando poffit effe actus fidei, alibi determinabitur. Ad Conf. Tranf. Ant. Dift. Conf. ergo habitus præmiffarum de fide differt ab habitu conclufionis, qua talis, Tranf. Conf. conclufionis, quæ eft talis, & quatenus poteft per actum fidei affirmari, Neg. Conf. Si verum eft antecedens tunc ideo, quia habi-

habitus principiorum eſt acquiſitus, & in inferenda concluſione datur ſpecialis difficultas; habitus autem fidei eſt infuſus, & ſolum dat ſimpliciter poſſe.

Obj. 2. Concluſio deducta ex majore univerſali revelata, & minore ſolum phyſice, aut moraliter certa, poteſt abſolute eſſe falſa: ergo non eſt fide; cum nemo poſſit elicere actum fidei firmiſſimum, niſi ſciat, ſe non poſſe decipi, & revelationem metaphyſice certo connexam eſſe cum objecto credendo. Conf. Certitudo moralis negativa non ſufficit, quia poteſt eſſe falſa: ergo neque certitudo phyſica aut moralis poſitiva. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo non eſt de fide ſemper, & quando reipſa eſt falſa, Conc. Conſ. ordinarie & quando reipſa eſt vera, Neg. Conſ. Si moraliter certum eſt objectum implicite revelatum contineri ſub explicite revelato, jam non datur prudens formido, ne ſubſit falſum, ſed objectum evidenter eſt credibile; hinc jam poſſumus, & debemus elicere fidem affectivam, & ſiquidem concluſio revera revelata ſit, Deus infundit illuſtrationem ſupernaturalem, quæ nos infallibiliter tam de exiſtentia revelationis, quam connexionis cum objecto certificat; ſi vero concluſio eſt falſa, hanc illuſtrationem non accipimus, ſed elicimus fidem mere naturalem. Eodem modo Adverſarii diſcurrere debent circa objecta explicite revelata. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quando datur certitudo ſolum negativa, Deus non ſolet infundere illuſtrationem ſupernaturalem, ut conſtat ex Tridentino; & licet non habeamus fundamentum dubitandi, tamen etiam non habemus rationem, quæ poſitive omnem prudentem formidinem excludat. 93

94 Dices. Sæpe datur certitudo moralis pro utraque parte opposita, ita ut aliquibus moraliter certum sit, dari revelationem in hoc sensu, aliis econtra sit moraliter certum, illam non dari in hoc sensu. Conf. Conclusio deducta ex majore naturaliter certa, & minore revelata, non est de fide: ergo neque conclusio deducta ex majore revelata, & minore naturaliter certa. Ant. Prob. hoc syllogismo: Quævis columba excepta prima nata est ex ovo: aliqua avis in arca Noe fuit columba: ergo aliqua avis in arca Noe fuit nata ex ovo. Resp. Neg. Ant. Evidentia moralis stricte talis dicit carentiam omnis fundamenti ad prudentem formidinem, & quidem fundatam in argumentis positivis: ergo vel alterutra sententia non habet fundamenta vere excludentia prudentem formidinem, vel si habet, altera non est positive moraliter certa. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Si tantum revelata est minor particularis, non satis constat, quod Deus etiam intenderit revelare veritatem conclusionis, ut constat ex allato syllogismo: ergo talis conclusio ratione præmissarum non potest credi, potest nihilominus quandoque credi vi revelationis implicitæ aliunde notæ, ut in isto syllogismo: omnis homo est animal rationale; Christus est homo: ergo est animal rationale. Sed nos expresse tantum agimus de conclusione deducta ex majore universali revelata.

95 Obj. 3. Si non sufficeret probabilis notitia, quod implicite revelata contineantur sub explicite revelatis, nulla in actu fidei daretur arduitas, & obscuritas; hinc paucissimi darentur infideles, & hæretici formales, cum vix aliquis possit negare, quod ipsi moraliter est evidens. Conf. Saltem probabiliter reve-

lata

lata tunc possunt credi, quando propositio est vera, & aliunde certo colligitur Deum illud objectum revelare voluisse. Sic quando 1 Reg. cap. 9 v. 16 Deus ad Samuelem dixit: *Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & unges eum &c.* Samuel ex hac revelatione, & adventu Saulis potuit credere, quod Saul sit ille vir, quamvis Samueli complexum de adventu Saulis, & origine illius de terra Benjamin tantum fuerit probabile. Resp. Neg. Ant. Quamvis moraliter certum sit, quod Deus mysteria nostræ fidei revelaverit, ideo necdum sufficienter assequimur, quomodo illa a parte rei sint, imo sæpe adversus ea pugnant multæ rationes, quibus dein hæretici se ita abripi patiuntur, ut quemadmodum ait Scriptura, videntes non videant, & audientes non audiant. Ad Conf. Neg. suppositum, quod in tali casu tantum probabiliter de revelatione constiterit. Samuel ex dicta revelatione, & adventu Saulis ita potuit concludere: Qui mittitur ad me hac die, & hac hora est vir de terra Benjamin; sed Saul mittitur ad me hac die, & hac hora: ergo est vir de terra Benjamin. In quo discursu major est revelata, minor experimentaliter certa, præsertim quia ipse Deus v. 17 de novo Samueli dixit: *Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.*

Dices. Ut voluntas possit imperare ex- 96
ercitium aliarum virtutum; sufficit, si probabiliter constet de illarum objecto: ergo etiam ut possit prudenter imperare assensum fidei. Conf. Charitas non excludit omnem amorem boni delectabilis leviter tantum prohibitum: ergo neque fides omnem formidinem de opposito; hinc ipsa Scriptura sæpius

loquitur de fide infirma, tarda, modica, & sæpe Theologi defendunt aliquam veritatem esse de fide, quam alii negant de fide esse. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. In aliis virtutibus potest dari dictamen practicum de honestate exercitii; modo probabiliter constet de objecto, ut brevi exemplis declarabo. At judicium, quod dictaret objectum tantum probabiliter revelatum credendum esse, & quidem firmissime sine ulla dubitatione ac formidine, licet graves adsint rationes dubitandi, prudens, & honestum esse non potest. Ad Conf. Neg. Ant. Quamvis gratia possit stare cum peccato veniali, nequit dari actus charitatis Dei supernaturalis simul includens peccatum veniale, alias non esset amor Dei ex toto corde, & super omnia; hinc Scriptura per fidem tardam, infirmam &c. non intelligit talem, quæ stat cum formidine de opposito, sed quæ accedente tentatione facile potest amitti. Porro quando inter Theologos controversum est, an aliquid sit de fide, tenentes affirmativam solum defendunt, illud esse de fide secundum se, & ex parte objecti revelati, non item quod sit de fide etiam quoad nos, & spectata probabilitate sententiæ contrariæ.

97 Obj. 4. Juxta nos non esset de fide, quod in qualibet hostia consecrata sit Christus præsens; hoc non videtur admittendum: ergo. Conf. Quando Sacerdos viaticum administrat moribundo juxta ritum Ecclesiæ dicit: *Credis frater hoc* (quod manibus teneo). *esse corpus Domini*, & infirmus respondet: *Credo*, ergo. Resp. Transf. Maj. Neg. min. Cum ex una parte regulariter non habeatur certitudo positiva, quod hæc numero hostia sit rite consecrata; non enim sumus positive certi, quod Sacerdos fuerit

erit rite baptizatus, ordinatus, habuerit debitam intentionem, verba rite protulerit &c. Ex altera parte ad finem revelationis universalis, qui est cultus, & adoratio Evchari∫tiæ, non ∫it nece∫∫arium, ut de qualibet determinata ho∫tia credamus, quod in illa præ∫ens ∫it Chri∫tus; Theologi communiter docent, quando elevatur ho∫tia, vel publice exponitur, po∫∫e quidem elici fidem terminative ab∫olutam circa Evchari∫tiam in genere. At ni∫i in ca∫u ∫peciali aliunde habeatur certitudo po∫itiva, aut Deus per illu∫trationem ∫upernaturalem ∫ingulariter concurrat, circa hanc determinatam ho∫tiam ∫olum elici po∫∫e fidem terminative conditionatam; quin tamen hæc conditio expre∫∫e ∫it addenda, eo quod certitudo moralis negativa una cum providentia divina, quæ in re tanti momenti non facile permittit fideles falli, ∫ufficiat ad hoc, ut non liceat dubitare, an etiam ∫ub hac determinata ho∫tia Chri∫tus ∫it præ∫ens. Ad Conf. Conc. Ant. Di∫t. Con∫. ergo moribundus pote∫t elicere actum fidei de Evchari∫tia in genere, Conc. Con∫. de hac determinata ho∫tia, Subdi∫t. actum fidei terminative ab∫olutum, Neg. Con∫. conditionatum, ∫i videlicet rite ∫it con∫ecrata, Conc. Con∫.

Dices. Quælibet ho∫tia pote∫t ab∫olute adorari, modo non detur po∫itiva, & prudens ratio dubitandi, an revera con∫ecrata ∫it: ergo debet præcedere actus fidei de præ∫entia Chri∫ti, alias foret periculum idololatriæ. Conf. Si non haberemus certitudinem po∫itivam, po∫∫emus dubitare, an ho∫tia ∫it rite con∫ecrata: ergo. Re∫p. Conc. Ant. Neg. Con∫. Sicut ad hoc, ut prudenter, & ab∫olute veneremur parentes, obedientiam præ∫temus Superioribus, 98

aut

aut actum misericordiæ erga pauperes exerceamus, sufficit certitudo moralis negativa, quod sint nostri parentes, Superiores &c. ita hæc certitudo sufficit, ut absolute debeamus adorare quamlibet hostiam determinatam; hinc aliquibus videtur fore peccatum veniale, si apponeretur conditio: Si sit consecrata, quia esset actus otiosus, & imprudens scrupulus. Neque est periculum idololatriæ, quia adoratio voluntatis absoluta tendit in verum corpus Christi, & error intellectus, qui forte intervenit, non nisi remotissime timeri potest. Nam ad Conf. Neg. Ant. Si enim ob defectum certitudinis moralis positivæ possemus prudenter dubitare, rarissime eliceretur actus virtutis absolutus, & plurimæ orirentur perturbationes; aliud est, quod possimus habere judicium modale e. g. possibile est, ibi non esse corpus Christi: cæterum docet Ulloa istam propositionem: In hoc altari non est corpus Christi, neque hæreticam, neque erroneam esse, neque hæresim sapere; attamen esse scandalosam, temerariam, & piarum aurium offensivam; hinc doctrina hic tradita licet vera, non est passim, & coram rudibus nunquam proponenda.

99 Quæres. An, & quomodo sit de fide conclusio objectiva in syllogismo non categorico? Resp. etiam talem esse de fide, quando deducta est ex præmissis, quarum ambæ sunt de fide; tunc enim talis conclusio sufficienter apparet esse revelata, cum etiam inter homines, qui loquitur tales præmissas, censeatur simul loqui conclusionem legitime deductam, ut patet in hoc syllogismo: Si quis diligit Christum, diligitur a Patre; Magdalena dilexit Christum: ergo fuit dilecta a Patre. In quo syllogismo conclusio est de fide, quia, qui manifestat veritatem conditionatam, simulque purificatio-

nem

nem conditionis, implicite etiam manifestat veritatem absolutam. Simile quid contingit in syllogismo disjunctivo, in quo utraque præmissa de fide est e. g. in hoc: Omnis homo venit in cælum, vel in infernum; sanctus Petrus non venit in infernum: ergo venit in cælum. Quod si in ejusmodi syllogismis tantum una præmissa sit revelata, conclusio tunc tantum erit de fide, quando sufficienter constat, veritatem præmissæ revelatæ implicite in se continere veritatem conclusionis, vel saltem ita cum veritate conclusionis esse connexam; ut etiam hæc censeatur esse virtualiter revelata, quod ubi, & quando fiat, partim ex dictis, partim ex dicendis colligi poterit.

QUÆSTIO V.

An fide divina credibile sit Clementem XIII esse verum, & legitimum Pontificem?

AD verum, ac legitimum Pontificem, ac sum- 100
mum in terris Christi Vicarium quædam requiruntur tanquam forma, & constitutiva essentialia, quædam tanquam conditiones. Constitutiva essentialia sunt potestas docendi, & gubernandi Ecclesiam, sive potestas definiendi res ad religionem, & bonos mores pertinentes, atque etiam jurisdictio suprema in omnes fideles in ordine ad ligandum, & solvendum, ut satis clare expressit concilium Florentinum in decreto unionis: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem habere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem, ac doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi*

nandi universalem Ecclesiam a Domino nostro JEsu Christo plenam potestatem traditam esse. Inter conditiones aliquæ requiruntur jure divino, in quibus tota Ecclesia dispensare non potest, sed solus Deus per providentiam extraordinariam; aliæ solum jure ecclesiastico, quarum proin defectus ab Ecclesia potest suppleri. Ex jure divino Papa debet esse homo, viator, mas, rite baptizatus, & ut aliqui addunt, Sacerdos, & Episcopus, de quo tamen merito dubitat Arriaga. Ex jure ecclesiastico debet electio a Cardinalibus facta esse libera, nulla injuria, aut gravi metu extorta, non Simoniaca, neque destituta debito numero suffragiorum, scilicet duarum tertiarum partium.

101 Quæritur jam, utrum non solum conditionate, & quoad se, sed absolute, & quoad nos fide divina credibile sit, quod Clemens XIII, de cujus legitime facta electione, & a tota ecclesia acceptata, nullum datur prudens dubium, sit verus Papa, & summus Christi in terris Vicarius? Procedit autem quæstio de Papa considerato quoad sola constitutiva essentialia, neque directe instituitur contra hæreticos, qui dari ejusmodi Papam simpliciter negant, & ideo fuse a polemicis refutantur; sed contra quosdam Catholicos, qui licet omnes admittant, indubitato verum esse, quemlibet in individuo Pontificem ab Ecclesia acceptatum esse verum in terris Christi Vicarium infallibili potestate docendi, & regendi Ecclesiam præditum; nihilominus aliqui simpliciter negant, id unquam de homine determinato fide divina credi posse. 2. Alii dicunt id tunc primum posse credi, quando electus, & acceptatus Pontifex aliquid definit. 3. Alii denique simpliciter tenent affirmativam. Pro prima sententia citantur multi apud Suarium, iisque consentit Vasquez,

ſquez, & Bellarm. Pro altera ſtat Valentia. Pro tertia communiſſima noſtrorum. Imo poſtquam Doctores quidam Complutenſes ob ſententiam negativam a Clemente VIII Romam ad dicendam cauſam citati fuerunt, non facile amplius reperies auctorem impreſſum, qui eandem propugnet excepto Muratorio Eſtenſis Bibliothecæ præfecto in moderamine ingeniorum.

Dicendum. Poteſt fide divina abſolute credi Clementem XIII, qui modo ab univerſali Eccleſia ſine probabili contradictione pro ſummo Pontifice agnoſcitur, eſſe verum Papam, & Chriſti in terris Vicarium. Prob. Hæc veritas 1. Eſt implicite a Deo revelata 2. Sufficienter nobis applicata. 3. Et illius fides eſt neceſſaria ad finem revelationis explicitæ, ſub qua continetur: ergo poteſt abſolute credi fide divina. Prob. antecedens quoad 1mam partem. Explicite revelata eſt hæc veritas univerſalis: Omnis ab Eccleſia legitime electus in ſummum Pontificem eſt verus Papa, & Chriſti in terris Vicarius: ergo altera veritas particularis, quæ ponitur in noſtra concluſione, & in dicta univerſali continetur, eſt revelata implicite; qui enim explicite revelat veritatem univerſalem, implicite revelat omnes particulares ſub ea contentas, ut oſtendi Q. 2. Antecedens hic ſupponitur, & conſtat ex verbis Chriſti ad Petrum: *Paſce oves meas*, Joan. ult. v. 17. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; tibi dabo claves Regni cælorum, quodcunque ſolveris ſuper terram &c.* Matth. 16 v. 18, quibus verbis juxta unanimem interpretationem Theologorum, & Patrum Chriſtus non ſolum Petro, ſed omnibus etiam ejus ſucceſſoribus legitime electis dedit plenam poteſtatem 102

tem

tem docendi, & regendi Ecclesiam, ut etiam definiit Concilium Florentinum verbis supra citatis, & uberius patebit ex fine harum revelationum. Interim ex hac revelatione universali sic discurrimus : Omnis ab Ecclesia legitime electus in summum Pontificem est verus Christi Vicarius; sed Clemens XIII est ab Ecclesia legitime electus in summum Pontificem: ergo est verus Christi Vicarius, ad quem discursum tota nostra probatio reducitur. Ut autem ulterius ostendatur minor,

103 Probatur antecedens numero superiore positum quoad secundam partem. Est ad minimum stricte moraliter certum, Clementem XIII fuisse legitime electum in summum Pontificem: ergo veritas particularis nobis est sufficienter applicata, & etiam de fide quoad nos. Ant. Prob. Est ad minimum stricte moraliter certum, quod Ecclesia, quæ 1 ad Timoth. 3 v. 15 dicitur *firmamentum & columna veritatis*, non possit errare in rebus ad Religionem spectantibus; atqui tota Ecclesia agnoscit Clementem XIII pro legitime electo, & per hanc acceptationem de novo quasi eligit. Præterea hæc veritas pertinet ad Religionem, & ipsam fidei regulam : ergo est ad minimum moraliter certa; imo juxta aliquos de fide; quia juxta citatas revelationes, Deus Ecclesiæ provisurus est de omnibus, quæ necessaria sunt ad omnem errorem in materia fidei, & morum evitandum, inter quæ est infallibilis auctoritas cujuslibet Pontificis, qui a tota Ecclesia agnoscitur pro legitime electo, & cujus definitionibus tenetur acquiescere. Hinc ex decreto Martini V in Concilio Constantiensi edito suspectis de hæresi proponi debuit hæc quæstio: *An credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine expresso, sit successor*

sor beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia. Pariter in professione fidei ad normam Tridentini jussu Pii IV edita habetur: *Romanoque Pontifici sancti Petri successori, & JEsu Christi Vicario veram obedientiam spondeo.*

Probatur idem Antecedens quoad tertiam 104
partem. Finis revelationis explicitæ, *Tu es Petrus &c.* est perpetua stabilitas Ecclesiæ, ut semper in ea detur caput visibile, & judex infallibilis controversiarum usque ad finem mundi, cujus definitionibus possemus, ac deberemus adhibere summam fidem; atqui hic finis non obtineretur, nisi Pontifex, qui a tota Ecclesia agnoscitur legitimus, haberet infallibilem auctoritatem in decidendis rebus ad Religionem, & mores spectantibus, ac supremam potestatem Ecclesiam regendi. Quippe infallibilitas, & assistentia Spiritus sancti non tantum disjunctive promissa est Ecclesiæ, vel Pontifici, sed determinate D. Petro, ejusque successoribus, quibus Ecclesia tanquam petræ, & fundamento est inædificata, ut adeo si Pontifex tantum esset putatitius, & errare posset, etiam tota Ecclesia posset errare. Sicut igitur ad finem revelationis explicitæ, qua præcipitur fides adhibenda verbo Dei scripto, non sufficeret, si tantum credi posset, quod Evangelium sit verbum Dei scriptum, sed etiam requiritur, ut hoc possit determinate credi de Evangelio e. g. S. Matthæi: ita in nostro casu requiritur, ut de quolibet Pontifice in particulari possit credi, quod sit verus Papa, & infallibilis regula fidei, cum Ecclesia unum æque, ac alterum pro legitimo agnoscat. Conf. Potest fide divina credi, quod Concilium Nicænum (idem est de Tridentino, & quocumque alio Concilio Oecumenico,) sit legitimum, &

infallibile, ut fatentur ferme omnes post celebre effatum Gregorii Magni lib. 1 epist. 24, quo primis quatuor Conciliis voluit eandem adhiberi fidem, ac quatuor Evangeliis: ergo a pari, præsertim cum Concilia generalia suam infallibilitatem ultimato habeant ab ipso Pontifice.

Objectiones.

105 OBj. 1. Verba Christi: *Tu es Petrus, & super hanc petram* &c. juxta S. Augustinum serm. 13 de verbis Domini, & lib. 1 retract. cap. 21 loquuntur de Christo; non enim dicitur super hunc Petrum, sed super hanc petram ædificabo; *Petra autem erat Christus*, ut ait Apostolus 1 ad Cor. 10 v. 4: ergo non satis constat de revelatione explicita, quod omnis legitime electus sit verus Papa. Conf. Si hæc verba concernerent Petrum, æque concernerent reliquos Apostolos, cum æque sint fundamentum Ecclesiæ juxta illud ad Ephes. 2 v. 20: *Superædificati super fundamentum Apostolorum*: & omnibus data sit potestas solvendi, & ligandi: *Quæcunque alligaveritis super terram &c.* Matth. 18 v. 18. Resp. Neg. Ant. Contrarium patet ex contextu; Christus enim sermonem dirigens ad Petrum, immediate ante dixit: *Tu es Petrus*, & post verba: *super hanc petram*, statim subjunxit: *tibi dabo claves*: ex quo tenore verborum Suarez lib. 3 contra Regem Angliæ ait, evidens esse, promissionem illam factam esse Petro, itaque illam intellexisse totam Ecclesiam tam orientalem, quam occidentalem. Nec ullus ex Patribus hanc expositionem rejecit, ne quidem Augustinus, quamquam putaverit, illam etiam de Christo tanquam petra principali intelligi posse, quia nimi-

mirum, ut advertit Cornel. a Lapide, Maldonat. Bellarm. &c. non ſatis calluit linguam Hebraicam, & Syriacam, qua Chriſtus, & S. Matthæus uſus eſt, & teſte S. Hieronymo aliisque Patribus tam græcis quam latinis apud Bellarm. lib. 1 de ſummo Pontif. cap. 10 tam loco Petri, quam petræ nomen Cephas adhibuit, ut adeo Petrus & petra hic prorſus idem ſignificent. Ad Conf. Neg. Ant. contrarium rurſus patet tum ex verbis: *Tu es Petrus, tibi dabo*, tum quia ſolus Petrus ibi fecit præclaram illam confeſſionem: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Unde reliqui Apoſtoli tantum ſunt fundamentum ſecundarium, & ſubordinatum, quatenus fundarunt Eccleſias particulares, & habuerunt poteſtatem ſolvendi Petro ſubordinatam.

Dices 1. Si Chriſtus dicta verba direxit ad 106
ſolum Petrum, hoc ipſo nihil probatur pro ejus ſucceſſoribus: ergo necdum conſtat de revelatione explicita univerſali. Conf. Quando Chriſtus Matth. 16 v. 23 ad Petrum dixit: *Vade poſt me Satana*, id non ſpectabat ad ejus ſucceſſores: ergo a pari. Reſp. Neg. Ant. Licet Deus verba illa direxerit ad ſolum Petrum inter Apoſtolos, non tamen ita ſingulariter ad Petrum direxit, ut non etiam comprehenderit ejus ſucceſſores. Cum enim voluerit ædificare Eccleſiam firmam, & ſtabilem, contra quam nunquam poſſent prævalere portæ inferi; Chriſtus hoc ipſo manifeſtare voluit, quod Petro ſemper ſit ſucceſſurus alius, qui haberet eandem aſſiſtentiam Spiritus ſancti, eandem infallibilitatem, ac poteſtatem regendi totam Eccleſiam. Adeoque ſpectato fine, & circumſtantiis revelatio, & promiſſio Chriſti hunc ſenſum habet: Exiſtet ſemper aliquis rite aſſumptus in Romanum Pontificem, & omnis

ita assumptus est verus Christi Vicarius, ac successor Petri. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. triplicis sunt generis, quæ dicta fuerunt Petro, ut ex diversitate circumstantiarum, subjecta materia, & modo loquendi colligi debet. Aliqua ipsi dicta sunt tanquam personæ singulari, ut illud: *Vade post me Satana.* Alia tanquam membro communitatis christianæ, quæ simul concernunt omnes fideles, ut illud Matth. 18 v. 15: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* Alia denique tanquam gubernatori totius Ecclesiæ, & hæc concernunt omnes ejus successores. Tale est; *Pasce oves meas. Tu es Petrus &c.*

107 Dices 2. Revelatio universalis tantum facit sensum conditionatum, quod scilicet omnis homo sit verus Papa, si est legitime electus: ergo etiam propositio particularis sub universali contenta tantum facit sensum conditionatum, alias mutaret subjectum. Ant. Prob. Aliæ propositiones, quæ pro subjecto habent terminum complexum, sunt tantum conditionatæ e. g. ista: In omni hostia rite consecrata Christus est præsens: ergo. Conf. Propositiones revelatæ censentur esse in materia necessaria: ergo non supponunt absolutam existentiam subjecti. Resp. Neg. Ant. Alias etiam tantum conditionata esset ista: Omne Concilium universale legitime congregatum est infallibilis regula fidei. Ad Prob. Dist. Ant. Tales propositiones sunt conditionatæ, quoad modum enuntiandi, Transf. Ant. quoad suam veritatem, Subdist. si earum conditio non est impleta, neque a Deo prævidetur implenda, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. & Conf. Deus ab æterno prævidit determinatum numerum omnium Pontificum, qui non interru-

rupta moraliter ſerie legitime eſſent eligendi, ac divo Petro ſucceſſuri, & inter hos etiam Clementem XIII. Unde tam propoſitionem univerſalem, quam particularem revelavit abſolute. Sic ſi aliunde ſcio Regi fuiſſe tres filios Petrum, Jacobum, & Joannem, qui in aciem ſunt profecti, tunc quando dico omnes filii Regis, qui in aciem ſunt profecti, occubuere: non tantum conditionate, ſed abſolute manifeſto, quod e. g. Petrus, qui in aciem profectus eſt, occubuerit. Ad Conf. Diſt. Conſ. non ſupponunt abſolutam exiſtentiam ſubjecti, niſi hæc ſuppoſitio ad finem revelationis ſit neceſſaria, Conc. Conſ. ſi ſit neceſſaria, Neg. Conſ.

Dices 3. Saltem non eſt moraliter certum, quod Deus revelando propoſitionem univerſalem, etiam abſolute voluerit revelare particularem, tum quia propoſitio univerſalis tantum ſignificat in genere, & confuſe, tum quia non pauci Auctores catholici defendunt, propoſitiones, quæ habent terminum complexum, tantum facere ſenſum conditionatum, quando prædicatum habet neceſſariam connexionem, vel convenientiam cum ſubjecto. 108
Conf. Sæpe longo tempore nullus exſtitit legitimus Pontifex, præſertim tempore ſchismatis, quod aliquando ab anno 1378 duravit uſque ad annum 1428. Reſp. Neg. Ant. primam rationem additam, Diſt. propoſitio univerſalis tantum ſignificat confuſe & in genere reſpectu noſtri, & donec vel per certitudinem naturalem, vel per definitionem Eccleſiæ ſenſus determinatus, & abſolutus nobis applicetur, Conc. reſpectu Dei loquentis, Neg. Alias tota revelatio, & promiſſio Chriſti fuiſſet vera, & ſufficienter impleta, tametſi poſt D. Petrum nullus omnino fuiſſet, ne-

que deinceps ullus futurus fuiſſet legitimus Pontifex. Porro etiam illi auctores, qui adſtruunt ſenſum conditionatum, plerumque contendunt, conditionem per electionem Pontificis moraliter certo eſſe purificatam, adeoque concluſionem, ſeu propoſitionem particularem abſolute credibilem eſſe. Ad Conf. Tranſ. Ant. Quia etiam tempore ſchismatum ordinarie verus Pontifex exſtitit, licet Eccleſiæ non ſatis fuerit notus, Neg. Conſ. quia tempus ſedis vacantis, vel etiam ſchiſmatis, etſi aliquando duraverit 50 annis, reſpectu totius regiminis Monarchici Eccleſiæ a divo Petro usque ad finem mundi eſt tam parvum, ut in æſtimatione morali non faciat interruptionem continuæ ſucceſſionis verorum Pontificum.

109 Obj. 2. Non eſt poſitive moraliter certum, quod in electione hujus determinati Pontificis adfuerint omnes conditiones jure eccleſiaſtico requiſitæ, & nullum intervenerit impedimentum irritans: ergo revelatio veritatis particularis nobis non eſt ſufficienter applicata. Conf. Juxta commune juris axioma, quod ab initio vitioſum eſt, tractu temporis non convaleſcit: ergo ſi prima electio fuit invalida, non amplius poteſt convaleſcere, præſertim quia Eccleſia Pontificem non aliter acceptat, quam ſub conditione, ſi prima electio fuerit valida. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ergo revelatio veritatis particularis nobis non eſt ſufficienter applicata ante acceptationem Eccleſiæ, Tranſ. Conſ. Poſt illam, Neg. Conſ. Poſtquam univerſa Eccleſia, vel ſaltem maxima illius pars ſine probabili contradictione Pontificem acceptavit, certum omnino eſt, quod in prima electione vel nullum impedimentum irritans interceſſerit, vel

per ipſam acceptationem Eccleſiæ ſuppleatur; nam acceptatio iſta eſt quaſi altera electio, nullo jure humano irritabilis. Ad Conf. Diſt. Ant. tractu temporis non convaleſcit, niſi vitium tollatur, Conc. Ant. ſi tollatur, prout hic fit per acceptationem Eccleſiæ, Neg. Ant. Imo in ſenſu ſtricto proprie non convaleſcit prima electio, ſed Pontifex de novo per acceptationem Eccleſiæ valide eligitur, cum autem Eccleſiæ longe melius ſit habere aliquem Papam, qui prius forſan fuit electus invalide; quam omnino ignoranter carere vero Pontifice, abſolute acceptat electum, niſi de nullitate primæ electionis conſtet; ſi enim hoc notorium eſt, illum omnino non acceptat.

Dices 1. Eccleſia ante acceptatum Pontificem eſt acephala, ſeu ſine capite: ergo poteſt errare; at non diſpenſare in conſtitutionibus pontificiis circa electionem Pontificis, alias fruſtra eſſent ſtatutæ. Conf. Acceptatio Pontificis fit per hoc, quod fideles credant illum eſſe legitime electum: ergo vel prima ſtatim electio debet ſufficere ad fundandam fidem, vel nunquam poteſt fieri initium credendi; cum utique ad primam credentium fidem necdum poſſit præſupponi acceptatio Eccleſiæ. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Chriſtus Eccleſiæ dedit poteſtatem ſibi providendi de capite viſibili, & gubernatore ſupremo; adeoque non poteſt permittere, ut in re tanti momenti erret. Neque ideo in conſtitutionibus pontificiis proprie diſpenſatur; nam iſtæ ſe ad ſecundam electionem non extendunt, alias plus obeſſent, quam prodeſſent; hinc iſtam electionem Chriſtus ipſe approbat. Porro conſtitutiones pontificiæ nihilominus ſerviunt ad hoc, ut ſi conſtet de 110

impedimento irritante, nulliter electus ab Eccleſia non acceptetur; ſi vero ſit occultum, electio ſaltem tamdiu ſit irrita, donec per Eccleſiæ acceptationem quaſi de novo eligatur. Ad Conf. Diſt. Ant. acceptatio Pontificis fit per hoc, quod fideles credant &c. fide divina, Neg. Ant. fide humana, Conc. Ant. Ad fidem humanam, qua fideles credunt, Pontificem eſſe legitimum, ſufficit prima electio; quot autem ejusmodi actus requirantur, ut hoc credi poſſit fide divina, certa dari regula nequit. Interim Deus jam ſcit, quando debeat infundere lumen ſu-
§ II pernaturale.

Dices 2. Saltem Eccleſia non poteſt ſupplere conditiones jure divino requiſitas; atqui non eſt poſitive moraliter certum, quod omnes adfuerint e. g. quod Pontifex ſit rite baptizatus, valide ordinatus &c. Conf. Non eſt de fide, quod modernus Papa ſit rite baptizatus, & valide ordinatus; alias deberemus credere, quod omnes illi fuerint veri Epiſcopi, & habuerint debitam intentionem, qui a tempore Apoſtolorum ſucceſſive aliquid ad illius ordinationem contulerunt: ergo. Reſp. Conc. Maj. Diſt. min. non eſt certum poſitive, quod adfuerint omnes conditiones, quæ papatum eſſentialiter conſtituunt, Neg. min. hoc enim eſt de fide. Quæ papatum eſſentialiter non conſtituunt, ſed a Deo diſpenſari poſſunt, Tranſ. min. Quamquam nullatenus probari poſſit, quod Deus in conditionibus jure divino requiſitis unquam diſpenſaverit, aut diſpenſaturus ſit, non tamen poteſt ſufficienter probari, quod Deus poteſtatem regendi Eccleſiam nequeat concedere homini non rite baptizato, aut etiam fœminæ; unde ad defendendam meam concluſionem ſuffi-

cit,

cit, si positive moraliter certum sit, quod vel omnia jure divino requisita adfuerint, vel saltem Deus in illis dispensaverit; hoc autem ita disjunctive certum esse patet ex probationibus. Ad Conf. Transf. Ant. Disputamus enim de solis constitutivis essentialibus Papatus, Neg. Conf. Deus revelando constitutiva essentialia unius rei, non hoc ipso revelat necessario connexa, præsertim si illorum fides non est necessaria ad finem revelationis explicitæ, ad quem in nostro casu sufficit, si certum sit, quod Papa sit verus Christi Vicarius. Cæterum argumentum solvi debet in divo Petro, qui indubitato fuit verus Pontifex, de hoc quidquid adversarii dixerint, pari jure de aliis dici poterit.

Dices 3. Bona est hæc consequentia: 112 Hic homo non est legitime electus: ergo non est verus Pontifex: ergo etiam bona est ista consequentia: Est de fide, quod hic homo sit verus Pontifex: ergo est de fide, quod sit mas, baptizatus &c. nam in bona consequentia non potest esse antecedens metaphysice infallibile, & consequens tantum moraliter certum. Conf. Conditionatum non potest esse metaphysice certum, si purificatio conditionis necessario requisitæ est tantum moraliter certa: ergo si metaphysice certum est, quod detur verus Pontifex, æque certum debet esse, quod sit mas, baptizatus &c. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. rationem additam Dist. si consequens nitatur iisdem principiis, quibus nititur antecedens, Conc. secus, Neg. Quod hic homo sit verus Pontifex, habemus per revelationem divinam, quæ se non necessario extendit ad reliquas conditiones, præsertim illas, de quibus dubium est, utrum indispensabiliter requirantur. Hinc Sophistici sunt, &

quatuor terminis constant similes syllogismi. Non est de fide, modernum Pontificem rite esse baptizatum; sed omnis verus Papa est rite baptizatus: ergo non est de fide, modernum Pontificem esse verum Papam: Item est de fide, modernum Pontificem esse verum Papam; sed omnis verus Papa est mas: ergo est de fide, modernum Pontificem esse marem. Ad Conf. Neg. Maj. Quia veritas absoluta rursus potest esse revelata, quin sit revelata purificatio conditionis. Argumentum probaret, quod non possit credi hæc veritas: Ego sum redemptus, quin etiam credatur ista: Ego sum homo. Quod falsum esse patet ex quæstionibus præcedentibus.

113 Obj. 3. Stabilitas, & infallibilitas Ecclesiæ obtinetur, modo ipsa Ecclesia habeat assistentiam Spiritus sancti, sive dein regatur a vero, sive a putatitio Pontifice: ergo ad finem revelationis explicitæ non requiritur, ut implicite revelata sit hæc veritas particularis: Clemens XIII est verus Papa. Conf. Dummodo moraliter certum sit, quod Pontifex sit legitimus, jam debemus illi obedire, & res ab ipso definitas credere; sicut debemus obedire parentibus, aliisque Superioribus, quin sit de fide, quod sint nostri legitimi superiores. Resp. Dist. Ant. stabilitas, & infallibilitas Ecclesiæ sic obtinetur quomodocunque, Transf. Ant. eo modo, quo Christus illam fundavit, & promisit, Neg. Ant. & Conf. Sicut Christus non dedit potestatem consecrandi Sacerdotibus tantum putatitiis, sic non dedit potestatem definiendi res fidei Papæ tantum putatitio. Cum igitur infallibilitatem Ecclesiæ fundaverit in visibili ejus capite, ad hunc finem, & promissionem salvandam non sufficit sola Ecclesiæ infallibilitas, imo ipsa Ecclesia non esset infalli-

libilis, si in eligendo Pontifice posset errare. Ad Conf. Finis revelationis explicitæ non solum est, ut obediamus Pontifici, sed etiam ut ad ipsum tanquam infallibilem regulam fidei recurrere possimus. Unde necessario debet habere infallibilem potestatem Ecclesiam regendi, & res fidei definiendi, de qua potestate nobis non posset sufficienter constare, nisi Deus de singulis Pontificibus id revelasset, ferme sicut nobis sufficienter constare non posset, evangelium e. g. S. Matthæi esse verbum divinum, nisi Deus de singulis quatuor evangeliis id revelasset.

Dices 1. Christus Pontifici assistentiam Spiritus sancti solum promisit, in quantum hoc requiritur ad stabilitatem Ecclesiæ, ne portæ inferi adversus illam prævaleant; atqui hic finis obtinetur, modo Deus impediat, ne Pontifex putatitius aliquid definiat, vel ne Ecclesia definitionem erroneam acceptet: ergo. Conf. Non est de fide Archiepiscopum e. g. Salisburgensem esse verum Episcopum, cui obedientia præstari debeat, licet ex una parte revelatum sit, omnibus pastoribus legitimis esse obediendum, ex altera parte moraliter certo constet, illum fuisse legitime electum & confirmatum: ergo. Resp. Dist. Maj. ita tamen, ut stabilitatem Ecclesiæ voluerit fundare super ipsum Pontificem, Conc. Maj. aliter, Neg. Maj. Quando vel nullus vel tantum dubius Pontifex existit, ut contingit tempore schismatis, utique Deus speciali modo debet providere Ecclesiæ, ne in errorem incidat, cum non solum moraliter, sed etiam physice sit indefectibilis. At si adest Pontifex certus, statim potest novas definitiones condere, & fideles illis debent acquiescere: ergo statim indi- 114

indiget aſſiſtentia Spiritus ſancti, neque ſuam infallibilem auctoritatem primum acquirit per ipſas definitiones, ſed hæc ad illas jam præſupponitur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ad finem hujus revelationis explicitæ non requiritur, ut etiam revelata ſit particularis de Archi-Epiſcopo Salisburgenſi, neque enim ſuper ipſum fundata eſt Eccleſia, ſed etiam putatitio debet obedientia præſtari.

115 Dices 2. Poteſt contingere, ut Pontifex incidat in hæreſin, imo aliqui arguuntur actu in illam incidiſſe: ergo non eſt de fide, quod ſit infallibilis. Conf. Formoſus per annos 5 ab Eccleſia fuit agnitus pro vero Papa, & tamen poſtea a Stephano VI (aliis ſeptimo) & Sergio III declaratus fuit, tanquam illegitimus, illius acta reſciſſa, & ordines, quos contulit, renovati. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. non eſt de fide, quod ſit infallibilis tanquam perſona privata, aut in quæſtionibus meri facti, Conc. Conſ. tanquam caput Eccleſiæ, & in quæſtionibus fidei, ac morum ex cathedra definiendis, Neg. Conſ. Si Pontifex tanquam perſona privata incideret in hæreſin, eaque eſſet externa, & notoria, vel ipſo facto, vel ex deciſione Eccleſiæ deſineret eſſe verus Pontifex, & Chriſtus eidem poteſtatem pontificiam auferret. Si vero hæreſis eſſet tantum occulta, maneret verus Papa; licet enim non maneret membris Eccleſiæ unitus vinculo fidei, & charitatis, maneret nihilominus illis unitus tanquam caput habens poteſtatem & jurisdictionem ſupremam. Interim hac poteſtate propter aſſiſtentiam Spiritus ſancti non poſſet abuti ad definiendam ſuam hæreſin. Ad Conf. Formoſus non fuit declaratus illegitimus per definitionem toti Eccleſiæ propoſitam, ſed per errorem privatum Stephani, & Sergii.

Ve-

Verum de erroribus Pontificum alibi ex instituto agendum erit. Illud hic noto, quod in cathedra Petri aliquando sederit Joanna Papissa, fabulam esse ab ipsis sectariis eruditioribus dudum explosam. Ansam illi dedit sæculo IX Joannes VIII vir animi mollis, & parum virilis præsertim adversus schismaticos Græcos, propterea per dicterium appellatus fæmina. Vid. Bellarm. lib. 3 de summo Pontif. cap. 24.

Dices 3. Paulus IV testatur, non omnes 116
Pontifices, qui sunt electi, & acceptati ab Ecclesia, habendos esse pro veris; nam in Bulla 19, cui subscripsere 31 Cardinales, quamque approbavit Pius V, ita decernit: *Si ullo unquam tempore apparuerit aliquem Episcopum, aut Cardinalem, seu etiam Romanum Pontificem ante ejus promotionem in hæresin, aut schisma incidisse, totam promotionem etiam in concordia, & unanimi omnium consensu factam irritam esse: nec per susceptionem muneris, consecrationis, aut regiminis, nec per possessionem seu ipsius Romani Pontificis inthronizationem, sive ei præstitam ab omnibus obedientiam, & cujusvis temporis in præmissis cursum posse convalescere.* Addit: *Omnia illorum dicta & facta nullam habere firmitatem; ipsos vero sine ulla nova declaratione, officio, titulo, & potestate esse privatos.* Conf. Quidam Pontifices libere se abdicarunt papatu, antequam hæc voluntas Ecclesiæ innotuit: ergo. Resp. Neg. Ant. Paulus IV loquitur de electione prima a Cardinalibus facta, & per præstitam ab omnibus obedientiam intelligit submissionem, quam in prima adoratione Cardinales, aliique præsentes fideles præstant; hæc autem sola utique non sufficit, ut prima electio *per quemvis temporis cursum in præmissis* convalescat, aut ut gesta pon-

pontificia vi illius aliquid roboris habeant. At vero acceptatio Ecclesiæ est altera electio, quam Pontifex bene scivit a se irritari non posse; hinc in clausula derogatoria nullam facit illius mentionem, sed tantum ordinationum Apostolicarum, quod sufficiebat ad finem ab ipso intentum. Ad Conf. Non dicimus ipsam actualem existentiam, & perseverantiam Pontificis esse de fide, sed quod sit verus Pontifex, si nunc existat, & velit permanere, quæ conditio necessario est imbibita.

117 Obj. 4. Si esset de fide, quod Clemens XIII sit verus Pontifex, qui negaret hanc veritatem esset hæreticus; negaret enim propositionem fidei, hoc nimium: ergo. Conf. Hæc veritas est satis clare definita a Martino V, Concilio Florentino, & Tridentino, ut patet ex num. 100 & 103: ergo Resp. Dist. Maj. talis esset hæreticus coram Ecclesia, Neg. Maj. coram Deo, Subdist. si hæc veritas ipsi sufficienter sit proposita, ut a Deo revelata, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. Hæreticus coram Ecclesia tantum censetur ille, qui negat veritatem clare ab Ecclesia traditam tanquam fide divina credendam, ita ut de hac nulla sit inter Catholicos controversia, qualis non est propositio, de qua hic disputamus. Si tamen alicui certum esset stricte moraliter, hanc propositionem esse a Deo revelatam, illam negando coram Deo fieret hæreticus, sicut qui discredit revelationi privatæ. Itaque tres propositiones hic bene distinguendæ sunt. 1. Clemens XIII est verus Christi Vicarius. 2. Est de fide Clementem XIII esse verum Christi Vicarium. 3. De fide est: esse de fide, Clementem XIII esse verum Christi Vicarium. Prima propositio est certissima, & a nullo Catholico in controversiam trahitur; secunda est reflexa, &

& ab omnibus agnoſcitur tanquam probabilis, a nobis vero defenditur ſaltem ut probabilior; tertia eſt iterum reflexa, ſed illam non defendimus; quia nondum ab Eccleſia ita tanquam de fide videtur eſſe propoſita, ut de illa nulla amplius inter Catholicos ſit controverſia. Si tamen id evincerent definitiones Conciliorum citatæ, foret eo melius. Unde Ad Conf. omitto totum.

Dices. Si adverſariorum ſententia eſt pro- 118
babilis, tunc noſtra eſt certo falſa. Prob. Ex definitione pontificia eſt certo falſum, quod aſſenſus fidei ſemel habitus poſſit repudiari; atqui hoc poſſet fieri, ſi ſententia adverſariorum eſt probabilis: ergo. Conf. Saltem ille, qui negaret noſtram ſententiam, eſſet ſchismaticus; nam ſchiſma eſt diviſio, qua ſcinditur unitas Eccleſiæ, & membra diſſident a capite; atqui etiam hoc videtur nimium: ergo. Reſp. me necdum dixiſſe, quod ſententia adverſariorum ſit vere probabilis, in forma Neg. ſequelam, ad ejus probationem Diſt. Maj. eſt certo falſum, quod aſſenſus fidei poſſit repudiari ab illis, quibus ſufficienter conſtat, veritatem, quam defendimus, eſſe implicite revelatam, Conc Maj. quibus id non ſufficienter conſtat, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Neg. Conſ. Argumentum ſolvi debet in omni materia, quam aliqui affirmant eſſe de fide, alii negant. Ad Conf. Neg. Maj. ſchiſmaticus eſt, qui vel turbas movet contra Pontificem, poſtquam ab Eccleſia eſt acceptatus, vel Pontifici, quem verum eſſe agnoſcit, denegat obedientiam, & ab eo ſe ſeparat, nihil horum facit, qui præciſe negat noſtram ſententiam. Imo ſi quis etiam negaret hanc propoſitionem directam: Clemens XIII eſt verus Papa, nondum eſſet ſchisma-

ticus, si id faceret ex ignorantia, licet culpabili, quod a tota Ecclesia sit acceptatus.

DISPUTATIO II.

De vera Religione.

119 RElIgio vel in concreto, vel in abstracto potest accipi. In concreto est congregatio hominum certo ritu Deum colentium, vocaturque communiter Ecclesia. In abstracto hic significat certam rationem, & modum colendi Deum, vi cujus ipsi in hac vita placere, & in altera veram felicitatem consequi possumus. Dividitur in naturalem, & revelatam. Per naturalem intelligitur illa, quæ in genere solum dictat Deum esse colendum, eaque facienda, quæ jus naturale exigit, adeoque præter lumen, & legem naturæ nihil involvit, cumque hoc lumen naturæ se aliquo modo se habeat instar locutionis divinæ, ab aliquibus vocatur revelatio necessaria. Verum per Religionem revelatam proprie intelligimus illam, quæ lumini naturali superaddit lumen fidei, seu determinatam quamdam doctrinam fidei, & morum, quam quia Deus pro libitu suo potuit præscribere, & revelare, hæc revelatio dicitur libera, sive dein lumen fidei sit naturale, sive supernaturale.

120 Quamquam in mundo plurimæ dentur sectæ, & Religiones, omnes tamen ad quinque potissimum classes revocantur. Prima est gentilium seu Paganorum, qui quia plures Deos colunt, etiam Polithei ac Ethnici vocantur. Secunda est Theistarum seu Philosophorum & Libertinorum, qui quidem unicum ac verum Deum agnoscunt, sed nullum alium cultum ipsi exhibendum contendunt, quam quia lumi-

ne naturæ dictatur, & in naturalis legis observantia consistit. Tertia est Judæorum, qui tenent Religionem a Moyse promulgatam, Christum vero negant esse Deum, & Messiam in lege promissum, imo eundem tanquam hominem perditissimum blasphemant. Quarta est Mahometanorum, qui Christum tanquam Prophetam a Deo missum venerantur, sed Deum profiteri pertinaciter renuunt, adhærentes fabulis a spurcissimo Mahomete confictis. Quinta est Christianorum, qui Christo per Baptismum inaugurati sunt, & doctrinam ab ipso traditam se amplecti gloriantur. Hi rursus dividuntur in Romano-Catholicos, & varios Sectarios, de quibus aliunde constat.

Dari veram Religionem præter paucos quos- 121
dam Atheos, & Epicureos nemo negavit. Eandem a Deo libere revelatam esse, inficiantur Theistæ, & Libertini, cum quibus forte etiamnum aliqui Politici occulte sentiunt. His accedunt Adiaphoristæ sive Indifferentistæ laxiores, qui docent in qualibet secta quemlibet posse salvari, modo in unum Deum credat, eumque colat juxta leges suæ sectæ, sive dein sit Turca, Judæus, vel Christianus. Vocantur Indifferentistæ laxiores, ut discernantur ab illis Sectariis, qui asserunt, posse quidem quemlibet salvari in qualibet Religione christiana, sive Catholica, sive Lutherana &c.; non tamen in quacunque Religione alia, & ideo Indifferentistæ strictiores nominantur. Hos errores hac disputatione refutabimus; prius tamen noto discrimen inter evidentem veritatem, & evidentem credibilitatem, ac credentitatem. Evidenter verum est, quod vel in se, vel in suis principiis ita clare cognoscitur, ut rapiat intellectum ad assensum: evidenter credibile est, pro quo stant tanta mo-

 tiva,

tiva, ut evidens ſit me prudenter agere, ſi credam: evidenter credendum eſt, de quo evidens eſt dari obligationem illud credendi.

QUÆSTIO I.

An detur vera Religio in mundo, eaque revelata, ac unica?

122 DIcendum 1. Datur vera Religio. Prob. Univerſalis conſenſus totius generis humani in re maximi momenti falli non poteſt, quamvis illi repugnent pauci quidam ſcelerati; atqui talis eſt conſenſus de exiſtentia veræ Religionis: ergo. Maj. patet, quia alias natura eſſet peſſime conſtituta, & negari poſſent prima principia, imo ipſe Deus, quem evidenter dari, hic contra Atheos ſupponimus. Min. pariter eſt indubitata, quippe dari veram Religionem profitentur omnes ſectæ ſupra enumeratæ, nec eſt invenire ullam nationem tam barbaram, quæ hoc in controverſiam trahat. Præterea hic conſenſus eſt maximi momenti, & fundamentum honeſtatis adeo, ut ipſe Machiavellus cum ſuis, quamvis reipſa exiſtentiam veræ Religionis neget, tamen fateatur, perſuaſionem de illius exiſtentia eſſe prorſus neceſſariam ad homines in officio continendos. Verum perſuaſio falſa non poteſt eſſe medium per ſe neceſſarium ad vitam rite inſtituendam, alias illi eſſent infeliciores, qui verum cognoſcerent. Conf. Datur Deus infinite perfectus, & providus, qui ſicut alia, ita præcipue hominem creavit ad ſuam gloriam, & ſimul ad animæ immortalis felicitatem æternam: ergo debet homini præſcribere modum, quo vult, & exigit ab ipſo coli,

li, item media, & præcepta, quibus ad suam æternam felicitatem pertingere valeat.

Dicendum 2. Vera Religio est revelata. 123
Prob. rursus 1. Quia etiam in hanc veritatem omnes sectæ, & nationes consentiunt, ut manifestum est ex ritibus superstitiosis gentilium, Alcorano Turcarum, Thalmud Judæorum, & sacra Scriptura Christianorum. Nec ullibi fuit gens, quæ suos Popas, sacrificulos, altaria, certasque ceremonias colendi Deum non habuit, quas se vel ab ipsis idolis, vel a vero Deo per Prophetas didicisse credidit, contradicentibus respective paucissimis Philosophastris carni nimium immersis. & in omnem licentiam effusis. 2. Ipsum lumen naturæ dictat, quod Deus sit necessario colendus eo modo, quo vult: atqui hunc modum non dictat lumen rationis; alias in mundo non essent tam diversæ Religiones: ergo hic modus debet nobis ostendi a Deo per revelationem. Conf. Ex una parte Theistarum secta caret certo auctore, & nullos habet sectatores alicujus nominis, aut aliud fundamentum, quo credibilis redderetur, ex altera parte negat Religionem evidenter credibilem nempe christianam: ergo illa est evidenter incredibilis, & vera esse nequit.

Dicendum 3. Religio vera est unica. Prob. 124
Contra indifferentistas laxiores 1. quia plures Religiones in multis docent inter se pugnantia, ut evidens est consideranti principia Christianorum, Judæorum, & Mahometanorum; ergo non omnes possunt esse a Deo auctore revelatæ; alias revelando alterutram esset mentitus; hinc omnes ferme omnium temporum, & locorum nationes judicarunt, non posse hominem in qualibet Religione salvari, ut colligitur

ligitur ex tot libris pro Religione ſcriptis, & bellis pro ea frequenter geſtis. Quid enim opus fuiſſet tantum humani ſanguinis fundere, ſi crediſſent, quamlibet Religionem æqualiter Deo placere, & ad æternam felicitatem conducere. 2. Sola Religio Chriſtiana eſt evidenter credibilis, & credenda, reliquæ vero ſectæ omnes incredibiles: ergo in ſola Religione Chriſtiana Deus rite colitur, prout ipſi placet, & ad ſalutem conducit: cumque hæc religio doceat in nulla alia homines ſalvari poſſe, nulla alia ad ſalutem ſufficit. Conf. Si ſalus in qualibet Religione poſſet obtineri, quivis ſectam ſuam poſſet mutare, neque illius leges obſervare teneretur: hoc non poteſt admitti, tum quia ſequeretur mera confuſio, & morum perverſitas, tum quia pleræque Religiones hanc mutationem prohibent, tanquam aliquid ſummopere culpabile, & ſupplicio dignum.

Objectiones.

125 OBj. 1. Potuit Deus in pœnam peccati originalis permittere errorem univerſalem de exiſtentia veræ Religionis: ergo ex univerſali perſuaſione non probatur vera Religio. Ant. patet, quia error tantum eſſet malum phyſicum, imo cederet in bonum univerſi. Conf. Doctrina de vera Religione potuit a viro quodam ſagaci confingi, & poſtea per educationem in prolibus propagari: ergo. Reſp. Neg. Ant. Alias Deus non ſatis provide gubernaret hominem in ordine ad ſuam gloriam & ipſius hominis felicitatem, cumque hic error univerſalis eſſet neceſſarius, ac circa ipſum fundamentum honeſtatis verſaretur, ſummum malum in mundum inveheret, & argueret naturam

ram pessime constitutam. Dein, nostra Religio defacto est evidenter credibilis, & credenda: ergo saltem moraliter certum est, illam a Deo esse revelatam, adeoque veram, cum Deus mentiri non possit. Denique eadem Religio, quæ docet peccatum originale esse admissum, etiam docet illud esse remissum: ergo vel utrumque, vel neutrum debet admitti tanquam verum. Ad Conf. Neg. Ant. præterquam quod prorsus incredibile sit eundem errorem omnibus hominibus in diversissimis locis instillari, ab experientia constat, quod opiniones, quas in pueritia perperam assumpsimus, facile deponamus, si minus faveant nostræ libertati.

Obj. 2. Modo quis credat in unum Deum, 126
& vivens juxta lumen rationis eundem colat iis ritibus, quos judicat ad illius honorem conducere, satis est dispositus ad suum finem ultimum: ergo non est opus Religione revelata. Conf. Si lex naturalis hominem non satis instrueret, quid agere, & quomodo Deum colere debeat, esset imperfecta & manca: ergo. Resp. Neg. Ant. Deus debet coli illis ritibus, qui ipsi placent, quinam vero ipsi placeant, non dependet ab arbitrio, & æstimatione hominum, sed ipsius Dei. Cum igitur ritus colendi Deum sint diversissimi, ipse Deus debet determinare, quos a nobis exigat. Adde, quod cultus Deo exhibendus vel maxime etiam consistat in obsequio, & subjectione intellectus, qua credimus omnia, & sola illa, quæ Deus revelavit. Ad Conf. Neg. Ant. Sicut anima non est imperfecta ex eo, quod ad constituendum hominem requirat corpus tanquam comprincipium; ita lex naturalis imperfecta non est, licet ad exhibendum cultum Deo debitum requirat revelationem Dei tanquam determinativum. Igitur perfectio & fi-

nis legis naturalis ſtat in hoc, quod hominem inter limites legis naturalis contineat, donec diſtinctior Deum colendi modus ex divina revelatione illi innoteſcat.

127 Dices. Potuit Deus determinationem rituum, quibus coli velit, relinquere cujuslibet arbitrio, vel Principibus, quorum directionem in colendo Deo ſubditi debent ſequi, ſicut ante legem Moyſis ejusmodi ritus a Principibus familiæ determinati fuerunt: ergo. Conſ. In ſtatu naturæ puræ nulla daretur Religio revelata; atqui hic ſtatus eſt poſſibilis: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quod Deus hanc determinationem non reliquerit hominibus, patet ex univerſali conſenſu hominum, & motivis credibilitatis pro noſtra Religione, cumque ipſi Principes non minus, quam alii Deum colere debeant, æque in determinando ritu poſſent errare, niſi per revelationem Dei dirigerentur, ſine qua, ne quidem conſtare poſſet, quod hæc poteſtas Principibus conveniat. Porro etiam ante tempora Moyſis dabatur Religio revelata, & certi quidam ritus, licet pauciores Patriarchis præſcripti erant, ut patet ex lege utendi aliquo ſigno ad impetrandam mediante fide in Chriſtum remiſſionem peccati originalis, ex lege circumciſionis &c. unde Principes tantum determinare poterant alias quasdam ceremonias accidentales. Ad Conſ. Neg. Ant. Etiam in ſtatu puræ naturæ Deus aliquam Religionem debuiſſet revelare, hic autem præſcindimus, an Religio debeat eſſe naturalis, vel ſupernaturalis.

128 Obj. 3. Si Judæus vel Turca invincibiliter putaret ſe habere veram fidem, & Religionem, illamque conſtanter obſervaret, non poſſet excludi a felicitate æterna: ergo plures Religiones conducunt ad æternam ſalutem. Conſ.

Poſ-

Possunt Principi terrestri placere ritus oppositi, quibus ipsum diversæ provinciæ colunt : ergo etiam Deo diversæ diversarum nationum Religiones. Resp. Dist. Ant. Talis non posset excludi a felicitate æterna per se, & vi suæ sectæ, Neg. Ant. per accidens ob ignorantiam invincibilem, Transf. Ant. & Neg. Conf. Difficulter fieri potest, ut homo invincibiliter ignoret falsitatem sectæ, quæ multa docet omnino incredibilia, & scelesta, si tamen contingeret, non quidem esset damnandus ratione infidelitatis, attamen ob alia peccata, aut si ponatur nulla alia committere, Deus illi non denegaret gratiam ad veram fidem perveniendi. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Cultus profani habent suam vim, & æstimationem a voluntate hominum, hinc licet sint oppositi, possunt obtinere suum finem, & principi terreno placere; at vera Religio debet esse revelata ab ipso Deo, Deus autem opposita revelare, ac testari nequit, alias diceret falsum.

Dices. Religio Judaica, licet ab ipso Deo 129
fuerit revelata, divisa erat in plures sectas, Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum &c. quæ omnes erant bonæ : ergo. Conf. Ex ipsis Catholicis quidam docuere, barbaris gentibus, apud quas nunquam lex christiana est prædicata, ad salutem sufficere notitiam naturalem de Deo, & legem naturæ : ergo. Resp. In lege Mosaica quoad substantiam, & articulos fidei convenerunt omnes sectæ, exceptis Sadducæis, qui non solum negarunt resurrectionem, & Angelos, aliosque Spiritus, ut refertur act. 23, sed probabilius omnino erant Athei, ut testatur Josephus lib. 2 de re Judaica; hos proin juxta se non patiebatur Religio Judaica. Eodem modo Religio Christiana pro veris non potest agnoscere alias sectas,

 secus

ſecus jam erraret, & ipſamet non eſſet vera Religio. Ad Conf. Neg. Ant. Nullus talis Doctor Catholicus excepto forte Vega nominari poteſt, ſed omnes tenent illud Apoſtoli ad Hebr. 11 v. 6: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*; notitia autem naturalis Dei ex creaturis hauſta non eſt fides. Hoc cum aliis Catholicis ante annum diximus, quod ejusmodi gentilis, ſi faciat, quod eſt in ſe, non ſit periturus, quia Deus illi non denegabit gratiam fidei.

QUÆSTIO II.

An Religio Chriſtiana ſit evidenter credibilis in ſe?

130 Dicendum. Religio Chriſtiana eſt evidenter credibilis in ſe. Ita certiſſima omnium adeo, ut Suarius diſp. 4 de fide ſect. 3 aſſerat, nullum Catholicum de veritate hujus ſententiæ poſſe dubitare. Prob. 1. Evidenter credibile eſt, Chriſtum eſſe Deum: ergo evidenter credibile eſt, Religionem ab ipſo fundatam eſſe veram, & a Deo revelatam. Ant. Prob. Chriſtus ſæpius, & palam teſtatus eſt, ſe eſſe Deum, neque poſſumus prudenter ſuſpicari, quod falſum dixerit; alias vel fuiſſet homo emotæ mentis, vel nebulo, & impoſtor nequiſſimus, qui per ſummam ſuperbiam, & impietatem ſe Dei filium falſo jactaſſet: utrumque autem eſt evidenter incredibile; quippe admirabilis, & ſumma Chriſti ſapientia oſtenditur 1 ex doctiſſimis interrogationibus, & reſponſis, quibus adhuc puer duodennis periſſimos legis doctores admiratione complevit. 2. Ex admiranda dexteritate, qua ſubdolas Phariſæorum argutias detexit, earumque auctores in ruborem dedit. 3. Ex ſublimitate, &

& cohærentia doctrinæ ab ipso traditæ, ita, ut quamvis ultra septendecim sæcula a tot tantisque sapientibus rigidissime fuerit examinata, nihil in illa potuerit inveniri, quod merito carperetur. 4. Ex sapientissimis sermonibus, quos ad populum habuit, modoque sublimissima mysteria sic ad captum vulgi explicandi, ut palam exclamarint: Nunquam ita locutus est homo. 5. Ex rerum occultissimarum, ac diu postea futurarum cognitione, inspectione cordium &c.

Quod Christus non fuerit impostor evidenter credibile reddit singularis ejus sanctitas, 131
quam 1 palam loquuntur insignia consummatæ perfectionis exempla, totiusque vitæ tenor adeo inculpatus, ut etiam capitalissimi illius hostes nihil invenerint, quod cum veritate culparent, sed opus haberent coram Pilato falsos testes adducere; a quo tamen post exactum examen innocens declaratus fuit. 2. Doctrina a Christo tradita, in qua nihil a bonis moribus alienum, sed non nisi sanctissima omnium virtutum documenta inveniuntur. 3. Potestas prorsus singularis, quam exercuit in dæmones, mortem, naturæ leges, imperando mari, & ventis, panes multiplicando &c. 4. Gravis vindicta, & ultima pœna excidii, ac dispersionis, quam Deus sumpsit de Christi occisoribus, qui potius præmio fuissent digni, si Christus toties se dicens Dei filium non fuisset sanctissimus, imo verus Deus. 5. Testimonia ipsorum Ethnicorum, ac Judæorum; nam teste Hegesippo ad annum Christi 34, & Spondano ad annum Christi 224, Tiberius, Hadrianus, & Alexander Severus Christo divinos honores decreverant. Josephus quoque Judæus lib. 18 Antiquitat. Judaic. cap. 4 de sanctitate, miraculis, & resurrectione Chri-

ſti inſigne teſtimonium exhibet. Eidem conſentiunt Philo Hebræus de laudib. Chriſtian. & Lentulus Romanus Præſes, cum Romam de Chriſti vita literas daret. Ipſe quoque Mahomet teſte Marſilio lib. de chriſtiana Religione cap. 36 conſeſſus eſt, doctrinam chriſtianam ab ipſo Deo auctoritatem mirabilem accepiſſe.

132 Probatur. 2. Eſt evidenter credibile, quod illa Religio habeat Deum auctorem, adeoque vera ſit, quæ plurimis, ac ſtupendis miraculis confirmata, & modo prorſus mirabili per univerſum orbem propagata eſt; atqui talis eſt Religio Chriſtiana: ergo. Maj. prudenter negari nequit, cum enim miracula ſint ſigillum quoddam divinæ auctoritatis, Deus ipſe nobis falſum perſuadere cenſeretur, ſi per ſe, aut alios faceret miraculum in confirmationem Religionis falſæ: ut advertimus num. 44. Jam vero miracula pene innumera, & prorſus ſtupenda tum a Chriſto, & Apoſtolis, tum ab aliis Sanctis, de quibus nulla poterat eſſe prudens ſuſpicio impoſturæ, vel commercii cum dæmone, in oculis velut totius mundi, & ſæpe ſola invocatione divini Nominis, in confirmationem Chriſtianæ Religionis, & ad convincendos infideles edita fuiſſe, conſtat ex memoria totius retro antiquitatis, omnique fere hiſtoria ſacra, eccleſiaſtica, & profana; ut adeo nulla prudens ſuſpicio eſſe poſſit, omnia illa, vel pleraque fuiſſe meras præſtigias, effectus naturales, aut præciſe conficta, quaſi vero ſoli Chriſtiani noverint artem tot, ac tanta miracula fingendi, ut iis etiam doctiſſimi quique & piiſſimi fidem adhiberent.

133 Modum quod attinet, quo Chriſtiana Religio propagata fuit, hæc propagatio facta eſt

1 a paucis, iisque ignobilibus, & in ſpeciem ſimplicibus hominibus. 2. Intra breve admodum tempus, ſine ullis humanis præſidiis, ſine armorum vi, & potentia, ſine perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis. 3. Fruſtra obnitentibus Judæis, & toto imperio Romano, aliisque per orbem Regibus, qui in ejus aſſeclas graviſſimis ſæviebant tormentis, 4. Et quamvis doctrina Chriſtiana contineat multa ſublimia, rationem humanam longe excedentia, multa quoque ſenſibus, & cupiditatibus ingrata, 5. Atque illius auctor morte crucis ſummé ignominioſa affectus fuerit; ita tamen hæc doctrina inflexit duriſſima etiam, & carnis voluptatibus penitus immerſa corda, ut a plurimis avidiſſime arriperetur; evidens autem eſt absque formidine, & indubitato judicari poſſe, doctrinam naturæ corruptæ, & mundi legibus ſummopere adverſam, non niſi Deo auctore, ac divina virtute tam mirabiliter potuiſſe propagari. Hinc S. Auguſtinus lib. 22 de civit. Dei cap. 5 ita concludit: *Si vero per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, reſurrectionem, atque aſcenſionem prædicantibus Chriſti, etiam iſta miracula facta eſſe non credant, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod eam terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit.*

Probatur 3. Eſt evidenter incredibile, quod 134
omnes Apoſtoli, Prophetæ, Martyres, Patres, Doctores decipere voluerint, aut quod Deus permiſerit illos decipi in re tanta, poſt adhibitum ſummum ſtudium veritatis. Nam 1 Apoſtoli homines illiterati, & ſimplices poſt adventum Spiritus ſancti ita fuere repente immutati, ut linguis variis loquerentur, Doctores orbis fierent, & absque omni terreni lucri cupiditate Religionem Chriſtianam prædicarent ſepoſito, quo antea agebantur, timore usque

ad

ad ſanguinis effuſionem. 2. Prophetiæ de divinitate, vitæ, & doctrina Chriſti fuerunt tam apertæ, ut gentiles iis perpenſis aliud Chriſtianis reſpondere non potuerint, quam libros veteris teſtamenti per fraudem primum poſt natam Religionem conſcriptos fuiſſe, in quo tamen ab ipſis Judæis ſatis refelluntur. Vaticinia quoque Sibillarum tam clare myſteria Chriſtianæ Religionis exponunt, ut videri poſſint jam tunc fuiſſe credita. 3. Martyrum numerus ad plures milliones aſcendit, qui ex omni ætate, ſexu, conditione, tormenta atrociſſima ex ſola ſpe futuorum ſumma manſuetudine, & conſtantia ſuſtinuerunt, fructu tam uberi, ut ſanguis martyrum fuerit ſemen Chriſtianorum. 4. SS. Patres aliique Doctores fuere viri ſumma doctrina, & eximiis prorſus virtutibus eminentes, qui ſolius veritatis inveniendæ, & cultus divini promovendi ſtudio adhibitis multis precibus, & vigiliis omnia Religionis myſteria exactiſſime diſcuſſerunt.

135 Allatæ hucusque probationes breviter in hunc diſcurſum colligi poſſunt: Illa Religio eſt evidenter credibilis, de qua ex graviſſimis motivis moraliter evidens eſt, quod ſit vera & a Deo revelata; ſed talis eſt Religio Chriſtiana: ergo evidenter eſt credibilis. Maj. eſt metaphyſice evidens; nam ad prudentem, & evidentem credibilitatem alicujus rei, non requiruntur motiva evidentia pro veritate rei, alias res illa omnino eſſet evidenter vera, ſed ſufficiunt motiva pro veritate rei moraliter evidentia, quia ſic jam indubitato, & metaphyſice certum eſt, quod talis res ſit prudenter credibilis, & fide digna. Minor quoque conſideranti motiva credibilitatis eſt experimentaliter cuilibet nota, & vel metaphyſice vel ſaltem

tem physice evidens, hinc Richard. a S. Victor. lib. 1 de Trinit. cap. 12 ita scribit: *Quæ nobis revelata sunt cælitus, tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis confirmata sunt, ut genus videatur dementiæ, in his vel aliquantulum dubitare.* Dein subjungit: *Nonne cum omni fiducia dicere poterimus: Domine si error est, a te ipso decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis, & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi a te fieri possunt.* In eundem sensum David Psalm. 92 v. 5 Deum alloquens ait: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis,* & Christus ipse Joan. 15 v. 22: *Si non venissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent a peccato suo,* nempe infidelitatis.

Objectiones.

OBj. 1. Quæ de sanctitate, sapientia, & do- 136
ctrina Christi retulimus, fere aliunde non habemus, quam ex historia Evangelica, & testimonio paucorum discipulorum: ergo non sunt evidenter credibilia. Conf. Vaticinia Scripturæ de Christo negant Judæi jam impleta esse: ergo. Resp. Trans. Ant. Neg. Conf. Quamvis Apostoli, & Evangelistæ fuerint pauci, iique Christi discipuli, eorum testimonium nullatenus potest esse suspectum; nam 1 fuerunt integerrimæ vitæ, & licet historiam Evangelicam in diversissimis locis prædicaverint, tamen mire concordant. 2. Eandem historiam statim promulgarunt post mortem Christi, viventibus adhuc illis, a quibus facile mendacii palam argui potuissent, si eorum narratio veritati minus fuisset consentanea. 3. Non solum narrant, quæ sanctitatem, sapientiam, & gloriam Christi commendant, sed illa etiam, quæ ejus divinitatem potius videntur destruere,

re; uti sunt Christi paupertas, abjectio, agonia, mors ignominiosa &c. 4. Nullam prorsus habuissent causam ista confingendi, cum satis præviderint, quod aliam mercedem sperare non possent, quam persecutiones, opprobria, & tormenta. 5. Si de fidelitate illorum prudens suspicio esse potuisset, non tot millia hominum primis statim prædicationis Evangelicæ annis doctrinam corruptæ naturæ tam adversam recepissent. Sane in historia profana sæpe fides indubia habetur historicis numero paucioribus, pro quorum sinceritate non pugnant tot, ac tanta motiva, nec quisquam in dubium vocat, utrum aliquando exstiterit Herodes, Pilatus &c. Ad Conf. Cum omnes ferme gentes, & ex ipsis Judæis plurimi Christum agnoverint ut verum Messiam, cæteris incredulis nulla potest haberi fides, qui Apostolos nullius falsitatis possunt convincere, dum econtra eorum incredulitas in ipsa Scriptura est prædicata.

137 Dices 1. Si vera essent, quæ de nativitate Christi, adoratione Magorum, doctrina, miraculis &c. narrantur, Judæi Christum non habuissent pro simplici fabri filio, sed omnes illum agnovissent tanquam Messiam, quem tunc ardentissime exspectabant: ergo. Conf. Historia Evangelica jure potest esse suspecta de interpolatione, quam jam olim objecit Celsus; hinc Evangelia debuerunt emendari, ut testatur Victor Turonensis, & Isidorus Hispalensis in chronico. Resp. Neg. Ant. Quamquam enim Judæi Christum tanquam Messiam facile agnoscere potuissent, si mentem ad vaticinia, & signa præsentia advertere voluissent, propter quæ multi etiam ex principibus crediderunt in eum, Joann. 12 v. 42. Plerique tamen ita superbia, ambitione, & odio erant excæcati, ut omnia in sinistram partem violenter interpretaren-

rentur, ut dudum prædixerat Jsaias cap. 6 v. 10: *Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur.* Ad Conf. Neg. Ant. Si historia Evangelica fuisset immutata, id certo detexissent Judæi, & Pagani, imo ipsi etiam Christiani, qui libros Evangelicos diligentissime custodierunt, & publice legerunt; quando autem quidam hæretici eos corrumpere attentarunt, statim reclamarunt orthodoxi; atque de his exemplaribus videlicet ab hæreticis corruptis, testatur Victor, & S. Isidorus, quod emendata fuerint.

Dices 2. Textus ab antiquis Patribus citati non amplius habentur in Evangeliis eodem modo, quo ab ipsis citati fuerunt: ergo. Conf. Ipsi Evangelistæ ut Prophetias veteres Christo applicarent, mutilarunt textus veteris testamenti, & a sensu litterali ad mysticum transtulerunt: ergo. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Quamvis SS. Patres nonnunquam textus desumpserint ex corruptis exemplaribus, aut illos solum e memoria, ac quoad sensum, vel etiam ex verbo tradito allegaverint, plurimi tamen apud ipsos eodem modo citati leguntur, quo habentur in Scriptura; Ecclesia vero aliique Patres optime noverunt textus genuinos a spuriis discernere. Ad Conf. Quando Evangelistæ textus aliquos in sensu mystico applicarunt Christo, id fecerunt juxta usum, & theologiam illorum temporum, utque tum Judæis in Palæstina habitantibus, tum Helenistis versantibus in Ægypto, & hebraicæ linguæ minus peritis se accommodarent, modo ex fonte hebræo, modo ex græca interpretatione textus sumpserunt, & quandoque potius sensum quam 138

quam verba voluerunt exprimere, præſertim ubi non agebatur de puncto controverti ſolito; hinc Judæi illa ætate viventes, nunquam ipſis corruptionem, aut malam textuum applicationem objecerunt.

139 Obj. 2. Ex una parte teſtimonia, quæ de Chriſto ex antiquo teſtamento petuntur, jam ſunt nimis antiqua, adeoque non amplius apta ad fidem faciendam: ex altera parte non eſt certum, quod libri novi teſtamenti non primum fuerint ſcripti longo poſt Chriſtum tempore: ergo non poſſunt facere evidentem credibilitatem. Conf. Primis Eccleſiæ temporibus varia circumferebantur Evangelia Petri, Jacobi, Thomæ, & ipſius Judæ Iſcariotis, quæ nunc repudiantur: ergo. Reſp. Neg. Ant. Si libri tanto minus ad perſuadendum valerent, quanto ſunt antiquiores, tota fides hiſtorica corrueret, & fruſtra ſcriberentur annales; hinc ipſa antiquitas Scripturæ inter tot perſecutiones, & caſus ſemper conſervatæ potius illius veritatem magis commendat. De teſtamento novo autem ipſi Evangeliſtæ teſtantur, ſe ſcribere, quæ ſuo tempore, & ipſis etiam videntibus contigerunt, ipſoſque librorum iſtorum Auctores fuiſſe, aſſerunt Scriptores antiquiſſimi, & illorum ætati maxime vicini; unde tam parum poteſt fingi, quod primum poſtea fuerint ſuppoſiti, quam parum id veriſimiliter diceretur de hiſtoria Cæſaris, Plinii &c. Ad Conf. Sicut aliqua Evangelia apocrypha ab Eccleſia rejecta fuerunt, ita ex hoc ipſo colligitur, quod illa ſint genuina, quæ ex perpetua traditione ſemper agnovit, & usque ad tempora noſtra conſervavit.

140 Dices 1. Si opera Chriſti fuiſſent tam præclara, & pervulgata, de illis etiam mentionem feciſſent alii illorum temporum hiſtorici Romani,

mani, & Judæi, ſed de his altum apud ipſos ſilentium. Conf. Teſtimonium Joſephi Judæi a nobis allegatum non reperitur in ipſius hiſtoria: ergo. Reſp. Si Apoſtoli circa vitam, & mortem Chriſti tam enormia mendacia ſparſiſſent in vulgus, illorum temporum hiſtorici illos redarguere debuiſſent. In forma Neg. Maj. ſicut hiſtorici Romani, & Judæi ob hujus vitæ commoda, & metum tyrannorum non ſunt amplexi Religionem Chriſtianam; ſic plerique, quidquid a Chriſto laudabile geſtum, ſilentio præterierunt, ne ſuorum improbitatem, & inſaniam condemnarent, & Cæſares, aliosque Principes ethnicos offenderent. Imo prodigii inſtar habendum, quod rebus ita conſtitutis ſaltem aliqui tam præclarum de Chriſto teſtimonium dederint. Ad Conf. Neg. Ant. Duo fuere Joſephi celebres hiſtoriæ Judaicæ ſcriptores, unus filius Mathatiæ, alter filius Gorionis, ut oſtendit Bellarm. de Scriptor. eccleſ. verbo Joſephus. Jam licet allegatum teſtimonium non reperiatur apud poſteriorem, reperitur tamen in hiſtoria prioris, ſaltem in exemplaribus fraude Hebræorum non corruptis; nam Baronius ad annum Chriſti 34 refert, teſtimonium hoc in veteri quodam exemplari Romæ abraſum fuiſſe, idque clare teſtari ipſam membranam.

Dices 2. Saltem ex teſtimonio Martyrum nihil probatur pro Religione Chriſtiana; nam etiam ſectæ falſæ habent ſuos Martyres. Sic Judæi pro ſua Religione graviſſima patiuntur, Mahometani a Chriſtianis capti, ſæpe malunt mortem ſubire, quam ſuam ſectam deſerere. Idipſum fecerunt non pauci hæretici Donatiſtæ, Huſſitæ, Anabaptiſtæ. Conf. Nullus eſt Martyr, quem neci non dederit gladius: ergo 141

ſignum eſt, quod eorum alacritas, & manſuetudo in aliis tormentis adſcribi debeant præſtigiis diabolicis. Reſp. Neg. Ant. Quid teſtimonio Martyrum tribuendum ſit, debet colligi tum ex numero, & qualitate illorum, tum ex cauſa ſive genere, & circumſtantiis martyrii. Jam vero pro Religione Chriſtiana paſſi ſunt innumeri, plerique pietati addictiſſimi, & inter illos decrepiti ſenes, imbelles fæminæ, timidi alias adoleſcentes. Mors ſæpe fuit atrociſſima. Cauſa, & finis, ne idola colerent, aut verum Deum offenderent Modus patiendi manſuetus, & hilaris, martyrium non raro comitante ingenti gloria miraculorum, & aliorum ipſius etiam carnificis converſione. Ex his pleraque ſemper defuere in Pſeudo-Martyribus aliarum ſectarum, qui non tam pro ſua ſecta, quam ob notoria crimina triſtes, ac coacti mortem ſubierunt, ut conſtat præcipue de hæreticis. Judæi quoque ſuas calamitates patiuntur ob enorme majorum ſuorum ſcelus, quo Chriſtum crucifixerunt. Hinc ad Conf. ſatis patet, nullum in noſtris martyribus dari veſtigium commercii cum dæmone, cui Religionem Chriſtianam valde exoſam eſſe aliunde certum eſt. Cur autem Deus illos a tormentis aliis non raro, ſed non a gladio immunes ſervarit, nos quidem latet, forte ut toto ſanguine profuſo veritati ſuæ Religionis ſubſcriberent. Interim plurimi alio mortis genere vitam poſuerunt, quam aliis ne quidem gladius adimere potuit.

142 Obj. 3. Non ſatis conſtat, quod miracula, quæ pro Religione Chriſtiana afferri ſolent, ſint vera miracula, & quidem facta in confirmationem Religionis: ergo Religio ex illis non redditur evidenter credibilis. Conf. Non eſt certum, quod Deus non poſſit permittere miraculum in teſtimonium falſi: ergo. Reſp. Neg. Ant.

Ant. Miracula, quæ tum a Christo, & Apostolis, tum ab aliis viris sanctissimis patrata sunt, longe excedebant vires totius naturæ, simulque erant remotissima ab omnibus superstitiosis ceremoniis, ac insuper tam manifesta, totque authenticis testimoniis confirmata, ut de illis nemo prudenter possit dubitare. Quod autem facta sint in confirmationem Religionis Christianæ, clare patet ex circumstantiis; sæpe enim fuerunt edita non solum pro defensione Religionis, sed etiam tunc, quando tam illi, qui ea patrabant, quam alii, coram quibus patrabantur, expectabant signum veræ fidei, & ubi nulla prudens suspicio esse potuit, ea fieri ob alium finem. Sic ipse Christus Joan. 10 v. 38 dixit: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ad Conf. Neg. Ant. præsertim in re tanti momenti, ubi agitur de vera Religione, quæ est medium necessarium ad salutem, & quando alium finem miraculi nemo potest prudenter suspicari.

Dices 1. Vera Religio non debet probari ex miraculis, sed vicissim ex auctoritate veræ Ecclesiæ debet probari, an miracula vere sint talia, quippe ut S. August. lib. de Unit. Ecclesiæ cap. 15 ait: *Quæcunque talia in* (Ecclesia) *catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt, & non ideo ipsa Ecclesia manifestatur, quia in ea miracula fiunt.* Conf. S. Lucas cap. 16 docet, illum qui Scripturæ non credit, neque miraculis crediturum. Sic dæmones non crediderunt divinitatem Christi, licet ejus miracula viderint. Resp. Neg. Ant. S. Augustinus agit contra Donatistas, qui contemptis miraculis Ecclesiæ catholicæ jactabant sua potissimum consistentia in quibusdam visionibus, quæ cum merito fuerint suspectæ, 143

reposuit Augustinus ea miracula pro veris habenda non esse, quæ allegantur in confirmationem Religionis falsæ, Religionem autem Donatistarum falsam esse aliunde ex Scriptura ostendebat; de veris autem miraculis contra epistolam Fundamenti cap. 4 sic habet: *Tenet me in Ecclesia consensus populorum, atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata.* Ad Conf. S. Lucas loquitur de illis, qui Scripturam recipiunt & de articulis clare in illa contentis, quibus si talis non credit, nec miraculis credet. Infidelitas dæmonum eorum obstinationi adscribenda est, neque illis fuit certum, miracula a Christo in confirmationem suæ Deitatis facta esse, quia, ut ait S. Augustinus lib. 9 de civit. cap. 1, Christus in tantum innotuit dæmonibus, quantum voluit.

144 Dices 2. Miracula solum erant necessaria primis Ecclesiæ temporibus; signa enim dantur infidelibus, non fidelibus: ergo miracula non sunt signa veræ Religionis. Conf. Etiam a Magis, & Pseudo-Prophetis multa facta sunt miracula, pluraque faciet Anti-Christus: ergo. Resp. Omitt. Ant. Dist. Conf. ergo miracula non sunt signum necessarium veræ Religionis, Transf. Conf. signum sufficiens, Neg. Conf. Quamvis ad demonstrandam credibilitatem Christianæ Religionis miracula absolute non essent necessaria, aut illa, quæ jam olim patrata sunt, sufficere possent; nihilominus Deus continuis miraculis Ecclesiam suam ornare pergit, eaque adhuc multis infidelibus, & hæreticis servire possunt ad veram Religionem inveniendam. Ad Conf. Miracula a Magis, & Pseudo Prophetis facta, aut facienda ab Anti-Christo non sunt vere miracula, sed ludibria ope dæmonis exhibita. Quod si quædam vera ab aliis facta legantur, ea non sunt patra-

ta

ta in confirmationem falſæ ſectæ, ſed præciſe in commendationem alicujus virtutis, vel etiam Religionis veræ. Sic miraculo Pauli Epiſcopi Novatiani, quo aqua baptiſmalis ad præſentiam Judæi, Baptiſmum irriſuri, evanuiſſe dicitur, confirmatus eſt verus articulus fidei; ſi tamen fides habenda Socrati, qui de hac ipſa hæreſi Novatiana ſuſpectus fuit.

Obj. 4. Religio Chriſtiana multa docet penitus incrediblia, imo ſanæ rationi repugnantia, uti Deum eſſe trinum, & unum, Chriſtum ſimul eſſe hominem, & Deum, mortuum pro viliſſimis hominibus, carnem illius in Evchariſtia manducari &c. ergo. Conf. Articuli Religionis Chriſtianæ ſunt pene innumeri, adeoque non poſſunt omnes accurate expendi, præſertim a rudibus: ergo non eſt certum, quod ſint conſoni rectæ rationi, & honeſtatis legibus. Reſp. Diſt. Ant. multa docet, quæ videri poſſent incredibilia, ſi præciſe ſpectentur ſecundum ſe, Conc. Ant. ſi ſpectentur ſub allatis motivis credibilitatis, Neg. Ant. Quædam myſteria Religionis Chriſtianæ ſuperant quidem naturam, & intellectui noſtro ſibi ſoli relicto ſunt inacceſſa; attamen non ſunt contra lumen rationis, ut in tractatibus aliis probatur. Cum igitur eorum credibilitatem aliunde evidenter oſtenderimus, non debent negari ex eo, quod magnæ difficultates in contrarium poſſunt objici. Sic quia poſſibilitas motus, & continui aliunde eſt evidens, nemo prudenter illam negaret, licet in contrarium pugnent graviſſima argumenta. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. ad evidentem credibilitatem ſufficit ſcire in genere, quod Religio Chriſtiana habeat Deum Auctorem, qui illam confirmavit multis miraculis ita, ut plurimi, 145

& ſapientiſſimi eandem tanquam rectæ rationi conſonam acceptarint. Porro articuli ſcitu neceſſarii non ſunt adeo multi.

146 Dices. Pro veritate Religionis Chriſtianæ pugnant motiva tantum moraliter certa, pro illius falſitate autem adeſt principium metaphyſice evidens: Quæcunque ſunt eadem uni tertio &c., quo impugnatur myſterium Trinitatis: ergo motiva credibilitatis ſunt tantum apparenter moraliter certa, & debent cedere veritati evidenti. Conf. Saltem argumenta, quæ pugnant contra Religionem Chriſtianam, habent magnam, & vix ſolubilem difficultatem: ergo ſunt probabilia, conſequenter oppoſitum non poteſt eſſe evidenter credibile. Reſp. Conc. Ant. quoad 1mum membrum, Neg. quoad 2dum. Principium allatum ita nude, & generaliter acceptum neutiquam eſt metaphyſice evidens, ſed ab ipſo Ariſtotele lib. 3 phyſic. text. 21 limitatur ad ea, quæ ſunt idem non quomodocunque, ſed re & ratione. Idem faciunt, qui in creatis admittunt diſtinctionem ex natura rei formalem, virtualem majorem, aut præciſiones objectivas; quia tamen infinitam Dei Majeſtatem non debemus metiri juxta limitatam intellectus humani ſphæram, poteſt Antecedens ita Diſt. hoc principium eſt evidens in creatis, Tranſ. in divinis, Neg. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Probabilitas, quam iſtæ difficultates ſe ſolis ſpectatæ facere poſſent, eliditur per motiva credibilitatis, adeoque non eſt probabilitas vere, & comparative talis.

147 Obj. 5. Si Religio Chriſtiana eſſet evidenter credibilis, evidentia neceſſitaret ad aſſenſum, & a nemine poſſet negari, hoc falſum; negatur enim a gentibus, Judæis &c. Conf. Tali modo ad illam credendam non eſ-

ſet

ſet neceſſaria pia affectio, ſed evidentia credibilitatis ſufficienter ad aſſenſum inclinaret; ſequela non poteſt admitti: ergo. Reſp. Diſt. Maj. tunc a nemine poſſet negari ejus veritas, Neg. Maj. ejus credibilitas, Subdiſt. ſi rite conſideret, & penetret motiva credibilitatis, Conc. Maj. ſecus, Neg. Maj. Veritas Religionis Chriſtianæ tantum eſt moraliter certa; hinc abſolute negari poteſt, licet non prudenter; credibilitas vero abſolute negari nequit, ſi motiva bene perpendantur, prout fieri non ſolet a gentilibus, & Judæis, qui forte de his motivis parum, aut nihil audiverunt, ſecus cenſerentur loqui contra mentem, & ſolum negare exterius, quod hæc motiva ſint prudenti fide digna. Porro multa aliquibus e. g. Mathematicis ſunt evidentia, quæ ab imperitis negantur, quia non ſatis aſſequuntur rationes, quibus demonſtrantur. Ad Conf. Neg. Maj. Evidentia credibilitatis inclinat quidem, ut aſſentiamur ipſi veritati Religionis Chriſtianæ; at non neceſſitat, unde adhuc manet neceſſaria pia affectio imperans aſſenſum, præſertim ſi conſideretur obſcuritas intrinſeca, & captu difficilis ſublimitas quorundam myſteriorum.

Dices. Si Religio Chriſtiana eſſet evidenter credibilis, tunc evidens eſſet illam credi poſſe fide divina; hoc falſum, quia non eſt evidens, quod ſit a Deo revelata. Maj. Prob. Motiva credibilitatis non afferuntur præciſe ad evincendam fidem humanam: ergo. Conf. Vel eſſet evidens, quod Religio Chriſtiana poſſit credi fide ſupernaturali, vel tantum naturali? non primum, quia fides ſupernaturalis non eſt evidenter poſſibilis: non ſecundum, quia Religio Chriſtiana debet cre- 148

di fide supernaturali. Resp. Dist. Maj. illam credi posse fide divina, vel reipsa, vel apparenter tali, Conc. Maj. reipsa tali, Neg. Maj. hoc enim non est evidens, quamvis ita sit certum, ut de eo prudenter non possit dubitari. Nempe ut mihi imperem actum fidei propter auctoritatem Dei revelantis, sufficiunt motiva moraliter certa, quæ omnino persuadeant, illam revelationem divinam existere; si vero hæc motiva nihilominus essent falsa coram Deo, & revelatio divina reipsa non existeret, actus ille fidei, esset quidem actus prudens, sed non esset actus fidei divinæ nisi apparenter talis. Ad Conf. Neg. Maj. Neutrum juxta nos determinate est evidens, sed tantum quod Religio Christiana credi possit fide aliqua excludente omnem prudentem formidinem præscindendo adhuc, utrum fides illa sit supernaturalis, vel tantum naturalis. Interim etiam non possumus prudenter dubitare, quin sit supernaturalis.

QUÆSTIO III.

An Religio Christiana sit etiam evidenter credibilis comparative ad alias sectas non Christianas?

149 Dicendum. Religio Christiana etiam est evidenter credibilis comparative ad alias sectas non Christianas. Prob. Ex una parte motiva credibilitatis, quæ pugnant pro aliis sectis, sunt comparative levia, & indigna assensu viri prudentis: ex altera parte quælibet alia secta docet aliquid, quod est incredibile, falsum, aut Deo dignum: ergo. Ant. quoad 1mum membrum patebit ex solutione ob-

objectionum, quoad 2dum Prob. 1 generaliter. Omnes aliæ fectæ docent Christum non esse Deum, & quamvis nulla habeat auctorem tantæ sanctitatis, sapientiæ, & potentiæ, asseclas tam eximiis virtutibus instructos, doctrinam tam sanctam, & puram, tot Prophetiis pronuntiatam, tantisque miraculis confirmatam, contendunt nihilominus, suam Religionem Christianæ esse præferendam; hoc autem evidenter est incredibile: ergo. Idem membrum probatur 2do specialiter de singulis sectis, quas num. 120 enumeravimus.

Polytheismus agnoscit plures Deos, quos 150
gentiles pro libitu sibi fabricabant ex lignis, & lapidibus, vel aliunde assumebant ex silvis, aquis, stabulis &c. ut vix ulla creatura tam vilis, & abjecta sit, cui non divinos honores detulerint; quod utique absurdissimum, & manifestæ falsitatis convincitur in tractatu de Deo. 2. Romani, & Ægyptii, qui cæteras gentes sapientia antecellere videbantur, tanquam Deos coluerunt Jovem, Mercurium, Bachum, Venerem, aliosque homines sceleſtissimos, qui mundum stupris, adulteriis, incestibus, furtis, aliisque gravissimis vitiis impleverunt, adeoque cultus ipsis exhibitus evidenter fuit impius, & sacrilegus. 3. Sapientissimi gentilium in materia morum adversus lumen rationis turpissime hallucinati sunt. Socrates, Cato, & Plato uxorum commutationem, & abusum introduxerunt. Lycurgus Spartanis permisit furtum occultum, Solon Atheniensibus arbitrarium libidinis usum indulsit. Aristoteles procurationem abortus etiam præcepit, si filiorum numerus familiæ proventus excedat.

Theismus nullum habet certum auctorem 151
alicujus nominis, caret sanctitate, miraculis, forma, & certo ritu Religionis, nullos nume-

 rat

rat ſectatores ſapientia, & virtute conſpicuos, ſed paſſim a prudentibus rejicitur, adeo, ut in orbe vix inveniatur purus theiſmus, & non craſſis erroribus ſcatens. 2. Docet nihil eſſe credendum, niſi quod ratione naturali aſſequi poſſumus; cum tamen evidens ſit, Deum noſſe, ac revelare poſſe plurima, quæ noſtrum captum tranſcendunt, & quod talia defacto revelaverit, nosque ad ea credenda obligaverit, evidenter eſt credibile ex motivis pro Religione Chriſtiana adductis. 3. Theiſtæ ineptiam ſuam vel per hoc ſatis produnt, quod hiſtoricis, & aliis hominibus credant talia, quæ nec viſu, nec alia ratione perceperunt e. g. ſtatum amicorum, exiſtentiam, & ſitum urbium &c. & tamen negent fidem Deo revelanti ea, quæ ſunt ſupra naturam, licet illa tot tantisque ſignis facta ſint credibilia.

150 Judaiſmus 1 negat Chriſtum eſſe verum Deum, & adhuc expectat venturum Meſſiam, cum ex libris veteris teſtamenti, quos ipſi ut divinos recipiunt, luculenter conſtet, Meſſiam jam veniſſe, ut oſtenditur in tractatu de Incarnatione, & interim colligi poteſt ex pœnis graviſſimis, quas Judæi ob cædem Chriſti Deo dederunt. 2. Hæc ſecta, prout modo datur, non amplius habet Deum auctorem, & Moyſen, ſed Rabinos quosdam, qui abſurdiſſima quæque commenti ſunt. Nam 3 lliber eorum doctrinalis, quem Thalmud appellant, & paris auctoritatis cum libris canonicis eſſe volunt, ineptiſſimis fabulis, & blasphemiis ſcatet. e. g. Deum antequam mundum conderet, plures produxiſſe creaturas, atque iterum deſtruxiſſe, ut hac ratione artem addiſceret mundum fabricandi. Eundem primas cujusque diei horas tribuere ſtudio legis Moſaicæ, alias tres

tres erudiendis parvulis, tres alias ludere cum pisce Leviathan. Esse locum in cælo separatum, in quem Deus identidem se recipiat, magnisque fletibus deploret, quod templum Jerosolymitanum everti, & populum Judæorum, tam charum sibi, ita dispergi permiserit; quoties enim meminisset calamitatum, quibus eam gentem afflixit, toties utraque manu pectus sibi tundere, & duas lachrymas in oceanum effundere.

Mahometismus auctorem habet Mahometem hominem prorsus illiteratum, qui ne quidem scribere, aut legere novit. Impostorem nequissimum, qui licet admittat, quemlibet in sua secta salvari posse, tamen alios ad Mahometismum cogi debere pronuntiat. Animal spurcissimum, quod non erubuit palam profiteri, sibi per privilegium a Deo concessam esse potentiam 40 alios libidine superandi. 2. Doctrina Mahometismi secum pugnat, dum Christum Deum esse negat, simul tamen fatetur, illum fuisse virum sanctum, & Deo charum, qualis certe non est, qui per summum sacrilegium divinitatem sibi arrogat. Est blasphema, cum docet, Deum pro Mahomete orare, est impiissima, dum externam Dei negationem, perjurium assertorium, vindictam privatam, violentas regnorum direptiones, fornicationem, adulterium, sodomiam &c. permittit, summam vero hominis felicitatem in esu, potu, & voluptatibus corporis constituit, unde hæc secta dudum appellata est Religio porcorum. 3. Alcoranus Mahometanorum liber dogmaticus continet absurdissimas fabulas e. g. lunam, & solem fuisse paris splendoris, sed lunam affrictu Angeli Gabrielis læsam multum de suo lumine perdidisse: Mahometem cornua diffractæ lu-

nae

næ in terram delapſa intra manicas ſubuculæ ſuæ abſcondiſſe, & iterum reparaſſe. Plura ejusmodi deliramenta legi poſſunt apud P. Thyrſ. Gonzalez in manuductione ad converſ. Mahomet. P. 2 lib. 5 cap. 32.

Objectiones.

154 OBj. 1. Olim ferme omnes gentes coluerunt plures Deos : ergo Polytheiſmus non eſt evidenter incredibilis. Conf. Quod univerſaliter fit, a natura fieri cenſendum eſt ; ſed natura non poteſt inducere in errorem : ergo. Reſp. Diſt. Ant. Coluerunt plures Deos ore tenus, & ceremoniis externis, Conc. Ant. mente, & animo ſincero, Subdiſt. rudiores, Tranſ. Ant. omnes etiam ſapientiores, Neg. Ant. & Conſ. Quamquam Polytheiſmus apud gentes quasdam plurimum invaluerit ob corruptiſſimos mores, quibus ut excuſationem prætexerent, etiam turpiſſimos Deos finxerunt, errorem apud plebem per ſua figmenta propagantibus pictoribus, atque poetis, eumque protegentibus ipſis Principibus ex timore, ne mutatio Religionis turbas in regnis excitaret; multi tamen ex ſapientioribus ſolum ore tenus ob metum plebis, & Principum plures Deos coluerunt, uti de Ariſtotele teſtatur Seneca, de Peripateticis Origenes lib. 2 contra Celſum, de Platonicis & Seneca S. Auguſtinus lib. 6 de civit. cap. 10, de ipſo Platone S. Juſtinus Martyr in Paræneſi ad gentes, ubi oſtendit illum non fuiſſe auſum, mentem ſuam declarare, ne cogeretur bibere cicutam, ſicuti Socrati contigit. Ad Conf. Diſt. Maj. niſi aliunde falſitas clare pateat, & error in alias cauſas poſſit refundi, Conc. Maj.

Maj. ſecus, Neg. Maj. & ſuppoſitum, quod Polytheiſmus unquam fuerit univerſalis.

Dices. In confirmationem Polytheiſmi patrata ſunt plura miracula, ut refert S. Auguſtinus lib. 10 de civit. cap. 16. Sic Dii penates ex Urbe Troja cum Ænea de loco in locum migrarunt. Serpens Epidaurus Æſculapio Romam naviganti individuus comes adhæſit: Trajanus cotem novacula ſecuit, Veſpaſianus cæco lumen reſtituit, Claudia Romana navem, quæ hominum, boumque conatibus pertinaciter reſiſtebat, cingulo ſuo alligatam in teſtimonium pudicitiæ traxit ad littus. Alia Virgo Veſtalis ad probandam ſuam innocentiam cribro aquam hauſit, Apollonius Tyanæus dicitur fœminam ad vitam revocaſſe. Conf. Gentiles a ſuis Diis multa miraculoſa reſponſa, & vaticinia acceperunt. Reſp. Neg. Ant. Miracula gentilium vel fuere præſtigiæ dæmonum, vel certe non ſuperarunt eorum vires naturales, ut loc. cit. advertit S. Auguſtinus, & de ſanatione a Veſpaſiano facta legi poteſt in Tacito lib. 4 Hiſt. & Spondano ad annum Chriſti 71. Quod de Apollonio Tyanæo refert Philoſtratus, egregie refutat, & mendacii arguit Euſebius, Chryſoſtomus, & Hieronymus. Virgines Veſtales, ſi transmittatur, quod vera miracula patraverint, illa facta ſunt in teſtimonium virginitatis; non in confirmationem falſæ Religionis. Ad Conf. Reſponſa, & vaticinia idolorum, vel fuere fraudes poparum, vel ludibria, deceptiones, æquivocationes, aut conjecturæ dæmonum, ut paſſim conſtat ex hiſtoriis. 155

Obj. 2. Theiſmus ex una parte late fuit propagatus, & teſtimonio multorum approbatus. Ex altera parte, hoc ipſo quod doce- 156

at,

at, unum ac verum Deum colendum esse juxta lumen sanæ rationis, nihil docet incredibile: ergo. Conf. Vaticinia Sybillarum, quæ pro Religione Christiana citavimus, varia continent vana, & falsa, nec amplius exstant: ergo. Resp. Qui pro theismo stetere, respective fuere pauci, nec omni exceptione majores, aut tanta sapientia, sanctitate, constantia &c. præditi, quanta illi, quos pro nostra Religione citavimus, neque pondus testimonii tam ex numero testium, quam eorum qualitate colligendum est; quamvis autem theismus nihil doceat incredibile quoad ea, quæ affirmat, doce tamen incredibile quoad ea, quæ negat, cum evidenter credibile sit, quædam esse credenda, quæ naturam superant. Ad Conf. Sybillarum mentionem faciunt auctores Ethnici gravissimi, Euripides, Chrisippus, Democritus, Heraclitus, Polydorus, Cicero &c. eorum libri sub Tarqiuino superbo erant duo, postea decem, demum quindecim, quos tanquam Divinos legebant. Iis contra Ethnicos usi sunt præcipui Patres Justinus Martyr, Clemens Alexandr. Orig. Lactant. Hieron.; & quamvis postea ab Ethnicis ex odio Christianorum fuerint suppressi, non tamen ita fuerunt extincti, ut non plurima illorum fragmenta apud antiquos Auctores remanserint. Quod si aliqua vana, aut falsa in illis reperiantur, vel corrupta sunt, vel non satis intelliguntur.

157 Obj. 3. Judaismus habet eadem motiva credibilitatis cum Religione Christiana: ergo non est minus credibilis. Ant. Prob. Judaismus habet 1 Auctorem ipsum Deum per Angelos, & Moysem populo suo loquentem. 2. Doctrinam continet puram, & sanctam, utpote ex ipsius Dei ore profectam. 3. Cultores numerat sanctissimos æque ac sapientissimos,

mos, tot nimirum Patriarchas, & Prophetas aliosque innumeros. 4. Non caret Martyribus, inter quos eminuere Machabæi sub Antiocho pro defensione legis patriæ occisi. 5. Miraculis confirmatus fuit plurimis, & insignibus. Resp. Dist. Ant. & hæc motiva solum probant Judaismum olim, nempe ante adventum Christi, fuisse veram Religionem, Conc. Ant. illam adhuc esse veram, Subdist. quoad aliquam sui partem, qua consentit cum Religione Christiana, Conc. Ant. quoad omnia etiam illa, in quibus opponitur Religioni Christianæ maxime circa adventum Messiæ, & Divinitatem Christi, Neg. Ant. & Cons. Deus voluit Religionem Judaicam non esse perpetuam, sed per adventum Messiæ in melius commutari, ut ipsemet prædixit per Prophetas, neque post adventum Messiæ in fæce Judæorum amplius veri sancti, verum miraculum, aut sana doctrina reperitur, sed insignis arrogantia, pertinacia, & ineptissimæ fabulæ ex fanatico Rabbinorum cerebro exsculptæ.

Obj. 4. Religio Mahometana intra breve 158
tempus latissime fuit propagata: ergo signum est, quod habeat Deum auctorem. Conf. Vel Mahometismus fuit propagatus per miracula, vel sine miraculis? si primum, est vera Religio: si 2dum, hoc ipsum est magnum miraculum, quod tam multi hanc Religionem sine miraculis receperint. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Nec sola, nec quælibet propagatio Religionis est signum, quod habeat Deum Auctorem, sed debet esse vestita iis circumstantiis, quas num. 133 retulimus, & neutiquam invenire est in secta Mahometana; nam Mahomet ad illam propagandam usus est armis, & vi illata etiam invitos coegit, eosque fere non nisi rudes, & indoctos. Permisit prætere-

rea

rea suis sectatoribus omnem vitæ licentiam, ad quam natura depravata per se prona est. Denique, ut falsitates, & errores suos obtegeret, gravissime prohibuit litterarum studium, lectionem librorum, discussionem suæ doctrinæ, & disputationes de rebus fidei. Hinc ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. quoad 2dum membrum, alias violentia, vitæ licentia, & inscitia in rebus fidei miraculis accenseri deberet.

QUÆSTIO IV.

Quænam inter sectas Christianas præ reliquis sit credibilis & credenda?

159 Dicendum 1. Præ omnibus aliis sectis Christianis evidenter credibilis est Religio Romano-Catholica. Prob. Motiva credibilitatis, quæ probant Religionem Christianam in genere esse evidenter credibilem, constanter permanserunt in sola Religione Catholica, & cessarunt in omnibus aliis sectis, quæ ab illa recesserunt: ergo. Ant. Prob. in sola Religione Catholica semper conservata est doctrina a Christo, ejusque Apostolis tradita; hæc sola per universum orbem fuit propagata, & miraculis confirmata, quæ etiam nunc postremis hisce temporibus continuantur, & præcipue apud Japones, aliasque gentes barbaras renovata sunt: in hac sola floruerunt SS. Martyres, aliique viri eximia sanctitate, dono Prophetiæ, aliisque favoribus extraordinariis a Deo præditi, qui omnes cum Religione Catholica consentiebant, & cœtus reliquos ab ea separatos tanquam hæreticos, & schismaticos execrabantur. Certe pro aliis sectis ne unicum quidem miraculum poterit ostendi, de nul-

nullo ex sectariis constat, quod vera sanctitate, aut specialibus Dei donis eminuerit, imo qui populos a Religione Catholica abduxerunt, plerumque erant homines superbissimi, & spurcissimi, maxime duo ultimi reformatores Lutherus & Calvinus. Conf. illa sola Religio Christiana est evidenter credibilis, cui conveniunt signa, & notæ veræ Christi Ecclesiæ; atqui hæc conveniunt soli Religioni Catholicæ, uti disputatione 3 ostendetur, ubi fuse totum hoc argumentum deducetur.

Dicendum 2. Religio Romano-Catholica 160
præ omnibus aliis sectis evidenter est credenda. Prob. Evidenter credibile est, quod sola Religio Catholica sit vera, & a Deo revelata: ergo evidenter datur obligatio illam præ omnibus aliis sectis credendi. Conf. Prob. 1. Evidens est, quod Deo loquenti teneamur deferre debitam reverentiam, quando sine temeritate non possumus dubitare, quin sit locutus; atqui hæc reverentia consistit in hoc, ut ipsi credamus: ergo. 2. Evidens est, quod homo teneatur amplecti aliquam Religionem, & quidem unicam: ergo evidenter tenetur potius amplecti illam, quæ est evidenter credibilior, quam aliam minus, aut omnino non credibilem; alias crederet imprudenter. 3. Vera Religio est medium unice necessarium ad consequendum nostrum ultimum finem: ergo tenemur illam amplecti, quæ est evidenter credibilior; si enim hæc non esset vera, nunquam veram Religionem possemus invenire, sed potius obligaremur ad amplectendam aliquam falsam. Conf. Illa ipsa Religio, quæ est evidenter credibilis, docet dari præceptum amplectendi Religionem veram: *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. ult. v. 17: ergo evidenter est credibile, quod teneamur hanc Re-

ligionem amplecti: ergo ipsum jus naturale obligat, ut illam amplectamur.

161 Dixi, Religionem Romano-Catholicam esse evidenter credibilem, & credendam, per quod non affirmo, quod etiam sit evidenter vera evidentia metaphysica, & summe tali, sed solum evidentia quadam latius accepta consistente in tanta apparentia veritatis, ut nemo possit prudenter formidare de opposito. Ratio est 1, quia quædam mysteria Religionis Romano-Catholicæ sunt tam sublimia, ut captum credentium longe superent, quæ proin lumini rationis potius videntur repugnare, quam ut intellectum ad assensum rapiant, & necessitent. 2. Multi viri doctissimi rite perpensis, & consideratis omnibus motivis credibilitatis, non advertunt, se per illa ad assensum necessitari; imo de ipsis motivis credibilitatis non est metaphysice evidens, quod sint vera e. g. quod miracula non sint facta in alium finem, quam in confirmationem Religionis Catholicæ. Addunt aliqui 3, quod per evidentem veritatem Religionis tolleretur necessitas piæ affectionis, obscuritas, & libertas fidei. Verum hæc ratio non videtur satis efficax, ut suo loco videbimus.

Objectiones.

162 OBj. 1. Si Religio Romano-Catholica esset evidenter credibilis, & credenda, tunc ideo, quia Deus evidenter illam revelavit, sed non est evidens, quod Deus illam revelaverit: ergo. Conf. Licitum est in operando sequi sententiam minus probabilem: ergo non datur obligatio credendi Religionem magis credibilem. Resp. Neg. Maj. sed quia evidenter credibile est, quod sit a Deo revelata, sic enim jam non pos-

possumus prudenter dubitare, quin Deus sit locutus, cumque insuper hæc Religio doceat, quod debeamus credere fide supernaturali, tenemur etiam conari talem fidem elicere, quamvis illa tantum esset existimata, si revera lumen supernaturale non daretur, ut jam adverti num. 148. Ad Conf. Dist. Ant. Quando solum agitur de licentia actionis, Trans. Ant. secus, Neg. Ant. & suppositum, quod sit probabile non dari obligationem credendi Religionem evidenter credibiliorem. Quippe Religio vera est unice necessaria ad salutem, & quidem necessitate medii, hinc tenemur eligere tutiora, neque ejus defectus per ignorantiam etiam invincibilem suppleri potest. Ideo Innocentius XI merito damnavit hanc propositionem num. 4: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione probabili.*

Dices. Quamvis reliquæ sectæ sint minus credibiles; tamen Religio Christiana non est e- 163
videnter vera: ergo saltem licet suspendere suum judicium circa quamlibet Religionem, & nullam amplecti. Conf. Juxta communiorem Theologorum Deus potest permittere, ut detur tanta apparentia veritatis pro articulo falso, quanta datur pro vero: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Consf. Tum quia reverentia Deo debita exigit, ut illi loquenti positive assentiamur: tum quia non licet negligere suam salutem: ergo evidenter etiam non licet negligere medium, de quo nullum prudens dubium superest, quin sit ad consequendam salutem necessarium. Ad Conf. Dist. Ant. Potest Deus permittere tantam apparentiam pro articulo falso respectu aliquorum hominum, & illorum mysteriorum, quorum fides non est necessaria necessitate medii, Conc. Ant. respectu totius Religionis, & omnium hominum, Neg.

 Ant.

Ant. & Conſ. Alias ipſe Deus vellet, ut homines falſam Religionem amplecterentur, utpote evidenter dignam prudente aſſenſu; ſic autem homines privarentur medio ad finem ultimum neceſſario, & deterius eſſent conſtituti, quam bruta.

164 Obj. 2. Si Religio Catholica eſſet evidenter credibilis, etiam eſſet evidenter vera; ſed non eſt evidenter vera: ergo. Maj. Prob. Falſum non poteſt eſſe evidenter credibile: ergo ſi Religio Romano-Catholica eſt evidenter credibilis, evidenter non eſt falſa, ſed vera. Conf. Quod eſt evidenter falſum, eſt evidenter incredibile: ergo quod eſt evidenter credibile, eſt evidenter verum, quia ab oppoſito conſequentis eſt bona argumentatio ad oppoſitum antecedentis. Reſp. Neg. Maj. Ad Prob. Neg. Ant. Ex eo, quod aliquid ſit evidenter credibile, nondum eſt metaphyſice evidens, quod abſolute ſtare nequeat cum falſitate, hinc jam num. 121 adverti, magnum eſſe diſcrimen inter iſtas propoſitiones: Hæc res eſt evidenter credibilis, & hæc res eſt evidenter vera, & licet prima ſufficienter penetratis motivis credibilitatis intellectum rapiat ad aſſenſum, ideo nondum neceſſitatur ad affirmandam ſecundam, ut ratione, & experientia probavi. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. rationem additam Diſt. valet iſta argumentatio, ſi fiat ad contradictorium antecedentis, Conc. ſi fiat ad contrarium antecedentis, Neg. eſſe evidenter falſum, & eſſe evidenter verum. Item eſſe evidenter incredibile, & eſſe evidenter credibile, ſunt propoſitiones contrariæ, quarum utraque ſimul poteſt eſſe falſa, adeoque una ex falſitate alterius non bene infertur.

165 Dices. Quod eſt evidenter amabile, eſt evidenter bonum: ergo quod eſt evidenter credi-

dibile eſt evidenter verum, ſicut illud evidenter verum eſt, quod eſt evidenter ſcibile. Conf. Motiva credibilitatis eatenus probant, Religionem Catholicam eſſe credibilem, quatenus probant illam eſſe veram: ergo ſi probant, eam eſſe evidenter credibilem, etiam probant eam eſſe evidenter veram; hinc SS. Patres non faciunt diſcrimen inter evidentiam credibilitatis, & evidentiam veritatis, ſed utramque eodem modo demonſtrant. Reſp. Neg. Ant. Etiam bonitas præciſe apparenter talis poteſt evidenter eſſe amabilis. Ad id, quod in conſequente additur, Neg. paritatem: quod enim evidenter ſcibile eſt, habet, & cognoſcitur habere evidentem connexionem cum principiis evidentibus, & conſequenter cognoſcitur quoad veritatem, econtra evidenter credibile ſolum cognoſcitur habere evidentem connexionem cum principiis quoad credibilitatem. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quia non utrumque probant eodem modo, ſed credibilitatem clare, veritatem obſcure. Sic ſæpe ratio probat, ſententiam evidenter eſſe probabilem, quin probet, illam evidenter eſſe veram. Porro diſcrimen inter credibilitatem, & veritatem SS. Patres ſatis agnoſcunt ſaltem æquivalenter, dum dicunt, myſteria fidei eſſe obſcura, & ad prudentiam Lectorum provocant.

Obj. 3. Evidens eſt, dari in mundo aliquam 166
Religionem veram; ſed hæc evidenter non eſt alia, quam quæ ſola prudenter ita eſt credibilis, ut reliquæ omnes comparative ſint incredibiles, & falſæ: ergo. Conf. Evidenter debemus habere principium, per quod poſſimus agnoſcere Religionem veram, quam tenemur amplecti; atqui hoc principium nullum eſt aliud, quam evidens credibilitas: ergo. Reſp. Diſt. Maj. evidens eſt, dari aliquam Religionem,

 quæ

quæ ſit vera quoad doctrinam, & præcepta juris naturalis, Conc. Maj. etiam quoad doctrinam, & præcepta juris ſupernaturalis, Neg. Maj. Hoc enim non evidenter ſpectat ad providentiam divinam, niſi ad ſummum conditionate, ſi Deus creaturam rationalem elevaverit ad finem ſupernaturalem, & ad hunc conſequendum Religio ſupernaturalis ſit neceſſaria; ſed hoc ſuppoſitum non eſt evidenter verum. Cæterum quamvis Paganiſmus, Mahometiſmus, & Judaiſmus, prout hodie tenetur, ſint evidenter falſi, Theiſmus tamen ſecundum poſitivum eſt veriſſimus, quoad negativum autem, quatenus negat Religionem ſupernaturalem, non eſt evidenter falſus, ſed tantum evidenter incredibilis. Ad Conf. Diſt. Maj. evidenter debemus poſſe invenire Religionem veram, quoad ea, quæ ſunt evidenter neceſſaria ad finem ultimum, Conc. Maj. etiam quoad alia, Neg. Maj. & ſuppoſitum, quod ad finem ultimum evidenter ſit aliquid aliud neceſſarium, quam doctrina, & lex naturalis.

167 Dices. Deus in materia Religionis evidenter non poteſt eſſe auctor erroris univerſalis; atqui eſſet, ſi Religio Catholica eſſet falſa: ergo. Conf. Deus hoc modo nos ad hunc errorem obligaret; hoc autem evidenter repugnat, alias Deo jure poſſemus dicere illud Richard. a S. Victore: *Domine a te ipſo decepti ſumus.* Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Imprimis hic error non eſſet univerſalis, quia multi adhuc negant veritatem Religionis Chriſtianæ. Dein non eſt evidens, quod Deus talem errorem poſitive intenderet, vel quod illum non poſſet permittere e. g. propter aliquod peccatum occultum, & univerſale. Ad Conf. Diſt. Maj. Deus ad hunc errorem nos obligaret directe, & per ſe, Neg Maj. per accidens, & ex ſup-

po-

positione alicujus ignorantiæ, quam non tenetur impedire, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf. Richardus a S. Victore verbis in objectione citatis loquitur de judicio credibilitatis, quo judicamus Religionem Christianam prudenter credi posse, ac debere, quod judicium utique est evidens. Dein ejus verba exponi possunt de deceptione mere permissiva, quam Deo repugnare non est metaphysice evidens.

Obj. 4. Evidens est, quod pro Religione 168
Catholica stent innumera miracula: ergo evidenter est vera. Conf. Evidenter verum est, quod existat Roma, quod exstiterit Cicero &c. ergo a pari; nam pro Religione Catholica stant longe majora motiva, quam pro existentia Romæ, aut Ciceronis. Resp. Neg. Ant. Non est metaphysice evidens 1, quod fuerint vera miracula, quæ a solo Deo patrari potuerint. 2. Quod non fuerint facta ob alium finem, quam in confirmationem Religionis Catholicæ. 3. Quod Deus non possit permittere miraculum in iis circumstantiis, in quibus inde confirmaretur aliqua falsitas, non quidem ex intentione Dei, sed hominis miraculum patrantis. Profecto multi ex iis, qui viderunt miracula Christi, non fuerunt ita convicti, ut ad credendum necessitarentur. Idem proportionaliter dic de Prophetiis, quæ stant pro Religione Christiana. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Quamvis motiva pro veritate Religionis Catholicæ sint absolute, & in se majora, quia tamen mysteria credenda captu sunt difficillima, respective sunt minora, & veritatem horum mysteriorum minus claram reddunt, quam nobis est existentia Romæ, aut Ciceronis, captu de se facillima, & simul ab innumeris nullo contradicente asserta.

169 Dices. Saltem veritas Religionis Catholicæ per motiva credibilitatis redditur certa, & indubitata: ergo etiam redditur evidens, alias nullum possemus credere mysterium, quod importat aliquod miraculum,uti e. g. mysterium Evcharistiæ; nam vi solius evidentiæ moralis non possumus credere id, de cujus opposito datur evidentia physica. Conf. Juxta S. Scripturam dæmones credunt, & contremiscunt; atqui juxta nos non possent credere, quia non necessitantur ab evidentia objecti; piam autem affectionem ad credendum non habent. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Certum dicitur omne id, de quo non possumus prudenter dubitare, hinc certitudo multo latius patet, quam evidentia metaphysica, & quamvis omne metaphysice evidens sit certum, non ideo omne certum est metaphysice evidens. Porro quando moraliter certum est, factum esse miraculum, non amplius potest dari certitudo physica de opposito. AdConf. Conc.Maj.Neg. min. Si dæmones ad fidem suam non determinantur per imperium voluntatis, sed ab evidentia veritatis, ratio est, quia longe melius cognoscunt, & penetrant motiva credibilitatis, quam noster intellectus illa penetrare potest.

QUÆSTIO V.

An in qualibet Religione Christiana possit obtineri salus?

170 Agendum hic est contra Syncretistas, seu Indifferentistas strictiores, de quibus mentionem feci num. 121. Inter hos ab Evagrio lib. 3 cap. 1 numeratur Zeno Imperator, & ab Eusebio Apelles Marcionista antiquus hæreticus.

ticus. Ex recentioribus hunc errorem defendunt Marcus Antonius de Dominis, Thomas Hobbesius, Joann. Serranus, Joann. Grotius aliique plures præsertim in Hollandia, & Germania, qui tamen ipsimet inter se non conveniunt; nam aliqui asserunt sufficere ad salutem fidem quamdam confusam in Christum, tametsi præcipua de Christo mysteria, e. g. passio, resurrectio &c. non credantur. Plerique alii docent sufficere, & requiri, ut quis credat præcipua dogmata tum de Christo, tum de SS. Trinitate, quos proin articulos vocant fundamentales, essentiales, substantiales &c. reliquos vero vocant accidentales, adiaphoros, arbitrarios, quos non modo ignorare, sed etiam negare liceat impune, & citra præjudicium salutis. Quod si ulterius quæras, quinam ergo sint illi articuli fundamentales? rursus inter se litigant Syncretistæ, dum isti solos articulos symboli Apostolici, illi præterea symbolum Constantinopolitanum, & S. Athanasii assignant, alii ad catechismum Lutheri confugiunt.

Contendunt igitur Indifferentistæ omnes, 171
sectas Christianas convenire in articulis fundamentalibus, sed plane contra mentem ipsorum hæresiarcharum. Sic Lutherus sæpe tanquam hæreticos execratur Calvinistas, & vicissim Calvinus Lutheranos. Et vero quis dicat, articulum symboli Apostolici de descensu Christi ad inferos non esse fundamentalem; per hunc vero Calvinus putat significari, Christum sustinuisse tormenta damnatorum, & de sua salute dubitasse, quam expositionem Lutherani, & Catholici tanquam blasphemam rejiciunt. Quis credat, rem adiaphoram, & levis momenti esse, an corpus, & sanguis Christi revera contineatur in Evcharistia? negant

Calvinistæ, Lutherani solum concedunt in ipsa sumptione, & ideo Catholicos idololatriæ accusant, quod Evcharistiam adorent. Certe nemo Lutheranorum facile concedet, quod sua fides sit Calviniana, Romana &c.; esset autem, si omnes in articulis fundamentalibus convenirent, prout convenire deberent juxta illud ad Ephes. 4 v. 5: *Unus Dominus, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium.*

172 Dicendum. Extra Ecclesiam Romano-Catholicam non potest obtineri salus in ulla secta. Prob. Ex una parte sola Religio Catholica est evidenter credibilis, & credenda: ex altera parte postquam Christus Marc. 16 misit discipulos ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, v. 16 illimitate addidit: *Qui non crediderit, condemnabitur*; & Matth. 18 jussit audire Ecclesiam, quæ longe plura credenda proponit, quam Syncretistæ recipiunt, qui vero Ecclesiam non audierit, hunc vult haberi velut Ethnicum, & Publicanum adeo, ut S. Joan. epistola 2 v. 10 nequidem velit illum hospitio recipi, vel salutari, qui traditam a se doctrinam non admiserit. Hinc communis, ac indubitatus Patrum, Conciliorum, & omnium fidelium sensus semper fuit, certa dogmata, ac præcepta tenenda esse a quolibet, qui salutem consequi velit, in quorum complexo vera Religio consistat, ad hanc defendendam omnes vires impenderunt, & contrarias doctrinas tanquam hæreticas condemnarunt. Quin ipsi hæretici de hac veritate erant persuasi, alias pro suis articulis non tantis viribus decertassent: ergo salus potest obtineri in sola Ecclesia Catholica, & ad illam obtinendam requiritur, ut credantur omnia, quæ credenda proponit, S. Athanasio in suo symbolo aperte

te pronuntiante : *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem, quam niſi quis integram inviolatamque ſervaverit, absque dubio in æternum peribit.* Conf. Juxta S. Jacobum cap. 2 v. 10 neceſſarium eſt, ut ſerventur omnia præcepta graviter obligantia: ergo etiam ut credantur omnes articuli a Deo revelati.

Probatur 2. Omnes articuli a Deo ſunt
revelati, & Chriſtus non ſolum ſuam divinita- 173
tem, ſed multa alia nobis credenda propoſuit: ergo non eſt ratio, cur Deo, & Chriſto loquenti potius debeamus credere in uno, quam in altero, ſed æqualis infertur injuria ſive in hoc, ſive in illo fides negetur. Profecto eſt prorſus incredibile, quod Chriſto perinde ſit, ſive credatur tantum eſſe homo, ſive etiam Deus, ſive quod habuerit duas naturas, ſive unam, ſive quod fuerit vere mortuus, ſive non: ergo non tantum ſufficit confuſe in Chriſtum credere; ſi autem ad ſalutem requiritur fides ſaltem aliquorum articulorum de Chriſto, jam non in qualibet ſecta Chriſtiana poteſt obtineri ſalus, ſed dantur certa quædam dogmata ab omnibus tenenda; hæc autem non poſſunt eſſe alia, quam dogmata veræ Eccleſiæ, quæ ſola Deo placere poteſt. Conf. Juxta Syncretiſtas poſſent ſalvari Pelagiani, qui negabant peccatum originale, Neſtoriani, qui duas in Chriſto perſonas admittebant, quia de his dogmatis nihil in ſymbolo dicitur; ſicut nihil dicitur de Baptiſmo, & aliis Sacramentis. 2. Fruſtra contra hæreticos celebrata fuiſſent Concilia, decepti SS. Martyres, qui vitam amittere, quam hæreſi favere voluerunt. 3. Stulte egiſſent omnes Chriſtiani cum tanto fervore ſibi contradicentes, & ſtultiſſime Lu-

the-

therus, Calvinus &c. quod ab Ecclesia defecerint, tanta rabie in illam invecti, si perinde est, quamcunque Religionem aliquis amplectatur.

Objectiones.

174 OBj. 1. In S. Scriptura sæpe promittitur vita æterna omnibus, qui credunt in Christum. Sic Joann 3. v. 15 dicitur: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: ergo fides confusa in Christum sufficit ad salutem. Conf. Luc. 23 v. 43 latroni bono, qui nihil aliud quam Christum credidit, dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso*. Act. 8 Philippus baptizavit Æthiopem Reginæ Candacis thesaurarium nulla alia præmissa instructione, quam de Christo: *Evangelizavit illi JEsum*, v. 35. Resp. Dist. Ant. Omnibus, qui credunt in Christum quomodocunque, Neg. Ant. prout oportet, Conc. Ant. & Neg. Conf. Sicut quando dico, quod homo debeat habere animam, ideo non affirmo, quod debeat illam solam habere: ita quando Scriptura ait, requiri fidem in Christum, ideo non affirmat, illam solam requiri, alias etiam scelestissimi salvarentur, modo in Christum crederent Ut igitur in Christum credatur, prout oportet, debent etiam credi reliqui articuli a Deo revelati, & fides operibus probari; nam *non omnis*, ait Christus Matth. 7 v. 21, *qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum.* Ad Conf. Latro in cruce, & Æthiops Christum crediderunt explicite; alios vero articulos implicite, utpote ita animo comparati, ut parati fuerint omnia a Deo revelata credere, alias nequidem in Christum credidissent fide theologica, ut dixi part. 1 n. 29.

Di-

Dices. Inter Apostolos, & fideles primæ 175
Ecclesiæ fuerunt plures dissensiones, & tamen poterant salvari; hinc Apostolus 1 ad Cor. 1 v. 2 omnes vocat Sanctos, *Qui invocant nomen Domini nostri JEsu Christi*: ergo. Conf. Extra Ecclesiam Judaicam multi fuerunt salvati, uti Melchisedech, Job. &c.: ergo etiam potest obtineri salus extra Ecclesiam Catholicam, licet admittatur, hanc esse veram Ecclesiam. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Dissensiones primæ Ecclesiæ non fuerunt circa res fidei jam definitas & sufficienter propositas, sed postquam in Concilio Hierosolymitano ab Apostolis definitum est, ceremonias non esse necessarias ad salutem, nemo fidelium amplius ausus est contrarium asserere. Corinthii, de quibus agit S. Paulus, tantum contendebant de præstantia eorum, qui ipsis Evangelium annunciarunt, ad quam litem sopiendam Apostolus illos monuit, quod neque per Paulum, neque per Cepham &c. sint sanctificati, sed per Christum. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Qui extra synagogam salvati sunt, non negarunt dogmata a Deo revelata, sed implicite crediderunt omnia, quæ Judæi credebant explicite; quia autem lex Mosaica quoad præcepta positiva solos stringebat Judæos, alii ad illam observandam non tenebantur, ferme sicut laici non obligantur legibus latis pro solis Clericis.

Obj. 2. Juxta SS. Patres sufficit ad salu- 176
tem, si credatur symbolum Apostolicum, nam S. Bonaventura in 3 sentent. distinct. 25 ait: *Duodecim articulos symboli Apostolici esse summam totius fidei Christianæ*; & S. Augustinus serm. 135 de tempore: *Symbolum est regula fidei brevis, & grandis, brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum.* Conf.

Pius

Pius IV ad Elisabetham Angliæ Reginam scripsit, se velle totam Ecclesiasticam Hierarchiam Anglicanam sua auctoritate confirmare, modo illa primatum Romani Pontificis, & supremam ejus auctoritatem in universam Ecclesiam agnoscat. Resp. Neg. Ant. S. Bonaventura, & Augustinus solum volunt, quod ad articulos in symbolo Apostolorum contentos, omnes reliqui articuli fidei possint revocari: *Nullum*, inquit loc. cit. S. Bonavent., *est credibile a fide, quod non possit reduci ad articulos in symbolo contentos.* Idque declarat per exempla, dum addit: sic articulus de præsentia Christi in Evcharistia revocari potest ad articulum de omnipotentia Dei, Baptismus ad articulum de remissione peccatorum &c. Ad Conf. Hæc fabula a sectariis nullo idoneo teste comprobatur, neque Pontifex iste erat tam vecors, ut talem Hierarchiam ecclesiasticam agnosceret, cujus caput esset fœmina; neque erat tam arrogans, ut superioritatem suam pluris faceret, quam omnes articulos fidei, de quibus inter Catholicos, & Protestantes controvertitur.

177 Dices. Est incredibile, Apostolos in suo symbolo, quod Patres vocant summam, & regulam fidei, non omnia tradidisse, quæ creditu sunt necessaria: ergo. Conf. Ex una parte Deus vult omnes homines salvos fieri: ex altera parte sæpe plures viæ ducunt ad eundem terminum ita, ut quis ad hunc pertingat, licet viam rectam non eligat: ergo etiam plures Religiones ducunt ad salutem. Resp. Dist. Ant. est incredibile, quod non omnia tradiderint clare, & explicite, Neg. Ant. saltem implicite, & reductive, Transf. Ant. & Neg. Conf. Apostoli voluerunt dare breve compendium

dium Religionis Christianæ, quod ab omnibus facile posset addisci; hinc non omnia a Deo revelata clare, & explicite in illo potuerunt explicare. Quod si sectarii solum symbolum Apostolorum in sensu genuino credere vellent, multa deberent admittere nominatim in articulo nono, quæ hactenus pertinaciter negarunt. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Deus vult omnes salvos fieri voluntate antecedente, quatenus ipsis suppeditat sufficientia media ad servanda mandata, & amplectendam veram Religionem, & viam salutis inveniendam; at non quælibet secta est via ad salutem, alias Turcæ, & Pagani salvari possent.

Obj. 3. Qui credit articulos fundamentales, jam habet fundamentum, & substantiam fidei: ergo jam potest salvari, licet neget reliquos. Conf. Deus illa dogmata, & præcepta nobis reliquit libera, de quibus in Scriptura, & primæ Ecclesiæ monumentis non habetur clarum fundamentum: ergo ab Ecclesia non debent obtrudi. Resp. Dist. Ant. si etiam reliqua credat saltem implicite, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. & suppositum, quod dentur articuli fundamentales in sensu sectariorum. Nam 1 neque ex Scriptura, neque ex definitione Ecclesiæ, neque aliunde determinari potest, quinam sint articuli fundamentales, præsertim quia Ecclesia juxta adversarios constat variis sectis, quorum una hos, alia alios articulos dicit esse necessarios. 2. Omnes articuli a Deo revelati sunt æqualiter veri, cujuslibet est idem motivum, & qui negat qualemcunque, æque spernit auctoritatem Dei, & Christi revelantis: ergo Deus non potest esse indifferens, ut homo pro suo arbitratu credat hos, vel illos; hinc a prima Ecclesia damnatus est error quartodecimanorum circa celebrationem paschatis, licet 178

licet non adverſetur veritati clare in ſymbolo contentæ, & videatur eſſe de re levioris momenti. Ad Conf. Neg. Ant. & ſuppoſitum, quod Eccleſia circa articulos, præſertim, qui inter nos, & ſectarios controverſi ſunt; aliquid credendum nobis proponat, quod in ſacris literis non eſt revelatum, aut conſtanti traditione a primis ſæculis derivatum. Unde ſolum aliqua nobis clare proponit, quæ prius quidem fuerant revelata, ſed nondum ſatis cognita, ut jam fecit prima Eccleſia in primis Conciliis.

179 Dices. Tamen ipſi Catholici diſtinguunt inter articulos fidei, & dicunt aliquos eſſe creditu neceſſarios neceſſitate medii, alios neceſſitate præcepti, alios neque neceſſitate medii, neque præcepti. Conf. Primis tribus ſæculis fideles multa non agnoverunt pro articulis fidei, quæ modo ut tales ab Eccleſia proponuntur. Sic S. Cyprianus putabat invalidum eſſe Baptiſmum ab hæretico collatum. S. Auguſtinus jam Catholicus adhuc tenuit quemdam errorem Maſſilienſium circa neceſſitatem gratiæ. Reſp. Quamvis Catholici faciant hoc diſcrimen inter articulos fidei, quoad neceſſitatem illos credendi explicite, nihilominus conſtanter affirmant, omnes implicite credi debere, neque fas eſſe de ullo dubitare, multo minus aliquem negare. Unde duplex præceptum fidei ſtatuunt, unum affirmativum, quo jubemur aſſentiri objectis revelatis, alterum negativum, quo tenemur nihil negare, vel in dubium trahere, quod eſt revelatum, & hoc ſemper, ac pro ſemper obligat. Porro fundamentum ita diſtinguendi articulos Catholici habent in Scriptura, traditione, & Patribus, licet in determinandis iſtis articulis non omnino conveniant, ut ſuo loco videbimus. Ad Conf.

Conf. Quando articuli fidelibus nondum fuerunt ſufficienter propoſiti, nec debuerunt, nec potuerunt illos credere explicite. Interim licet illos negare videbantur, revera eosdem implicite credebant, in quantum in genere credebant omnia, quæ Deus revelavit.

Obj. 4. Juxta nos qui negaret unicum articulum, aut in eo erraret, damnaretur, hoc nimium, quia tali modo numerus ſalvandorum eſſet enormiter parvus; quippe Catholici reſpective ſunt pauci, neque ex his omnes ſalutem conſequuntur. Conf. Non eſt credibile, quod propter unicum errorem in fide pereant tot homines, qui in aliis ſectis honeſtiſſime vivunt: ergo. Reſp. Diſt. Maj. ſi talis articulus ipſi ſit ſufficienter propoſitus, Conc. Maj. ſecus, Neg. Maj. Quod numerus ſalvandorum in comparatione omnium reproborum, qui in hoc univerſo vivunt, & variis Religionibus addicti ſunt, ſit admodum exiguus, veritati omnino conſentaneum eſt, ipſo Chriſto Matth. 20 v. 16 atteſtante: *Quod multi ſint vocati, pauci vero electi*; imo S. Gregor. Homil. 9 in Evang. ait: *Plures ad fidem perveniunt, ſed ad Regnum cæleſte, non niſi pauci perducuntur.* Nihilominus numerus Catholicorum eſt multo copioſior, quam ſectarii opinantur; cum Religio Catholica non modo per Europam, ſed etiam per reliquas orbis partes ubique diffuſa ſit. Ad Conf. Diſt. Ant. Hoc non eſt credibile, ſi tales homines laborant ignorantia vincibili, & graviter culpabili, Neg. Ant. ſi laborant ignorantia invincibili, ſimulque habeant animum generatim credendi omnia, quæ Chriſtus, aut vera ipſius Eccleſia credenda proponit, Conc. Ant. & Neg. Conf. 180

181 Dices. Si reliquos articulos sufficit credere implicite, hoc ipso hæretici salvari possunt; quippe ipsi etiam in genere credunt omnia, quæ Deus revelavit. Conf. Per adiophoriam, & libertatem credendi induceretur pax, & concordia in imperio Romano, totoque orbe Christiano: ergo Ecclesia Romana deberet indulgere, ac permittere indifferentissimum. Resp. Dist. Ant. Si sint hæretici tantum materiales, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Quando hæretici formales dicunt se credere, quæcunque Deus revelavit, hæc fides implicita nihil prodest, utpote non sincera, cum simul explicite negent aliqua mysteria fidei sufficienter illis proposita, aut certe sufficienter proponenda, nisi propria sua culpa nollent Ecclesiam Magistram audire. Ad Conf. Neg. Ant. & Conf. Imprimis indifferentismus, quo quisque crederet, quod luberet, nihil confert ad pacem, & concordiam fidei, sed potius est ipsa summa discordia. Dein parum prodesset ad pacem politicam, quia Religio Catholica nulli discordiæ occasionem præbet, sed bella inter provincias, & dissensiones inter cives plerumque oriuntur ex aliis causis, quamquam aliquando sub prætextu Religionis. Denique sicut homines non possunt Deo præscribere, quidnam debeat revelare, sic non est in eorum potestate determinare, an veritates a Deo revelatæ debeant credi, vel non credi.

DISPUTATIO III.

De notis veræ Ecclesiæ.

182 Ecclesia juxta etymologiam græcam evocationem, convocationem, aut quamcunque con-

congregationem etiam politicam significat. Pressius accipitur pro cœtu hominum sub certa norma Deum colentium, in quo sensu etiam Pagani, Judaei, & Mahometani Ecclesia dici possunt; plerumque autem per hanc vocem denotamus solam Ecclesiam Christi, aut aliquid ad eam pertinens, & in ista acceptione rursus quadruplex potissimum est hujus vocabuli usus in Scriptura novae legis. 1 ad Cor. 11 v. 18 sumitur pro locis sacris, & templis, in quibus fideles conveniunt: *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos*; Matth. 18 v. 17 pro iis, qui præsunt fidelibus: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ*, id est Ecclesiæ Prælatis; 1 ad Cor. 1 v. 2 pro cœtu aliquorum tantum fidelium: *Paulus Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi*; denique Matth. 16 v. 18 pro cœtu omnium fidelium Christi fidem, ac doctrinam profitentium: *Tu es Petrus, & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hinc Ecclesia pro cœtu fidelium accepta dividitur in universalem, quæ omnes omnino fideles complectitur, & in particularem, quæ tantum complectitur fideles unius provinciæ, & loci.

Nos in hac disputatione agemus de Ec- 183
clesia universali, atque ut illa, quæ in præcedente disputatione de credibilitate Ecclesiæ Catholicæ diximus, magis confirmentur, examinabimus notas illas, & signa, quibus juxta S. Scripturam, quam etiam sectarii pro verbo Dei agnoscunt, vera Ecclesia a falsa dignosci potest, & debet. Ejusmodi notæ variæ a variis assignantur. Sectarii præcipue illas constituunt in puritate doctrinæ, & legitima Sacramentorum administratione: Catholici illas plerumque reducunt ad quatuor, quas in symbolo Constantinopolitano, seu ut communiter

vocatur, Nicæno legimus, profitentes: *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Porro quia in nostris regionibus magis famosæ sunt sectæ Lutherana, & Calviniana, his potissimum opponemus Religionem nostram Romano-Catholicam, sic dictam, tum quia Ecclesia Romana præcipua ejus pars, & mater est, tum quia est universalis, & per totum orbem diffusa; hinc Ecclesia universalis a Bellarmino lib. 3 de Eccles. milit. cap. 2 definitur, quod sit cœtus hominum ejusdem fid. Christianæ professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis.

184 Juxta hanc definitionem ad veram Christi Ecclesiam non pertinent infideles, qui Christianam fidem nunquam sunt professi, ut Pagani, Turcæ, Judæi, tum qui ab hac professione aperte recesserunt, uti apostatæ, & hæretici notorii, quia isti nequidem externe veram fidem profitentur. 2. Probabilius etiam catechumeni, quia nondum in aliquo Sacramento cum fidelibus communicant, cum Baptismus sit primum omnium, & velut janua Ecclesiæ. Hinc actor. 2 v. 41 dicitur: *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* 3. Excommunicati non tolerati, quia omni commercio spirituali cum fidelibus privati sunt, & juxta effatum Christi Matth. 18 v. 17: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & Publicanus.* 4. Schismatici ob defectum subjectionis ad legitimum pastorem Romanum Pontificem; hinc Ecclesia die Parasceves pro schismaticis orat, *Ut Deus ad Ecclesiam Catholicam revocare dignetur*; & Pela-

gius

gius Pontifex cauſ. 24 q. 1 can. ſchiſma. 34 de illis ait: *Unam, quæ Chriſti corpus eſt, conſtat eſſe Eccleſiam, quæ in duo, vel plura dividi non poteſt; ſimul enim cum ab ea quis receſſerit, eſſe deſinit Eccleſia;* apud eum ſcilicet, ut addit Gloſſa.

185 Econtra ad Eccleſiam pertinent 1 non ſolum prædeſtinati, ut volebant Wiclefus, Huſs, & Calvinus, ſed etiam reprobi; nam Eccleſia comparatur virginibus ſapientibus, & fatuis, quæ poſteriores a regno Dei excludentur, & alias vera Eccleſia eſſet inviſibilis, nec amplius poſſet diſcerni. 2. Etiam imperfecti, & magni peccatores, ut contra Pelagianos, Novatianos, Donatiſtas &c. probatur ex eo, quia Eccleſia comparatur convivio nuptiali, ad quod intraverunt boni, & mali. Præterea S. Paulus, poſtquam 1 ad Cor. 1 dixit ſe ſcribere Eccleſiæ Dei cap. 5 v. 1 ait: *Auditur inter vos fornicatio, & talis, qualis nec inter gentes.* 3. Probabilius etiam infideles, & excommunicati occulti, alias ut docet communis SS. Patrum, nullam amplius in Eccleſia poſſent habere auctoritatem, & jurisdictionem, unde magna ſequeretur perturbatio. Intelligenda tamen hæc ſunt de membris Eacleſiæ quoad corpus, nam ut Bellarm. loc. cit. ex S. Auguſtino obſervat, quidam ſunt de anima, & corpore Eccleſiæ, qui Chriſto tanquam capiti conjuncti ſunt tam interius per fidem, ſpem, & charitatem, quam exterius per profeſſionem fidei, & communicationem Sacramentorum: alii ſolum ſunt de corpore Eccleſiæ, qui externe quidem fidem profitentur, & cum Eccleſia communicant, interne autem deſtituuntur fide, aut ſaltem charitate; hinc ſunt membra mortua: alii denique tantum ſunt de anima Eccleſiæ, ut e. g. excommunicati, & ca-

 techu-

techumeni, ſi prout fieri poteſt, fidem, & charitatem habeant.

QUÆSTIO I.

An, & quales dentur notæ veræ Eccleſiæ?

186 DIcendum. Dantur certæ notæ, per quas vera Chriſti Eccleſia ab aliis diſcerni poteſt, & hæ ſunt unitas, ſanctitas, univerſalitas, & antiquitas Eccleſiæ. Prob. 1 pars. Omnes homines tenentur ſub pœna æterni exitii audire, & amplecti veram Eccleſiam, ut fatentur ipſi ſectarii: ergo debent dari certæ notæ, per quas vera Chriſti Eccleſia a ſectis falſis dignoſci poteſt; ſicut enim in naturalibus eſſentiæ rerum non immediate per ſe ipſas innoteſcunt, ſed per certas proprietates externas, ita vera Religio Chriſti non niſi per certas proprietates, & notas exterius ſe prodentes cognoſci poteſt. Pars 2 conſtat ex ſymbolo Conſtantinopolitano; nam in illo expreſſe confitemur: *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*: atque hujus Concilii auctoritatem rurſus ipſi Adverſarii venerantur. Dein probatur ulterius: notæ, quibus vera Eccleſia ab aliis diſcerni poteſt, debent eſſe 1 ſenſibiles, & ab omnibus cognoſcibiles, 2. notiores, quam res per illas ſignificata. 3. A vera Eccleſia inſeparabiles, eique ſoli propriæ; ſed tales ſunt notæ a nobis aſſignatæ, ſaltem ſi collective ſumantur, imo quædam etiam ſeorſim ſumptæ, ut de ſingulis ſpeciatim probabimus: ergo.

187 At tales notæ non ſunt ſincera prædicatio verbi divini, & legitimus Sacramentorum uſus, ut volunt ſectarii: quia æque ignotum, ac obſcurum eſt, in quanam Eccleſia verbum

Dei

Dei sincere prædicetur, & Sacramenta legitime administrentur. Quippe istas notas omnes hæretici æquali jure sibi vendicare contendunt, nec ulla unquam fuit secta Christiana, quæ non jactaret, se puram habere doctrinam, & sacræ Scripturæ, ac verbo divino consonam. Certe independenter ab instructione Ecclesiæ nunquam omnia fidei capita sufficienter examinare, & de eorum puritate judicare poterimus; hinc Christus jubet, ut audiamus Ecclesiam tanquam Magistram; hanc autem non possumus audire, antequam illam cognoscamus: ergo vera Ecclesia prius debet esse nota, quam in cognitionem veræ doctrinæ veniamus. Adde, quod vera Sacramenta etiam inveniantur apud schismaticos pure tales, imo etiam apud quosdam hæreticos. Sic Pelagiani probabilius non errarunt circa administrationem Sacramentorum. Econtra Ecclesia Africana tempore S. Cypriani erravit in usu Baptismi, & tamen erat vera Ecclesia.

Objectiones.

OBj. 1. Vera Ecclesia Christi juxta Catholicos non minus est visibilis, quam Imperium Romanum; sed ad hoc dignoscendum nullæ requiruntur notæ: ergo neque ad dignoscendam veram Ecclesiam. Conf. Quænam sit vera Ecclesia non aliunde debet colligi, quam ex Scriptura; nam S. Augustinus lib. de Unit. Ecclesiæ cap. 3 ait: *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari*; & S. Chrysostomus Homil. 49 in Matth., *Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas.* Resp. Dist. Maj. Ecclesia Christi est visibilis quoad externam profes- 188

 sio-

ſionem fidei, Conc. Maj. quoad fidem internam, ſeu ipſam veritatem fidei, & Sacramentorum, Neg. Maj. Quamvis ipſa Eccleſia, quæ formaliter conſtituitur per unionem hominum eamdem fidem ſub uno paſtore profitentium, ſit viſibilis, ipſa tamen veritas fidei internæ in ſe non videtur, ſed debet evidenter fieri credibilis per certas notas diſtinctivas, ſicut Imperium Romanum licet ſit viſibile ab aliis regnis debet diſtingui per certas notas, & characteres loci, hominis, ſigilli &c. Ad Conf. SS. Patres agunt contra illos, qui Scripturam admiſerunt, & tamen ex illa non voluerunt petere notas Eccleſiæ, ſed pro libitu alias confingere. Unde ſolum volunt ex Scriptura cognoſci debere, quænam ſint notæ veræ Eccleſiæ.

189 Dices. Ut aliquis cognoſcat, cuinam præ reliquis ſectis notæ veræ Eccleſiæ conveniant, neceſſe foret, ut cognoſceret, & inter ſe compararet omnes alias ſectas; atqui hoc eſt difficillimum, & reſpectu plurimorum impoſſibile: ergo. Conf. Poſſet Deus abſolute permittere, ut darentur omnes notæ veræ Eccleſiæ in aliqua ſecta falſa: ergo. Reſp. Neg. Maj. Sed ſufficit cognoſcere claſſes præcipuas Polytheiſtarum, Theiſtarum, Judæorum, Mahometanorum, & inſuper hæreticiſmum generatim; hanc autem cognitionem genericam quilibet non omnino rudis poteſt ſibi comparare, uti etiam cognitionem ſpecificam illorum hæreticorum, quorum nomen, & numerus noſtris temporibus major eſt; Sectæ vero jam extinctæ, aut vix nominatæ ſuis tenebris ſat oſtendunt, qua ſint ab origine. Homines rudiores quod attinet, ſufficit illis inſtructio paſtorum: gentibus denique, ad quas nulla notitia Chriſtianæ Religionis pervenit, Deus provide-

videbit, ut hic ſupponimus. Ad Conf. Neg. Ant. Pro vera Religione, & Eccleſia pugnant talia ſigna, miracula, prophetiæ &c., ut Deus ipſe cenſeretur decipere, ſi illa falſa eſſent.

Obj. 2. Quatuor notæ a nobis aſſignatæ ſunt prorſus arbitrariæ, & ſine fundamento ab hominibus excogitatæ, uti nota Catholicæ; nam in ſymbolo Apoſtolico ſolum legitur: *Sanctam Eccleſiam Chriſtianam.* Conf. Hæ notæ non ſunt propriæ, & eſſentiales, ſed communes, & accidentales; nam etiam ſecta falſa poteſt eſſe una, & diffuſa per orbem, ac viciſſim Eccleſia vera non eſt neceſſario per totum orbem diffuſa. Reſp. Neg. Ant. ſed fundantur in Scriptura, traditione, & ratione, ut de ſingulis oſtendemus. Porro articulus 9 ſymboli Apoſtolici juxta perpetuam traditionem Eccleſiæ, textum græcum, & verſionem omnium Patrum ſemper ita ſonabat: *Sanctam Eccleſiam Catholicam*, donec advertens Lutherus vocem Catholicam ſuæ ſectæ minus convenire, per temerariam depravationem illam mutavit in vocem *Chriſtianam.* Ad Conf. Diſt. Ant. non ſunt propriæ, & eſſentiales, ſi ſeorſim ſumantur, Tranſ. Ant. ſi ſimul ſumantur, Neg. Ant. Hæ notæ ſunt propriæ, quia conveniunt ſoli Eccleſiæ veræ, ſunt inſuper eſſentiales, quia defacto a vera Eccleſia ſeparari nequeunt, licet forte abſtrahendo a decreto, & revelatione divina e. g. univerſalitas abſolute poſſet abeſſe, ex quo tantum ſequitur, quod non ſint proprietates, quarto modo, quæ ſemper & neceſſario uni, & ſoli conveniunt, uti riſibilitas homini. 190

Obj. 3. Illa eſt vera Chriſti Eccleſia, in qua verbum Dei ſincere prædicatur, & Sacramenta legitime adminiſtrantur: ergo per hæc 191

duo ſigna Eccleſia Chriſti debet diſcerni; per quod enim aliquid conſtituitur, per id diſtinguitur. Conf. Hæ duæ prærogativæ certiſſime conveniunt veræ Eccleſiæ, & quæcunque Eccleſia in alterutra deficit, eſt indubitato falſa: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis propoſitio antecedens ſit veriſſima, & vera Chriſti Eccleſia per hæc duo conſtituatur, ideo nondum ſequitur, quod per illa debeat diſcerni. Sic licet veriſſimum ſit illam eſſe domum conſulis, in qua conſul habitat, quærenti tamen ex me notam aliquam, & ſignum, quo diſcerni poſſit domus conſulis, inepte reſponderem, domum conſulis eſſe, in qua habitat conſul. Hinc rationem conſequenti additam Diſt. per quod aliquid conſtituitur, per id etiam diſtinguitur quoad ſe, Conc, quoad nos, Neg. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Unde enim ſcimus, cui Eccleſiæ notæ iſtæ conveniant, certe non ex ſola Scriptura, quam omnes hæretici pro ſe allegant, & ipſe Chriſtus divinitatem ſuam non ex ſolis ſcripturis probavit, ſed inſuper miracula in teſtimonium adhibuit: cum igitur hæ prærogativæ non ſint notiores, quam ipſa vera Eccleſia, ejus ſigna diſcretiva quoad nos eſſe nequeunt.

192 Dices. Per veram doctrinam diſtinguitur verus Chriſtianus a falſo etiam quoad nos: ergo etiam vera Eccleſia Chriſti a falſa. Conf. Verus doctor a falſo debet diſcerni per doctrinam; atqui vera Eccleſia eſt doctor verus, & aliæ ſectæ falſus: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Verus Chriſtianus eſt, & dicitur ille, qui profitetur doctrinam a vera Chriſti Eccleſia propoſitam: ergo veritas doctrinæ jam antecedenter ad notitiam veri Chriſtiani præſupponitur, & eſt aliunde notior. At veritas doctrinæ non præſupponitur ad notitiam veræ Eccleſiæ, ſed

eſt

eſt illa obſcurior. Aliud foret, ſi aliunde certo conſtaret, doctrinam aliquam eſſe veram, & Apoſtolicam, tunc utique ex illa vera Eccleſia agnoſci poſſet, ſicut Eccleſia falſa poteſt agnoſci ex doctrina, quam aliunde certo ſcimus falſam eſſe. Ad Conf. Diſt. Maj. Si talis doctor docet res evidenter veras, & modo evidente, Conc. Maj. ſi docet res obſcuras, vel evidentes modo non evidente, Neg. Maj. Ea, quæ Eccleſia docet, non ſunt evidenter, imo neque infallibiliter vera quoad nos independenter ab auctoritate Eccleſiæ; hinc ejus doctrina non eſt magis, imo minus nota, quam ipſa Eccleſia.

QUÆSTIO II.

An inter ſectas Chriſtianas ſola Eccleſia Romana ſit una?

193 Dicendum 1. Vera Chriſti Eccleſia debet eſſe una tum unitate doctrinæ dogmaticæ, tum unitate capitis. Prob. 1 pars. In Eccleſia Chriſti debet eſſe una fides, ut docet S. Paulus ad Epheſ. 4; ſed ubi membra Eccleſiæ non conſpirant in tota fidei doctrina, non eſt una fides: ergo ibi non eſt vera Eccleſia Chriſti. Ratio ulterior eſt, quia vera Chriſti Eccleſia regitur a Chriſto, & Spiritu ſancto, qui non poteſt ſibi contradicere, & huic iſtud, alteri oppoſitum credendum proponere: *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis*, 1 ad Cor. 14 v. 33. Ideo Chriſti Eccleſia in Scriptura comparatur arcæ Noeticæ, templo Jeroſolymitano, paradiſo, veſti Chriſti inconſutili &c. Prob. 2. pars, tum quia Chriſtus D. Petrum ejusque legitimos ſucceſſores tanquam viſibile, ac ſupremum Eccleſiæ ſuæ caput in terris conſtituit

tuit, ut patet ex num. 102, tum quia Ecclesia in Scriptura comparatur regno, corpori, navi, exercitui bene ordinato, in quo necessario debet dari unus Rex, unum caput, navarchus, & dux supremus, cui omnes reliqui parere, ac ejus sententiæ se submittere debent, alias innumeræ orirentur lites, & ipsa unitas doctrinæ tanto tempore non posset salva stare. Hinc apud Patres nihil frequentius legitur, quam servandam esse unionem cum capite. Imo non solum politicæ respublicæ, sed etiam gentes barbaræ, postquam in unam communitatem coierunt, in aliquod caput visibile conspirarunt, abstrahendo an suprema auctoritas penes unum vel plures fuerit. Conf. Juxta symbolum Nicænum Ecclesia debet esse una; atqui non est unitas magis Ecclesiæ propria, quam unitas doctrinæ & capitis: ergo.

194 Dicendum 2. Ecclesia Romano-Catholica est una unitate fidei, & capitis. Prob. 1 pars. Quia omnes Catholici omnibus in locis, quoad articulos sufficienter propositos semper conspirarunt, & adhuc conspirant. Quod si scienter aliquis in tali articulo discreparet, hoc ipso cessaret esse membrum hujus Ecclesiæ. Prob. 2 pars. Quia juxta traditionem Patrum, quorum textus allegat Tournelius, & praxin omnium temporum prorsus manifestum est, quod omnes Catholici Romanum Pontificem tanquam summum Christi Vicarium, caput visibile Ecclesiæ, & judicem supremum agnoscant, quæ ipsa ratio est, quod inter Catholicos semper data fuerit unitas communionis tum inter se, tum cum suo capite, utut alias natione, indole, studiis, & inclinatione plurimum discreparint: Quod si inter illos lites quædam fuerunt exortæ, vel tantum fuerunt circa

circa res ad fidem nondum pertinentes, nec ſatis definitas, vel circa ipſum Romanum Pontificem nondum legitime electum, & indubitanter ab Eccleſia acceptatum.

Dicendum 3. In nulla alia ſecta Chriſtiana datur talis unitas. Patet 1 ex antilogiis Hæreſiarcharum. Ex libris Lutheri Jodocus Coccius in theſauro Catholico tom. 1 recenſet 80 manifeſtas contradictiones de Miſſa, Sacramentis, invocatione Sanctorum &c. Joannes Cochlæus in ſepticipite Luthero refert 36 antilogias de ſola communione ſub utraque ſpecie. Similes contradictiones ex Calvino proponit Nicol Romæus in effigie Calvini, & Jacobus Gaulterius in chronologia eccleſiaſtica. Patet 2 ex libris ſymbolicis hæreticorum. Quippe confeſſionem Auguſtanam varias metamorphoſes ſubiiſſe, nemini non compertum eſt. In ſola bibliotheca Viennenſi aſſervantur quatuor editiones plurimum diſcrepantes. Andreas Muſculus præco Lutheranus intra 30 annos eandem duodecies variatam fuiſſe aſſerit. Confeſſionem Calvini Gallicam ut maxime blaſphemam, & hæreticam combuſſerunt Bernenſes Helveti. Confeſſionem Helveticam prorſus rejecerunt Scoti, Scoticam, & Puritanam abominantur Angli, ac viciſſim Anglicam Puritani. Ratio a priori eſt, quia hæretici ſpreta auctoritate ſummi Pontificis nullum ſupremum Eccleſiæ caput, & infallibilem judicem agnoſcunt; hinc ſtatim in varias ſectas diviſi ſunt, quemadmodum etiam de ſecta Simonis Magi teſtatur S. Irenæus, de Donatiſtis, & Manichæis S. Auguſtinus, de Marcioniſtis, & Montaniſtis S. Epiphanius. 195

Obje-

Objectiones.

196 OBj. 1. Unitas in doctrina convenit etiam sectis falsis Judaismo, Mahometismo, regno Anti-Christi, & Satanae, ut in apocalypsi, & Evangelio S. Matthaei legimus: ergo non est nota verae Ecclesiae. Conf. Unitas in doctrina non est sensibilis; consistit enim in actu interno, quo fideles credunt eadem dogmata: ergo. Resp. Trans. Ant. Dist. Conf. ergo non est nota negativa verae Ecclesiae, Neg. Conf. affirmativa, Subdist. se sola, Trans. Conf. una cum reliquis, Neg. Conf. Nota affirmativa est, ex qua valet argumentum affirmativum, negativa, ex qua negativum; jam vero licet non eo ipso ibi detur vera Ecclesia, ubi reperitur unitas in doctrina; bene tamen concludit argumentum negativum: Haec Ecclesia non habet unitatem: ergo non est vera. In regno satanae non datur doctrina fidei, sed tantum conspiratio reluctandi Deo, & nocendi hominibus. Anti-Christum multi quidem recipient, sed ipsi non consentient in omnibus doctrinae articulis. Quod Judaeorum Thalmud secum ipso non concordet, & inter Mahometanos diversae dentur sectae, ostendit Gaulterius in chronolog. saeculi VII. Universim in nulla secta datur unitas doctrinae tam stabilis, tam late diffusa, ab uno supremo capite derivata, tot Martyrum, Sanctorum, & sapientum suffragiis munita, sicut in Ecclesia Catholica. Ad Conf. Neg. Ant. Unitas non consistit in solo actu fidei interno, sed etiam in externa fidei professione, per quam fides interna sensibilis redditur.

197 Dices. Vel unitas in doctrina falsa, vel in doctrina vera est nota verae Ecclesiae? non primum, ut per se patet: non secundum, quia uni-

unitas in doctrina vera non est notior quam vera Ecclesia : ergo. Conf. Ex unitate Principis, & legum non infertur unitas regnorum ; ergo neque ex unitate capitis , & doctrinæ unitas Ecclesiæ. Resp. Neg. Maj. Quando dicimus unitatem in doctrina esse notam veræ Ecclesiæ, adhuc præscindimus, an doctrina sit vera, vel falsa, & tantum attendimus ad concordiam doctrinæ, quam si nondeprehendimus, inferimus, talem Ecclesiam non esse veram : si vero eandem deprehendimus, inferimus, talem Ecclesiam esse veram, saltem si cæteræ etiam notæ in illa reperiantur. Ad Conf. Transf. Ant. quod quæstionem de nomine involvit, Neg. Conf. Pro regno Ecclesiæ hanc unitatem constitutam esse, novimus ex Scriptura, & ratione ; *sicut enim omnia membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt : ita & Christus ; etenim in uno spiritu omnes nos baptizati sumus in unum corpus* , inquit Apostolus 1 ad Cor. 12 v. 12 & 13 ; si igitur talis unitas non est constituta pro aliis regnis, quæ non ex jure naturali, aut ordinatione divina , sed proprio beneplacito in unam communitatem coeunt, nec uno eodemque spiritu aguntur , hoc ipso patet disparitas.

Obj. 2. Statim in primitiva Ecclesia fuerunt ortæ variæ sectæ Simoniacorum, Gnosticorum &c. & inter ipsos fideles erant schismata , & dissensiones e. g. circa observationem legis Mosaicæ , ut refertur Actor. 15 ; imo Paulus ad Galat. 2 de se ipso ait, quod Petro in faciem restiterit : ergo Ecclesia Catholica non semper habuit unitatem fidei. Conf. Ut de hac unitate constaret, deberemus evolvere omnes antiquas historias , & omnium Patrum monumenta ; hoc pene superat vires humanas : ergo. Resp. Conc. Ant. quoad 1mum 198

mem-

membrum, Dift. quoad 2. Erant diffenfiones circa res fidei, & quidem jam fufficienter definitas ac propofitas, Neg. Ant. circa res alias, aut veritates fidei nondum fufficienter propofitas, Conc. Ant. & Neg. Conf. Hærefes quidem ortæ funt in Ecclefia, fed non ex Ecclefia, cujus doctrina nullam dedit caufam errandi; qui vero erroribus contra fidem pertinaciter adhæferunt, hoc ipfo non amplius fuerunt Catholici. Circa obfervantiam legis Mofaicæ tunc nihil adhuc erat definitum. Controverfia cum Petro tantum erat circa aliquod factum, eoquod Petrus in gratiam Judæorum obfervarit quasdam ceremonias legis, nondum quidem prohibitas, ex quo tamen gentes poterant fcandalizari. Ad Conf. Neg. Maj. Doctis circa dogmata hodie controverfa hoc fatis conftare poteft ex Scriptoribus controverfiarum: fimplicioribus fufficit, quod nullas inter Catholicos deprehendant in fide difcordias, quas facile palpare poffunt apud fectarios.

199 Dices. Etiam noftro tempore Ecclefia græca in multis difcordat a latina, & inter Theologos quotidianæ funt diffenfiones de Deo, Incarnatione, Gratia &c. Conf. In Ecclefia Romana tot dantur fchifmata, & fectæ, quot funt monafteria, vel certe monafteriorum ordines; ita delirat Calvinus. Refp. Ecclefia græca, quæ Romano Pontifici fubjecta, ac vere Catholica eft, in nullo articulo fufficienter definito a latina difcrepat, fed tantum in quibusdam ritibus, & ceremoniis, quas pro temporum, & locorum varietate falva fide mutari poffe, cuique notum eft. Cum illis autem Græcis fchismaticis, qui non folum Romano Pontifici obedire detrectant, fed plures etiam in fide errores tenent, tam parum aliquid nobis commune eft, quam cum Ecclefia Lu-

Lutherana, aut Calviniana. Discordiæ Catholicorum Theologorum, licet aliquando versentur circa res, quæ ad fidem pertinent, nunquam sunt circa ipsum punctum clare, ac certo definitum. Ad Conf. Diversitas religiosorum Ordinum tam parum officit unitati fidei, quam diversitas statuum unitati reipublicæ profanæ. Quod addit Calvinus, monachos antiquos privata altaria erexisse, & separatim ab aliis Sacramenta recepisse, falsum est, contrarium testatur S. Epiphanius in epistola ad Joann. Jerosolymit. Cass. collat. 18 cap. 15. S. Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ cap. 33.

Obj. 3. Ecclesia Catholica nunc multa docet contraria illis, quæ antiqua tenuit; negari enim non potest, quosdam Patres circa aliquos articulos nunc definitos aliter sensisse, & olim communio sub utraque specie laicis præcepta erat, nunc est prohibita: ergo. Conf. Unitas doctrinæ, quæ defacto in Ecclesia datur, tantum est servilis, & coacta sub tyrannide Pontificis, & metu inquisitionis. Resp. Dist. Ant. docet contraria illis, quæ antiqua Ecclesia tenuit tanquam articulos fidei, Neg. Ant. tanquam privatas tantum aliquorum opiniones, Conc. Ant. & Neg. Conf. Ecclesia Catholica defacto tenet omnia illa, quæ aliquando tota Ecclesia fide divina credenda censuit; si autem aliqui Patres circa res nondum definitas hallucinati sunt, simul erant parati judicium suum Ecclesiæ submittere. Communio sub utraque specie vel una tantum non est res fidei, sed præcepti Ecclesiastici, quod non est immutabile. Sic ipse Deus modo prohibet sacrificia, quæ olim Judæis permiserat. Ad Conf. Neg. Ant. Ad fidem internam nemo cogi potest, externam quoque professionem plerique ultro serio, ac sponte faciunt, tot ac tan-

200

tantis argumentis pro veritate Religionis Catholicæ convicti. Si non nulli solo pœnarum metu retardentur, ne linguam, aut calamum contra nostram fidem stringant, eos orthodoxis non annumeramus.

201 Dices. Ipsi Catholici de auctoritate summi Pontificis continuo inter se litigant, an sit subjecta Concilio generali, an se etiam extendat ad bona temporalia fidelium &c. Imo viri sanctissimi quandoque se a Romano Pontifice separarunt, ut Cyprianus, Meletius Antiochenus &c. Conf. Gregorius Magnus titulum universalis Episcopi repudiavit, & Æneas Silvius scribit, quod ante Nicænum symbolum Episcopi sibi vixerint, & non respexerint ad Ecclesiam Romanam. Resp. Quod Pontifex Romanus sit caput visibile Ecclesiæ ac primatum honoris, ac jurisdictionis in cæteros Episcopos obtineat, omnes Doctores Catholici conveniunt. De cæteris vero ita disputant, ut reverentia, & obedientia Sedi Apostolicæ debita semper salva manere debeat. Viri sancti restiterunt quandoque Pontifici in rebus nondum definitis, vel si ulterius progressi sunt, non amplius fuere sancti, sed in schisma inciderunt, neque ad sanctitatem suam redierunt, nisi Pontifici Romano reconciliati, uti contigit cum Meletio, & Cypriano, si tamen aliquando revera schismatici fuerunt, quod probabilius falsum. Ad Conf. Gregorius titulum Episcopi universalis tantum repudiavit in hoc sensu, quod solus Pontifex Romanus sit Episcopus. Æneas Silvius sententiam, quam junior scripsit, factus senior, & Pontifex Romanus sub nomine Pii II retractavit his verbis: *Seni magis, quam juveni credite, & eam rejicite, piam recipite.*

Obj.

Obj. 4. Quælibet ſecta conſtituit unum corpus, & ejus aſſeclæ ſaltem conveniunt in articulis fundamentalibus: ergo habent unitatem doctrinæ, vel ſiquis cum aliis e. g. Lutheranis non convenit, hoc ipſo ad eorum ſectam non pertinet. Conf. Diſcordia Doctorum Catholicorum in iis, quæ nondum ſunt clare definita, non obeſt unitati fidei, quia parati ſunt ad ſuſcipiendam definitionem Eccleſiæ; ſed etiam ſectarii parati ſunt conſentire ſacræ Scripturæ, ubi veritatem in illa clare perſpexerint, vel ab ipſorum Eccleſia, & ſynodis fuerit definitum: ergo. Reſp. Corpus qualecunque ſectariorum nec unum eſſe unitate capitis, nec unitate doctrinæ, ſed ſimile complexo ex 300 vulpibus, quas caudis quidem colligatas capitibus autem diviſas Samſon emiſit ad ſegetes vaſtandas, ut dudum obſervavit S. Auguſtinus. Refugium ad articulos fundamentales invehit indifferentiſmum diſput. præced. jam refutatum, cumque hæreticorum doctrina in multis articulis ſibi non conſtet, poteſt quis hoc vel illud tenere, quin ceſſet de illorum ſecta eſſe. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. ſuppoſitum min. quod videlicet ſufficiat, ſi quis tantum ſit paratus doceri ex Scriptura, hoc enim dicebant omnes hæretici antiqui bene gnari, quod muti hujus judicis ſententia facile eludi poſſit, eam interpretando juxta privatum ſenſum, & guſtum. Porro nec Eccleſiæ ſectariorum, nec illorum ſynodi ſunt œcumenicæ, quibus ſolis infallibilitas eſt promiſſa; unde potius ſe ſubmittere deberent Concilio e. g. Tridentino. 202

QUÆSTIO III.

An inter sectas Christianas sola Ecclesia Romana sit sancta?

203 Dicendum. 1. Vera Christi Ecclesia debet esse sancta sanctitate doctrinæ, & morum, seu personarum. Prob. 1 pars. Vera Christi Religio est modus colendi Deum, quo ipse vult, ab ipso Deo profectus, & a Christo nobis traditus: ergo vera Christi Ecclesia debet esse sancta, id est, Deo devota & bene placens, tam in dogmatis fidei, quam in præceptis morum; nam Psalm. 18 v. 8 dicitur: *Lex Domini immaculata*, & Apoc. 21 v. 2: *Ego Joannes vidi sanctam civitatem, Jerusalem novam, descendentem de cælo &c.*; ubi per Jerusalem novam Christi Ecclesia intelligitur. Prob. 2 pars. Lex Christi est *Sermo vivus* ad Hebr. 4, *convertens animas*, Psalm. 18 v. 8: ergo non potest respectu omnium esse fructu vacua, sed debet saltem respectu aliquorum esse efficax, ut ipsa testatur experientia; qui enim doctrinam veræ Ecclesiæ stricte sequuntur, excellunt fide viva actuali, & observatione mandatorum, ac consiliorum Dei, in quem finem Christus ipse omnem suam curam, exempla, & adhortationes impendit: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*, ad Tit. 2 v. 14. Hinc S. Petrus epist. 1 cap. 2 v. 9 Christianos vocat: *Genus electum, & gentem sanctam.* Adde, quod nota sanctitatis non solum in symbolo Nicæno, sed etiam Apostolico exprimatur.

204 Dicendum 2. Ecclesia Romano-Catholica est sancta sanctitate doctrinæ, & morum. Prob. 1 pars. quia in illius doctrina fidei, & morum nihil ostendi potest, quod non sit sanctum

ctum, & in sensu Ecclesiæ acceptum cum lege naturali, divina, & ipsa doctrina Christi perfectissime congruat. Excitantur in illa homines ad virtutis studium, & cultum Dei ubique promovendum, non solum præcipitur observantia præceptorum divinorum, sed etiam evangelica Christi consilia suadentur, & quidquid ad acquirendam omnem perfectionem conducere potest, sedulo inculcatur. Prob. 2 Pars ex martyrologiis, annalibus, & vita Sanctorum, ex quibus manifestum est in Ecclesia Romana semper exstitisse non paucos utriusque sexus eximia morum innocentia & sanctitate conspicuos, ac etiam martyrii laurea insignes, ex quorum numero nostris adhuc temporibus non pauci in catalogum Sanctorum relati sunt. Conf. Utraque pars conclusionis solide ex tot miraculis, quæ a Romano-Catholicis in confirmationem suæ fidei edita sunt, & ab ipsis sectariis negari nequeunt; jam vero miracula non nisi in confirmationem doctrinæ sanctæ fieri possunt, nec Deus illa per alios, quam Sanctos ordinarie facere consuevit.

Dicendum 3. Nulla alia secta habet sanctitatem doctrinæ, aut morum. Prob. 1 pars. 205
Quia nulla est, quæ non doceat aliqua evidenter incredibilia, Deo injuriosa, virtuti inimica, & verbo Dei contraria, ac non jam in veteribus hæreticis damnata. Sic Lutherus, & Calvinus cum Simonianis docent, bona opera esse inutilia, cum Pelagianis omnia peccata esse mortalia, cum Donatistis, quod Ecclesia constet ex solis sanctis, & non sit visibilis. Cum Arianis, quod non sit orandum pro defunctis. Certe illorum principia e. g. solam fidem justificare, mandata Dei non posse observari, non dari liberum arbitrium &c. potius ad destruendam quam

promovendam ſanctitatem conducunt. Prob. 2 pars. Quia primi ſectarum auctores plerumque fuerunt homines notorie ſcelerati, de quibus nemo prudens ſibi perſuadere poteſt, quod a Deo fuerint conſtituti Eccleſiæ ſuæ reformatores. Mendacia, blasphemias, depravationes Scripturæ, & impoſturas Calvini ſcitiſſime depingit Nicol. Romæus in effigie Calvini, ebrietatem, obſcænitatem, calumnias, aliaque flagitia Lutheri optime deſcribit Conradus Vötter in Luthero humili, ſobrio, caſto &c. Quod ſi quidam inter ſectarios agere vitam ſat inculpatam videntur, id lumini rationis, ingenuæ indoli, & liberali educationi adſcribendum eſt, non vero ipſorum ſectæ, carni tam blandienti & ſpiritui tam adverſæ. Interim inter omnes ne unus quidem eſt, aut fuit, cui ſanctitatis encomium jure tribuatur, aut qui vel unicum verum miraculum patrarit.

Objectiones.

206 OBj. 1. Quænam doctrina ſit ſancta, poteſt conſtare ex ſola Scriptura: ergo ſanctitas non eſt nota veræ Eccleſiæ, alias etiam veritas doctrinæ, & pura divini verbi prædicatio eſſet nota Eccleſiæ. Conf. Ad cognoſcendam ſanctitatem doctrinæ deberent examinari omnes articuli, & præcepta Eccleſiæ. Reſp. Neg. Ant. ſed ſatis conſtare poteſt per lumen naturale rationis. Sic ſanctitas in lege veteri diſcerni potuit, antequam Moyſes ſuos libros edidit, & ſanctitas doctrinæ Chriſti, antequam ſcripta fuerunt Evangelia. Porro quando dicimus puram prædicationem Evangelii, & doctrinam veram

non

non esse notam Ecclesiæ, per illam intelligimus omnimodam doctrinæ veritatem, quæ utique non est notior, quam vera Ecclesia; hic autem per sanctitatem solum intelligitur immunitas ab omni errore honestati contrario, & aptitudinem ac efficaciam homines perducendi ad eximium sanctitatis gradum. Ad Conf. Neg. Maj. Modo rudes nullam deprehendant maculam in doctrina, quæ ipsis proponitur, & aliunde per experientiam, aut famam cognoscant, homines, qui ad normam hujus doctrinæ mores suos componunt, evadere a vitiis liberos, virtutis studiosos, & sanctos, doctrinæ sanctitatem satis cognoscunt.

Dices. Vel sanctitas interna, vel exter- 207
na personarum esset nota Ecclesiæ? non interna, quia est insensibilis; non externa, quia sæpe fallit, estque communis bonis, & malis, vitium non raro sub larva virtutis tegentibus. Conf. Vera doctrina semper est sancta: ergo non est opus, ut mores sint sancti, sed sicut corruptela morum non indicat Ecclesiam corruptam, sic neque sanctitas sanctam. Resp. Conc. Maj. Neg. min. & dico, quod nota veræ Ecclesiæ sit sanctitas interna, ut per externam manifestata, quamquam enim opera externa in quolibet particulari fallere possint, certum tamen est, quod non fallant circa sanctitatem totius collectionis plurimorum: imo hypocritæ successu temporis plerumque vel inviti se produnt, & larva, ut ait Seneca, non fert ætatem. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quippe Scriptura præter sanctitatem doctrinæ requirit sanctitatem morum: neque Christus solum mortuus est, ut Ecclesia haberet doctrinam sanctam, sed etiam ut haberet mo-

res sanctos: *Populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Cæterum, quia corruptela morum oritur a difformitate morum cum doctrina, utique sanctitati doctrinæ malitia hominum non obstat; at sanctitas oritur ex conformitate cum doctrina, adeoque mores non possunt esse sancti, nisi doctrina sit sancta.

208 Obj. 2. Ecclesia catholica multa docet, quæ repugnant sanctitati, ut 1 idololatriam circa cultum Sanctorum, & imaginum. 2. Superstitiones in ceremoniis. 3. Communionem uxorum; nam can. 2 caus. 12 q. 1 referuntur hæc verba Clementis Romani: *Amicorum debent esse omnia communia; in omnibus autem sunt sine dubio, & conjuges.* 4. Licentiam habendi concubinam, ut refertur can. 4 distinct. 34 ex Concilio Toletano: *Qui non habet uxorem, concubinam autem habet, a communione non repellatur.* Resp. Neg. Ant. Catholici Sanctos non colunt tanquam Deos, sed ut Dei amicos, nostrosque intercessores, neque statuas venerantur more gentilium, qui ligno, aut lapidi divinitatem quamdam inesse credebant, sed cum respectu ad ipsos Sanctos, qui per imagines repræsentantur. 2. Ceremoniæ Ecclesiasticæ tam parum sunt superstitiosæ, quam parum erant ceremoniæ, quas Deus Judæis præscripsit. 3. Verba posteriora: *In omnibus autem &c.* non reperiuntur in codicibus manuscriptis, qui in bibliotheca Vaticana, & Florentina S. Marci asservantur; unde Gratianus ea descripsit ex vitioso exemplari. 4. Per concubinam juxta morem illius temporis non intelligitur fornicaria, sed vera conjux, attamen absque juris solemnitatibus & tabulis dotalibus ducta. Adde quod Concilium Tole-

ta-

tanum non quoad omnia fuerit approbatum, præſertim quoad hoc punctum.

Dices. Inter Catholicos multi numerantur ſcelerati etiam ex ipſis paſtoribus, & Pontificibus: ergo. Conf. Doctores Catholici tradunt doctrinam valde laxam, & quandoque craſſos errores, adeo ut teſte Gerardo Lutherano publice diſputetur, fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum; hinc Eccleſia catholica ſæpius debuit reformari, ut fatetur ipſum concilium Tridentinum. Reſp. Ut Eccleſia dicatur ſancta, ſufficit, quod ſemper in ea fuerint, & etiamnum ſint plurimi vere juſti, & ſancti: nam ipſe Chriſtus Eccleſiam ſuam appellavit ſanctam, & immaculatam, licet prædixerit in illa fore virgines prudentes, & fatuas, piſces bonos, & malos, triticum, & zizania. Ex Pontificibus Romanis, qui jam ultra 250 fuere, undecim quidem Eccleſiam cum ſcandalo rexerunt, ſeptem partim cum laude, partim cum infamia pontificatum geſſerunt, reliqui omnes aut ſanctis annumerati ſunt, aut boni ſaltem, & laudabiles fuere. Ad Conf. Errores, & vitia quorumdam privatorum eo minus ſanctitati Eccleſiæ officiunt, quo ſtudioſius illa laboravit eosdem reformare, quin tamen unquam aliquid mutaverit ex iis, quæ a Chriſto, & Apoſtolis accepit. Quantum vero Eccleſia abhorreat a laxitate, ſatis patet ex decretis Alexandri VII, & Innocentii XI, in quibus multæ propoſitiones proſcriptæ, & inter has etiam illa, quæ aſſerebat fornicationem ſolo jure poſitivo vetitam eſſe, quod ſolum pauci quidam ex Catholicis defenderant. 209

Obj. 3. Ex una parte miracula non ſunt nota neceſſaria doctrinæ veræ, & ſanctæ; quippe S. Joannes Baptiſta ab ipſo Deo miſſus erat ad 210

ad prædicandam pœnitentiam, & Meſſiam annunciandum, & tamen de illo Joan. 10 v. 4 dicitur, quod nullum ſignum fecerit: ex altera parte S. Chryſoſtomus Homil. 49 in Matth. teſtatur, jam ſuo tempore ſublatam fuiſſe miraculorum operationem: ergo. Conf. Miracula etiam a viris improbis poſſunt fieri, ut dicitur Matth. 24 v. eodem: ergo. Reſp. Quamvis miracula non ſint nota abſolute neceſſaria, ſi tamen pro aliqua Religione dantur, probant illam eſſe ſanctam, & veram, ut jam adverti num. 144, alias etiam pro Religione Mahometana fieri poſſent. S. Joannes ipſemet fuit miraculum divinæ auctoritatis plenum, ut patet ex prodigioſa ejus nativitate, victus auſteritate, vitæ innocentia, & ipſo Joannis nomine, quod ab Angelo prænunciatum gratiam ſignificat. Homiliæ in Matth. non ſunt S. Chryſoſtomi, ſed multis ſcatent erroribus, nec plus illarum auctor, quiscunque ille ſit, vult innuere, quam quod miracula ſuo tempore non amplius fuerint tam frequentia ſicut ſub exordium naſcentis Eccleſiæ. Ad Conf. Diſt. Ant. poſſunt fieri miracula ab improbis, & quidem in confirmationem erroris, Neg. Ant. ex alio fine, Conc. Ant. Licet etiam hoc raro contingere ſoleat.

211 Dices. Certum eſt, quod homines circa miracula ſæpe decipiantur, & dæmon variis præſtigiis ſenſibus illudere ſoleat: ergo non ſatis conſtat, quod pro Religione catholica vera miracula patrata ſint. Conf. Doctrina ſectariorum etiam habet ſuos ſanctos nempe Chriſtum, & Apoſtolos, eaque primis ſtatim temporibus Eccleſiæ ſat miraculis probata fuit; imo ipſa everſio Papatus per Lutherum facta grande eſt miraculum. Reſp. Conc. Ant. Neg.

Conf.

Conf. Quam frivola sit hæc objectio, satis patet ex dictis disp. 2 q. 2, hoc solum hic addo, idipsum aliquando objectum fuisse Christo a Pharisæis, Apostolis, & Martyribus a gentilibus, veteri Ecclesiæ a Vigilantio, Arianis, Eunomianis &c. Certe Ecclesia de facto tanta diligentia miracula discutere solet, ut ne ipsi quidem sectarii discussionem magis exactam desiderare possent. Ad Conf. Neg. suppositum, quod Christus, Apostoli, & miracula primæ Ecclesiæ ad illas sectas spectent, quæ a doctrina Apostolica recesserunt. Interim Papatus nondum est eversus, sed stat, stabitque usque ad extremum mundi diem, quamquam aliquæ provinciæ ab illo defecerint ob doctrinas sectariorum cupiditatibus hominum ita accommodatas, ut mirum sit, quod non plures ambabus manibus illas fuerint amplexæ.

Obj. 4. Doctrina sectariorum fundatur in sola Scriptura, plurimum auget gloriam Christi mediatoris, & fastum humanum deprimit: ergo est sancta, licet illarum Auctores non fuerint sancti; nam etiam super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi Matth 23 v. 2. Conf. Multa affinguntur sectariis, quæ non docent, uti quod præcepta Dei non possint servari, quod opera bona sint inutilia ad salutem &c.; cum tamen illorum præcones eosdem identidem hortentur ad observationem mandatorum Dei, & ad exercitium bonorum operum. Resp. Neg. Ant. Quomodo enim sectarii doctrinam suam ex Scriptura probabunt, cum nullam certam habeant regulam dignoscendi, quænam vera Scriptura, & genuinus illius sensus sit. Si gloriam Christi in aliquibus augere videntur, eandem in aliis longe magis deprimunt, docendo multa Christo injuriosa. Fastum humanum deprimunt fastu majore, 212

jore, quo legitimis Ecclesiæ Superioribus se opponunt. His non erant rebelles Scribæ, & Pharisæi, neque induxerunt doctrinam novam, sed solum tunc audiendi erant, quando legem a Deo latam populo explicabant, ad quod erant destinati. Ad Conf. Neg. Ant. Contrarium patet ex scriptoribus polemicis, & ipsis libris symbolicis sectariorum. Si nunc aliqui mitius loquantur, vel ipsimet non credunt, quæ dicunt, vel si ex animo loquuntur, manifeste ostendunt suam inconstantiam, & discordiam in rebus fidei, dumque in aliquibus plus sapere incipiunt, adhuc in multis desipere pergunt.

QUÆSTIO IV.

An inter sectas Christianas sola Ecclesia Romana sit catholica?

213 Dicendum 1. Vera Christi Ecclesia debet esse catholica, id est, universalis, & diffusa per totum orbem. Prob. auctoritate Scripturæ, in qua hæc veritas jam prædicta fuit a Davide Psal. 21 v. 28: *Convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium*; tum confirmata illis verbis evangelicis Matth. 24 v. 14: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe.* Hinc jam Apostoli in suo symbolo nos credere docuerunt Ecclesiam catholicam, eandemque profitemur in symbolo Nicæno, & S. Athanasii. SS. Patres quoque per hoc ipsum nomen Ecclesiam veram Christi ab hæreticorum conventiculis discernunt: *Tenet me*, inquit S. Augustinus contra epist. fundament. cap. 4, *in Ecclesia ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæ-*

hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Similia habet S. Cyrillus Jeroſolym. catech. 18, & S. Pacianus epiſt. 1 ad Simpronianum. Ratio eſt, quia omnes tenentur amplecti veram Eccleſiam Chriſti: ergo hæc per totum mundum debet promulgari.

Dicendum 2. Eccleſia Romana eſt catholica, & diffuſa per totum orbem. Prob. Auctoritate Patrum, quorum plurimi teſtantur illam Chriſti Eccleſiam, quæ per totum orbem diffuſa eſt, cum Epiſcopo Romano communione conjunctam eſſe, ut videre eſt apud P. Tanner in Anat. part. 2 demonſt. 3 per ſingula ſæcula. Nominatim pro ſæculo II hoc teſtatur Irenæus lib. 1 adverſ. hæreſ. pro III S. Athanaſ. lib. de Incarnat. Verbi, pro IV S. Hieron. in caput 24, Matth. pro V S. Aug. epiſt. 78 ad Heſichium. Poſt illos Leo Magnus, Gregorius Magnus, S. Bernardus, de poſtremis iſtis temporibus omnibus conſtat, Eccleſiam Romanam florere in Italia, Hiſpania, Gallia, & Bohemia ferme tota: in Germania, Scotia, Polonia, Hungaria, Græcia, Syria, Æthiopia plurimi inveniuntur Catholici, in cæteris quoque plagis Eccleſia Romana ubique propagata eſt ad Orientem in Indiis, ad Occidentem in America, ad Septentrionem in Japonia, ad Meridiem in Braſilia adeo, ut ipſi ſectarii audito nomine Catholicorum non alios intelligant, quam Eccleſiæ Romanæ addictos. 214

Dicendum 3. Nulla alia ſecta eſt Catholica. Prob. rurſus ex teſtimonio SS Patrum; ita enim de Manichæis, & Donatiſtis teſtatur 215

tur S. Augustinus, de Marcionistis & Montanistis S. Pacianus, de Luciferianis S. Hieronymus &c. de sectariis nostræ ætatis constat, quod præter Occidentem alias orbis partes vix leviter infecerint, in Oriente vero vix cognoscantur, aut pro hæreticis partium occidentalium habeantur, quod si insuper consideretur, in quot diversas species divisæ sint, facile perspicitur, quam exiguam terræ partem quælibet seorsim occupet. De omnibus universim loquendo vel tardius inceperunt, vel rursus defecerunt, vel per exiguam mundi partem se extenderunt. Hinc Lutherani sectæ suæ male metuentes negant catholicismum esse notam veræ Ecclesiæ, & Lutherus vocem catholicam ex symbolo Apostolorum expunxit, ne videlicet in illud minus esset sacrilegus, quam in S. Scripturam, quam multis in locis tam fæde corrupit.

Objectiones.

216 OBj. 1. Ecclesia in S. Scriptura comparatur pusillo gregi, grano sinapis &c. ergo universalitas non est nota veræ Ecclesiæ, sed potius pauci sunt, qui intrant per angustam portam. Conf. Si defacto contingeret, ut una tantum provincia retineret veram fidem, ibi esset vera Christi Ecclesia. Sane initio Ecclesia Christi solis ferme Judææ finibus continebatur, & tempore Anti-Christi erit tam exigua, ut Christus Luc. 18 v. 8 dicat: *Filius hominis veniens, putas, fidem reperiet in terra?* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quando Christus has comparationes instituit, utique Ecclesia fuit pusillus grex, & exiguum granum sinapis; attamen postea secundum ejus promissionem excrevit in gentem magnam, & arborem vastissimam, quamvis respectu omnium sectarum falsarum adhuc possit dici pusilla, & quod pauci in illam intra-

ve-

verint. Ad Conf. Tranſ. Ant. Quia juxta vaticinium Chriſti Evangelium prædicabitur in univerſo orbe, & *Tunc veniet conſummatio*, Matth. 24 v. 14. Neg. Conſ. Talis Eccleſia eſſet catholica ſaltem ampliative, quatenus aliquando fuit prædicata in univerſo mundo. Cæterum quamvis nota univerſalitatis non ſtatim potuerit convenire Eccleſiæ naſcenti, nec illi agonizanti conveniet, utrumque hoc tempus eſt breviſſimum, & vix alicujus conſiderationis reſpectu tot ſæculorum, quibus in ſuo ſtatu completo conſtituta per totam orbem floruit, & adhuc floret, unde merito adhuc poteſt dici catholica.

Dices. Synagoga fuit vera Eccleſia, nec 217
tamen fuit catholica: ergo nec Eccleſia Chriſti debet eſſe catholica. Conf. Teſte Foſſio vox catholica ſymbolo primum addita eſt ſæculo XIII: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sicut ſynagoga in pluribus aliis ab Eccleſia Chriſti diſcrepat, ſic Deus nunquam illi promiſit, quod ſit per totum orbem diffundenda, ſicut hoc promiſit Eccleſiæ Chriſti, imo etiam tunc Eccleſia univerſalis non tantum fuit populus Judaicus ſub lege Moſaica conſtitutus, ſed etiam alii, ut Melchiſedech, Job &c. fuerunt veri fideles, & ſalutis compotes. Ad Conf. Vox catholica jam legitur in epiſtola S. Ignatii Martyris ad Smyrnæos ſub initium ſæculi II, & poſteà in epiſtola Smyrnæorum de martyrio S. Polycarpi apud Euſebium eodem ſæculo. Equidem hoc nomen Eccleſiæ Romanæ ſectarii invident, hinc nos Papiſtas, Pontificios, Romanenſes &c. vocare ſolent; verum etiam hæc nomina, ſi a Papa tanquam Paſtore univerſali deſumuntur, in ſe neutiquam ſunt probroſa; dum autem ſectarii illa in odium detorquent, imitantur antiquos hæreticos, Valentinianos, Monta-

taniſtas, Arianos &c., qui primos Catholicos ſimplices, animales, & Homouſianos appellare ſolebant.

218 Obj. 2. Ex una parte argumentum, quod a nomine ducitur, per ſe eſt infirmum; ex altera parte vox catholica & textus Scripturæ ſatis poſſunt ſalvari, ſi dicatur 1, quod illa Eccleſia ſit catholica. 1. Quæ conſentit cum doctrina Prophetarum, & Apoſtolorum. 2, Quæ nulli certo loco eſt alligata, ut ubivis gentium ad illam pateat aditus. 3. Cui ex parte Dei nihil deeſt, quo minus ubique diffundatur, quamquam hoc a libera hominum voluntate impediri poſſit. Reſp. Diſt. Ant, quoad 1 membrum. Si argumentum a ſolo nomine ducitur, Conc. Ant. ſi res reſpondeat nomini, aut nomen aliquod ex ſpeciali Dei providentia alicui rei eſt attributum, Neg. Ant. quoad hoc membrum, uti etiam quoad 2. Nam 1 vox catholica juxta ſenſum antiquiſſimorum Patrum idem eſt, ac univerſalis, ſeu ubique diffuſa, quam prærogativam ipſa Scriptura Eccleſiæ Chriſti tribuit. 2. Quænam Eccleſia conſentiat cum doctrina Prophetarum, & Apoſtolorum inferius videbimus. Certe hoc non probatur ex eo, quod nulli certo loco ſit alligata. 3. Quando Deus revelavit, quod Eccleſia in omni loco ſit diffundenda, jam prævidit voluntates hominum: ergo hoc non tantum conditionate revelavit. Profecto tali modo quilibet facile poſſet eſſe Propheta; ſi enim vaticinio eventus non reſponderet, poſſet dicere, illum ab hominibus libere fuiſſe impeditum, ut advertit S. Aug. contra Donatiſtas lib. de unit. Eccleſiæ. cap. 9.

219 Dices. Etiam ſectæ falſæ late per orbem diffuſæ ſunt: ergo vox catholica prout eſt nota Eccleſiæ non ſignificat idem, ac univerſalis,

lis. Ant. Prob. Mahometismus magnam orbis partem invasit. 2. Paganismus per totum orbem diffusus erat. 3. Hæresis Ariana per totam Ecclesiam Christi ita fuit propagata, ut S. Hieronymus in Dialog. advers. Lucifer. cap. 7 in hæc verba scripserit: *Ingemuit totus orbis, & se Arrianum esse miratus est.* Resp. Dist. Ant. Aliæ sectæ per orbem diffusæ sunt eo modo, & cum iis circumstantiis, quas retulimus num 133, Neg. Ant. modo longe diverso, Conc. Ant. & Neg. Cons. sola propagatio per orbem nude accepta non est nota affirmativa, sed tantum negativa veræ Religionis: imo cum hæc nota non tradatur ad distinguendam veram Christi Ecclesiam a Religionibus non Christianis, sed ab hæreticis, qui Christum profitentur, exemplum Mahometismi & Paganismi hic non est ad rem & eorum falsitas satis patet ex disp. 2. Dictum S. Hieronymi de Arrianismo hyperbole est, quam justus de hæreseos progressu dolor expressit; nam non solum in Occidente, quo Arrianismus vix pervasit, sed etiam in Oriente plurimos tunc fuisse Catholicos demonstrat tum invicta fortitudo, qua populus fidelis Alexandriæ, Constantinopoli, Antiochiæ &c. Arrianorum Episcopis semper restitit, tum innumera turba SS. Monachorum Ægypti deserta incolentium, quos impense fovebat S. Athanasius tanquam fidei divinæ strenuos defensores.

Obj. 3. Religio Romana non tenetur in multis Europæ provinciis, multo minus in aliis mundi partibus; si enim totum mundum in 24 partes dividas, vix quinque partes sunt christianæ, quæ tamen rursus in varias sectas dividuntur: ergo non est catholica. Conf. Ecclesia Romana est tantum Ecclesia particularis; & Imperatores Romani olim edicto san- 220

 xerunt,

xerunt, Catholicos dici, qui confitentur articulos de SS. Trinitate. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Quando dicimus, Ecclesiam esse catholicam, id non accipimus in rigore physico, sed moraliter, & successive, quatenus ejus doctrina in præcipuis mundi partibus, nobis cognitis, vel prædicata jam fuit, vel adhuc prædicabitur; in hoc enim sensu hanc vocem acceperunt SS. Patres, nominatim S. Augustinus contra Donatistas, & ipsa Scriptura, dum Rex Nabuchodonosor Daniel. 4 v. 19 dicitur occupasse omnia regna terræ, & Luc. 2 v. 1 a Cæsare edictum exiisse, ut describeretur universus orbis. Ad Conf. Dist. Ant. quoad primum membrum, est Ecclesia particularis, si præcise consideretur ut subjecta Episcopo Romano. tanquam pastori speciali, Conc. Ant. si consideretur ut subjecta Episcopo Romano tanquam Pastori universali, & supremo Christi in terris Vicario, Neg. Ant. quoad hoc membrum. Ad alterum dico, ista edicta Imperatorum tunc fuisse edita, quando soli articuli de SS. Trinitate erant controversi inter Catholicos, & heterodoxos.

221 Dices. Si propagatio Ecclesiæ tantum debet esse successiva, etiam secta Lutherana erit catholica, tum quia jam olim ab Apostolis per orbem fuit propagata, tum quia deinceps per illam potest propagari. Conf. Ecclesia Lutherana vocatur Evangelica, & teste ipso Bellarmino celeriter in Orientem, & Occidentem diffusa est. Resp. Neg. Ant. & suppositum, quod doctrina sectariorum unquam ab Apostolis fuerit prædicata. Multo minus sufficit ad universalitatem, quod aliqua secta primum deinceps sit propaganda; nam Patribus, & fidelibus fuit persuasissimum, quod Ecclesia suo jam tempore debuerit esse diffusa per totum orbem, & ex defectu hujus propagationis impu-

pugnarunt hæreticos. Deinde unde constat, sectam Lutheranam deinceps ubique propagandam esse? cur hucusque id factum non est? certe spes non est major, quam olim apud Donatistas, qui simili vaticinio se ipsos deceperunt, & ideo illos irrisit S. Augustinus lib. de Unit. Ecclesiæ cap. 17. Ad Conf. Nomen Evangelicum, quod aliqui pacis, vel adulationis studio Lutheranis tribuunt, non convenit illis majore jure, quam cuilibet alteri hæretico; Bellarminus vero solum ait sectam Lutheranam in Germania versus omnem plagam fuisse diffusam, quo sensu etiam quævis communitas pagi rustici se versus Orientem, & Occidentem extendit. Vid. Bellarm. de Ecclesia militant. lib. 4 cap. 17.

QUÆSTIO V.

An inter sectas christianas sola Ecclesia Romana sit Apostolica?

Dicendum 1. Vera Christi Ecclesia debet esse Apostolica ob doctrinam antiquissimam ab Apostolis derivatam, & ob continuam successionem legitimorum Pastorum. Prob. 1 Pars. Christi Ecclesia est instituta a Christo, & ita super Apostolos fundata, ut nunquam possit deficere, & penitus extingui: ergo debet habere doctrinam a tempore Christi, & Apostolorum ad nos usque derivatam. Ant. patet ex Scriptura: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Matth. 16 v. 18; *Superædificati super fundamentum Apostolorum*, ad Ephes. 2 v. 20. Hinc apud Patres indubitatum est, illam Ecclesiam, quæ primum post Christum & Apostolorum tempora introducta 222

eſt, falſam eſſe, ut videri poteſt apud S. Hieron. in fine Dialogi contra Luciferianos, apud S. Epiphan. hæreſ. 55, apud S. Auguſtinum lib. contra epiſtol. fundament. cap. 4 &c. Prob. 2 pars. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ conſtituit paſtores, tum ſupremum: *Paſce oves meas*, Joan. 21 v. 17, tum alios: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, Act. v. 28. Atqui hos conſtituit non ad breve tempus, ſed ad conſummationem Sanctorum, ut teſtatur Apoſtolus ad Epheſ. 4 v. 12: ergo Eccleſia ſemper debet habere aliquos, qui habeant poteſtatem paſcendi gregem Domini, cumque hæc poteſtas ſit ſpiritualis, & ſupernaturalis, debet provenire a Chriſto, qui illam dedit Apoſtolis, & per Apoſtolos eorum ſucceſſoribus per ſucceſſionem non interruptam. Hinc SS. Patres ſæpe adverſus ſectarios veram Eccleſiam oſtendunt ex iſta ſucceſſione, & S. Irenæus lib. 3 cap. 3 contra Valentinum ait, per illam confundi omnes hæreticos.

223 Dicendum 2. Eccleſia Romana eſt Apoſtolica quoad doctrinam, & quoad ſucceſſionem Paſtorum. Prob. 1 membrum. Ex una parte Eccleſia catholica quoad doctrinam vere fuit Apoſtolica, ut fatentur plerique ſectarii, & conſtat ex unanimi conſenſu Patrum, qui pro hæretico, aut ſchismatico habebant, quisquis cum Eccleſia Romana non eſſet communione conjunctus: ex altera parte ab hac doctrina nunquam defecit, alias deberet poſſe oſtendi tempus, locus, dogma, & auctor, ſub quo cæperit deficere; ſed nihil horum oſtendi poteſt. Certe tempore Lutheri, Calvini &c. nulla fuit Religio chriſtiana alicujus nominis, quam Græca, Huſſitica, & Romana. Ex his Græca jam dudum per fatale ſchiſma ſe divi-

ſerat.

ferat. Hussitica primum sæculo XIV nata est: ergo tunc nulla fuit Religio Apostolica nisi Romana. Prob. 2 membrum. In Ecclesia Romana data fuit continua successio summorum Pontificum ita, ut sectarii nullam possint ostendere interruptionem moralem, nisi omnem fidem tam Historicis Ecclesiasticis, quam profanis abnegare velint: ergo etiam data fuit legitima successio aliorum pastorum; nam Episcopi potestatem ordinis & jurisdictionis spiritualis acceperunt a summo Pontifice, Parochi ab Episcopis.

Dicendum 3. Nulla alia secta est Aposto- 224
lica, sive quoad doctrinam, sive quoad legitimam successionem pastorum. Prob. 1 pars. Tum quia omnes reliquæ sectæ multa docent, quæ doctrinæ Christi, & Apostolorum sunt contraria, ut patet percurrenti materiam de libertate, gratia, peccatis, Sacramentis, necessitate, & utilitate bonorum operum &c.; tum quia Lutherus, Calvinus &c., quamquam hæreses suas consarcinaverint ex variis veterum hæreticorum erroribus, nullam tamen provinciam, urbem, pagum, imo ne unicum tuguriolum ostendere possunt, in quo jam a tempore Apostolorum usque ad ipsos credita fuerint omnia dogmata, quæ modo creduntur a Lutheranis, Calvinistis &c. Hinc ipse Lutherus in brevi confessione fatetur, suam doctrinam esse *novam*, *& supra modum scandalosam*. Prob. 2 pars. Quia hæretici pastores non habent legitimam potestatem pascendi gregem Domini; neque enim illam habent immediate a Deo, quia hoc nulla ratione potest probari, neque a magistratu civili, cui Deus nunquam hanc potestatem spiritualem dedit, neque a ministerio Ecclesiastico ipsorum, quia de hoc iterum redit quæstio, unde illam acceperit. Pro-

 fecto

fecto non a Luthero, & Calvino, cum neuter fuerit Episcopus, & uterque potestate jurisdictionis, quam a catholicis Episcopis quondam acceperat, per excommunicationem privatus.

225 Colliges 1. Quod vera Christi Ecclesia debeat esse perpetua; nam si aliquando posset deficere, portæ inferi adversus illam prævalerent, & homines non semper possent salvari, cum extra veram Ecclesiam non detur salus; hinc in Scripturis comparatur sponsæ in æternum conjunctæ, & regno nunquam dissipando. Idem colligitur ex testimoniis Patrum apud Bellarm. lib. 3 de Eccles. milit. cap. 13 & 14, imo ex promissionibus ipsius Christi: *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; Matth. 28 v. 20: *Rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*, Joan. 14 v. 16. Colliges 2, quod vera Ecclesia debeat esse visibilis, alias a fidelibus neque inveniri, neque ex recensitis hucusque notis dignosci posset; cum tamen Isai. 2 comparetur monti, & Matth. 5 civitati supra montem positæ, in quem textum S. Augustinus de civit. cap. 16 ait: *Non est operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed supra candelabrum, & de illo dictum est, non potest civitas abscondi supra montem posita.* Præterea omnes fideles jubentur audire Ecclesiam, & Pastores tenentur gregem fidelium gubernare; hoc autem fieri non posset, si Ecclesia esset invisibilis. Nempe Ecclesia Christi nihil aliud est, quam collectio hominum inter se colligatorum per externam veræ fidei professionem, & participationem Sacramentorum, adeoque sufficientia habet signa, ex quibus cognosci potest.

Obj.

Objectiones.

OBj. 1. Ex una parte teſtimonia Scripturæ, 226
quibus antiquitatem Eccleſiæ probamus, ſolum debent intelligi de illa doctrina Apoſtolorum, quæ ſcripto tradita ſemper perſeveravit: ex altera parte ſi in rigore deberent accipi, probarent, ipſos Apoſtolos ſemper per novos Apoſtolos ſibi debere ſuccedere: ergo Eccleſia non debet eſſe Apoſtolica in eo ſenſu, quo nos hanc vocem accipimus. Conf. Fides divina non indiget adminiculis, ſeu teſtimoniis humanis; atqui ex his ſolis poteſt haberi, quod doctrina ſit Apoſtolica: ergo. Reſp. Neg. Ant. quoad utrumque membrum. Quippe Scriptura omnes Apoſtolos univerſaliter vocat fundamentum Eccleſiæ, neque tamen omnes doctrinam ſuam ſcripto tradiderunt; continua autem ſucceſſio Apoſtolorum nullibi promiſſa eſt, etſi ad Epheſ. 4 v. 11, & ſeq. v. eidem promiſſa ſit ſucceſſio Paſtorum, & Doctorum: *Ipſe dedit quosdam Apoſtolos &c.; alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, donec occurramus omnes in unitatem fidei.* Quæ ultima verba ad ſolos Paſtores, & Doctores referri debent, cum aliunde conſtet non ſemper dari Apoſtolos, & Prophetas. Ad Conf. Diſt. Maj. Non indiget adminiculis humanis tanquam motivo ſuo intrinſeco, Conc. Maj. tanquam motivis extrinſecis, quibus vera Eccleſia fiat evidenter credibilis, Neg. Maj. quomodo enim alias vera Eccleſia a ſectis falſis diſcerni poſſet?

Dices. 1. Pura prædicatio verbi divini non 227
eſt utile ſignum veræ Eccleſiæ: ergo neque prædicatio doctrinæ Apoſtolicæ. Conf. Succeſſio perſonarum nihil probat, niſi accedat

ſucceſſio doctrinæ: ergo ſaltem ſucceſſio paſtorum non eſt nota Eccleſiæ. Ant. Prob. In Eccleſia Græca ſchismatica ſervatur continua ſucceſſio Epiſcoporum, nec tamen eſt vera Chriſti Eccleſia: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis ipſa veritas doctrinæ catholicæ, quæ realiter eſt conformitas cum doctrina Apoſtolica, non ſit evidens, aut per ſe nota, poteſt nihilominus conformitas doctrinæ cum doctrina Apoſtolica clare cognoſci ex profeſſione fidei facta ab Apoſtolis, & ab hodiernis fidelibus fieri ſolita, quæ utraque cum ſit eadem, optime inde infertur etiam veritas doctrinæ. Ad Conf. Diſt. Ant. Ita tamen, ut ipſa ſucceſſio doctrinæ bene inferatur ex ſucceſſione perſonarum, niſi aliunde oſtendatur defectio doctrinæ, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo ſola ſucceſſio perſonarum non eſt nota affirmativa Eccleſiæ, Tranſ. Conſ. negativa, Neg. Conſ. Græci ſchismatici non habent debitam unionem cum capite, & dudum etiam errarunt in fide præſertim circa proceſſionem Spiritus ſancti, quam dicunt fieri a ſolo Patre. Adde, quod ſucceſſio Patriarcharum ſolum adhuc utcunque continuetur Conſtantinopoli, non a temporibus Apoſtolorum, ſed Conſtantini Magni, ſub quo creati ſunt primi Epiſcopi Conſtantinopolitani.

228 Dices 2. Promiſſio Chriſti, quod Eccleſia ſemper ſit duratura, tantum fuit conditionata: ſi perſeveraverit in vera fide. Nam Azarias 2 Paralip. cap. 15, & Daniel cap. 9 prædixerunt futuram defectionem ſacrificii, & legis. Hinc Apoſtolus ad Rom. 11 v. 20 ait: *Propter incredulitatem fracti ſunt; tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time.* Conf. Vera Eccleſia defecit in Adamo, & Eva, quando peccarunt, tempore diluvii, & vituli aurei

rei a Judæis adorati ; item tempore Judicum poſt obitum Joſue. Reſp. Neg. Ant. Chriſtus nullam conditionem appoſuit, & per ſe abſurdum eſt dicere, quod Chriſtus ſolum promiſerit Eccleſiam fore perpetuo fidelem, ſi ſemper perſiſtat in fide ; hoc enim per ſe eſt clarum. Azarias, & Daniel locuti ſunt de defectione, vel potius mutatione legis Moſaicæ in legem Chriſti, S. Paulus de ſingulis fidelibus in particulari. Ad Conf. Adamus, & Eva non peccarunt contra fidem, ſed contra obedientiam Deo debitam : tempore diluvii vera Eccleſia fuit quidem exigua, non tamen omnes a Deo defecerunt : quando Judæi adoraverunt vitulum, fidelis perſtitit Moyſes, & tribus Levi : tempore Judicum multi adhuc in vera fide perſtiterunt, alias vera Eccleſia ne quidem inviſibiliter in mundo amplius exſtitiſſet, quod nolunt adverſarii. Adde quod ſynagogæ, & multo magis primis parentibus pro brevi illo tempore non tam clare promiſſa fuerit perpetuitas in vera fide, præſertim cum etiam extra ſynagogam ſalus obtineri potuerit, & in primis parentibus Eccleſia primum fuerit inchoata.

Dices 3. Tempore Achab 3 Reg. cap. 19 229
Elias conqueritur, quod omnes Prophetæ occiſi ſint gladio, & ipſe derelictus ſit ſolus : tempore Manaſſis, & Achaz cultus idolorum usque in templum Jeroſolymitanum irrepſit : tempore captivitatis Babylonicæ nullum erat ſacrificium, & Jeremias cap. 3 ſcribit, Iſrael, & Judam defeciſſe : denique tempore nativitatis, & mortis Chriſti, nulla erat vera Eccleſia. Reſp. His, & ſimilibus exemplis ſolum probari, quod Eccleſia poſſit deficere magnam partem, non vero quod unquam penitus extincta ſit. Nam 1 tempore Achab to-

tum regnum Juda fidele permanfit, & in ipſo regno Iſrael permanſerunt ſeptem millia virorum, qui idolum non adoraverant, ut loc. cit. ipſe Deus Eliæ lamentanti teſtatus eſt. 2. Nusquam legimus, quod Achaz, & Manaſſes libertatem adorandi verum Deum Judæis ademerit, qui ſua ſacrificia tunc vel in templo, vel etiam in aliis locis Deo offerre poterant, uti fecerunt Gedeon, Elias, Eliſæus &c. 3. Tempore captivitatis Babylonicæ multi Judæi in fide perſtiterunt, licet templo, & ſolennibus ſacrificiis carerent; Jeremias autem debet intelligi de multis, cum juxta morem Scripturæ ſæpe tribuatur omnibus, quod plurimis convenit. 4. Tempore nativitatis, imo etiam mortis Chriſti adhuc ſacra erat Religio Judaica, & mox dabantur aliqui, qui Chriſtum verum Deum cognoverunt, neque Apoſtoli ab illo defecerunt, quamvis fuerint adhuc rudes, & puſillanimes, ut alibi jam adverti. Apoſtolis addi poſſunt Nicodemus, Joſephus ab Arimathea, piæ mulieres, & præcipue fideliſſima Chriſti Mater.

230 Obj 2. Ex una parte non poteſt oſtendi, quod temporibus Apoſtolorum omnia ſint credita, & obſervata, quæ hodie Romana Eccleſia fidem, & mores præſcribit: ex altera altera parte non eſt neceſſe determinare tempus, locum, &c. defectionis; nam inimicus ſuperſeminavit zizania hominibus dormientibus; imo Lutherus ait, hanc defectionem incepiſſe ſæculo VII poſt Gregorium Magnum, & Calvinus ad initium ſæculi V ſub Leone Magno: ergo non probatur, quod Eccleſia Romana ſit Apoſtolica. Conf. Abuſus in Eccleſiam non ſimul, ſed ſucceſſive fuerunt invecti: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. quoad 1 membrum,

brum, cujus falſitas oſtenditur in quæſtionibus particularibus, Neg. quoad 2. Cum Eccleſia catholica fuerit aliquando Apoſtolica, manet in poſſeſſione antiquiſſimæ ſuæ doctrinæ, donec poſitive oſtendatur, quod a fide Apoſtolorum defecerit; hoc autem nunquam fiet, niſi locus, modus &c. defectionis oſtendatur, quod quidem facere conati ſunt Lutherus, & Calvinus, at nuda aſſertione ſine fundamento. Porro quando inimicus homo ſuperſeminavit zizania, ideo non fuit deletum omne triticum. Ad Conf. Neg. Ant. Errores circa res graviſſimas fidei non potuerunt ita in totam Eccleſiam irrepere, ut non ſaltem eorum incrementa debuiſſent adverti. Sic licet Lutherus falſa ſua dogmata ſucceſſive ſparſerit, incipiendo ab indulgentiis, ſciuntur tamen errores, auctor, locus, tempus &c.

Dices 1. Pontifices, & concilia in Eccle- 231
ſiam multas invexerunt novitates circa miſſam, purgatorium, invocationem Sanctorum, confeſſionem auricularem &c.: ergo non amplius eſt Apoſtolica. Conf. Eccleſia Romana ſuſcitavit antiquas hæreſes e. g. cum Ebionitis præter fidem requirit bona opera, cum Donatiſtis gloriatur, nullam extra ſe eſſe veram Eccleſiam, Diſcalceatorum hæreſin aſſumit in Franciſcanis, & Capucinis, cum Mirabilariis jactat varia miracula, raptus, viſiones. Reſp. Diſt. Ant. Invexerunt novitates in ritibus, Tranſ. Ant. in dogmatis, Subdiſt. declarando, & explicite definiendo ea, quæ prius tantum continebantur implicite in verbo Dei ſcripto, vel tradito, Conc. Ant. contraria dogmata ſtatuendo, vel priora abolendo, Neg. Ant. hoc enim nunquam oſtendent ſectarii, utut multa fingant, & falſa ſpargant. Ad Conf. Neg. Ant. Ebionitæ requirebant opera legis Moſaicæ.

cæ. Donatistæ jactabant Ecclesiam suam novam, & angularem esse veram, & Apostolicam. Discalceati contendebant, ab orantibus necessario implendum esse præceptum Exodi 3 v. 5 datum Moysi: *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Mirabilarii nunquam constituerunt sectam aliquam specialem, sed S. Augustinus per contemptum ita nominabat Donatistas ob ficta quædam miracula, & exoticas visiones; negare autem omnia miracula, visiones, & prophetias est negare Scripturam, in qua multa ejusmodi referuntur.

232 Dices 2. Saltem non potest ostendi, quod in Ecclesia Romana fuerit legitima successio pastorum, etiam summorum Pontificum. Sic non certo constat, an D. Petro successerit Linus, vel Clemens: aliqui pro successore Clementis statuunt Anacletum, quem alii confundunt cum Cleto Clementis antecessore. Aliqui sæculo III post Pontianum ponunt Cyriacum, alii Antherum. Aliqui omnino quosdam tacent, quos alii numerant. Conf. Pontifices Romani eliguntur a Cardinalibus: ergo merito dubitatur, an successio sit legitima. Resp. Neg. Ant. Præsertim quoad successionem summorum Pontificum; quamvis enim quoad reliquos pastores particulares fuisset interrupta, nobis nihil obesset, quia rursus novi a summo Pontifice mitti potuerunt; hinc SS. Patres præcipue soliciti sunt de successione pastoris universalis, ut videri potest in S. Irenæo, Optato, Augustino, Epiphanio, & Eusebio Cæsariensi. Pariter nihil officit auctorum varietas circa immediatum successorem D. Petri, quia nihilominus conveniunt, aliquem eidem immediate successisse. Communis sententia, cui etiam favet Canon Missæ, est Petro successisse Li-

Linum, Lino Cletum, Cleto Clementem. Cyriacum pauci, & sine gravi fundamento post Pontianum ponunt; antiquiores vero de illo nullam mentionem faciunt. Alii a quibusdam fuere omissi ob regimen nimis breve, uti Bonifacius VI sæculo IX. Ad Conf. Quamvis Papa ab hominibus eligatur, vocatio tamen, & ordinatio est ab institutione divina, præsertim si accedat acceptatio universalis Ecclesiæ.

Dices 3. Sedes pontificia sæpe vacat, & 233
aliquando vacavit per duos annos. 2. Sæpius fuerunt schismata, in quibus incertum erat, quisnam sit legitimus Pontifex. 3. Aliqui ut Silvester II, & Bonifacius VIII per simoniam, & fraudem fuerunt intrusi. 4. Quando Pontifices Avenione in Gallia sedem tenuerunt, 70 annis nullus omnino fuit Romanus Episcopus. Resp. Cum Pontifices non sint immortales, sedes pontificia debet aliquando vacare; moraliter autem perpetuitas successionis non interrumpitur, etsi aliquando per accidens tempore longiore vacet; interim ipsa sedes semper perseverat, & Ecclesia interea a cæteris pastoribus gubernatur. 2. Tempore schismatum raro fit, ut ignoretur, quisnam Pontifex a majore Ecclesiæ parte sit acceptatus, si tamen contingit, sedes quoad nos se habet per modum vacantis, & jurisdictio ad Cardinales vel alios Episcopos pertinet. 3. Idem est, quando Pontifex est intrusus, donec acceptatio Ecclesiæ vitium primæ electionis emendet. 4. Sicut mutatio residentiæ Imperatoris, aut Principis non mutat potestatem, aut munus, nec legitimam successionem interrumpit, sic Romanus Pontifex ubicunque sedem figat, est, & manet Romanus Pontifex; hinc natum illud: Ubi Papa, ibi Roma. Cæterum multa de

de vitiis Romanorum Pontificum præcise finguntur, aut exaggerantur a sectariis.

234 Obj. 3. Quamvis aliæ sectæ e. g. Lutherana, Calviniana &c. non habeant continuam successionem doctrinæ Apostolicæ sub nomine Ecclesiæ Lutheranæ Calvinianæ &c. habent tamen illam sub nomine Ecclesiæ Christianæ: ergo sunt Apostolicæ. Ant. Prob. Multi, qui in Papatu fuerunt, non fuerunt de Papatu, sed de communitate Lutherana, vel Calviniana: ergo. Conf. Multa dantur, quæ ignorantur: ergo ex eo, quod nesciatur, ubi ante Lutherum fuerit Ecclesia Lutherana, non licet inferre, eam nullibi fuisse, præsertim quia non est necesse fidem semper exterius profiteri. Resp. Neg. Ant. quod æqualiter servit omnibus sectariis. Ad Prob. iterum Neg. Ant. Quinam enim, & ubi fuerunt illi multi, quo fundamento dici potest, illos, qui exterius doctrinam catholicam professi sunt, in corde aliter sensisse, & quidem determinate e. g. cum Lutheranis. Profecto illa Ecclesia, quæ ante Lutheri defectionem dicebatur christiana, & Apostolica, longe aliter credidit, & docuit, quam modo Lutherana; atqui hæc alia non esse potuit, quam Romano-Catholica. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Nostra probatio non est pure negativa, neque existentia totius veræ Ecclesiæ unquam ignorari potuit, cum omnes ad illam amplectendam obstringamur. Porro quamvis fidem quandoque exterius liceat dissimulare, nunquam licet simulare, ac profiteri Religionem falsam communicando cum infidelibus in actibus Religionis.

235 Dices 1. Doctrina Ecclesiæ Lutheranæ semper viguit in infantibus baptizatis. 2. In rudibus, & simplicibus. 3. In morientibus, qui

qui errorem ſuum in agone agnoſcentes, totam ſpem ſuam non in ſuis, ſed Chriſti meritis poſuerunt. Conf. Semper fuerunt aliqui, qui ſe oppoſuerunt Papæ, & fundamentales articulos Lutheraniſmi tenuerunt, uti Eccleſia Græca, Waldenſes, Huſſitæ. Reſp. Neg. Ant. In vera Eccleſia ſemper debet eſſe fides actualis, item legitimi paſtores, ac pura divini verbi prædicatio, an forte hæc omnia ſemper dabantur in infantibus? 2. Rudes, & ſimplices crediderunt illa, quæ a ſuis paſtoribus audierunt. Quis autem præco Lutheranus ante Lutherum illos inſtruxit? 3. Si morientes ex humilitate in ſolis meritis Chriſti ſpem ſuam ponunt, nihil agunt contra Doctrinam Eccleſiæ, multo minus moriuntur morte Lutheranorum. Ad Conf. Nulla ex omnibus reliquis ſectis cum Lutherana in omnibus articulis etiam præcipuis convenit, ut demonſtrant Polemici. Quod ſi aliqua conveniret, hoc ipſo non ſequeretur, doctrinam Lutheri minus eſſe hæreticam. Dein ubi ergo ante Huſſitas, & Waldenſes fuit Eccleſia Lutherana? An Eccleſia ideo ceſſavit eſſe ſponſa Chriſti, quia habuit rebelles filios, hæreticos, & ſchismaticos?

Dices 2. Sectam Lutheri, & Calvini mul- 236
ti amplexi ſunt presbyteri, & tales erant ipſe Lutherus, & Calvinus: ergo jam habetur legitima ſucceſſio paſtorum; nam Epiſcopus non differt a presbytero; hinc S. Hieronymus epiſt. 85 ad Evagrium, & commentar. in epiſt. Pauli ad Tit. cap. 1 ait: *Quid facit Epiſcopus, quod presbyter non faciat?* Conf. Vocatio, & electio paſtorum fit legitime a populo, & Magiſtratu civili. Sic S. Ambroſius in Epiſcopum fuit electus a populo Mediolanenſi, & Imperatore, & Leo VIII Othoni I, ejusque

ſuæ-

successoribus dedit potestatem eligendi summum Pontificem, ut refert Gratianus can. 23 in synodo distinct. 63. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Tota orthodoxa antiquitas semper agnovit discrimen inter Episcopos, & presbyteros, licet isti aliquando vocati fuerint Episcopi propter quamdam muneris participationem; hinc oppositam sententiam Aerii inter hæreses numeravit S. Epiphanius de hæres. hæresi 75, & S. Augustinus hæresi 53. Textus S. Ambrosii est truncatus: quippe addit *excepta ordinatione*, simulque addere potuisset: & jurisdictione majore. Ad Conf. Omitt. Ant. Neg. Cons. Legitima vocatio ad munus pastorale non consistit in sola electione, sed accedere debet ordinatio, & jurisdictio spiritualis, quam sola Ecclesia potest concedere, imo electio populi potius fuit aliqua nominatio & præsentatio, quam electio proprie dicta, ac canonica.

237 Dices 3. Vocatio ministrorum non semper debet esse ordinaria, & facta per homines a Christo potestatem habentes, sed Deus potest, & nonnunquam actu aliquem vocat per se vocatione extraordinaria; atqui tali vocatione vocatus est Lutherus, & Calvinus: ergo. Conf. Ante reformationem Lutheri, & Calvini adeo corruptus fuerat status Ecclesiæ, ut quivis habuerit jus, imo debuerit illam reformare: ergo. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Quando Deus aliquem vocat vocatione extraordinaria, illum instruit singularibus vocationis suæ notis, & simul non permittit, ut aliquid contra universæ Ecclesiæ doctrinam proponat; quomodo jam sectarii probant Lutherum, Calvinum similesque alios talibus notis fuisse instructos. An forte ex abjecto habitu monachali, & incestis nuptiis Lutheri cum mo-

moniali? aut ex infami ftigmate, quod Calvino ob fodomiam in Galliis inuftum eft? Ad Conf. Neg. Ant. Cum tota Ecclefia nunquam deficere, aut corrumpi poffit, falfiffimum eft, ftatum Ecclefiæ ita fuiffe illis temporibus corruptum, ut non remanferit locus vocationi ordinariæ. Dein hoc telum rurfus omnes cujuscunque fectæ hæretici arripere poffent. Denique quomodo Lutherani probant fe in fua reformatione non fuiffe deceptos? cæterum quamvis novatores Epifcopi fuiffent, tamen poft interruptionem per mille annos factam non potuiffent in munere paftorali Apoftolis fuccedere.

Obj. 4. Noftra fententia fupponit, quod vera Ecclefia femper debeat effe vifibilis; fed hoc eft falfum; nam in Scriptura comparatur thefauro abfcondito, regno Dei, quod eft intra nos, lunæ fæpius invifibili, mulieri fugienti in folitudinem. Conf. Ecclefia tempore diluvii latuit in arca Noe, & tempore Eliæ non videbantur actu feptem millia virorum, qui non adorarunt Baal. Refp. Conc. Maj. Neg. min. Ecclefia comparatur thefauro abfcondito, quia inventa ditat, & delectat, ficut thefaurus inventus. Eft regnum Dei intra nos quoad fidem internam, & dona fpiritualia, non vero quoad externam fidei profeffionem. Eft luna, quatenus habet lumen fanctitatis & doctrinæ a Chrifto, ficut luna a fole. Erit tempore Antichrifti quafi mulier fugiens, quia plurimi fideles fe tunc abfcondent, quamvis non defuturi fint, qui fortiter tyranno refiftent, & pro veritate vitam dabunt. Ad Conf. Iis, qui in arca Noe fuerunt, utique Ecclefia erat vifibilis; extra arcam autem nemo dabatur, qui poffet illam cognofcere: feptem millia virorum non quidem ab Elia, attamen ab aliis vi- 238

ſa ſunt, & eodem tempore Eccleſia vera fuit viſibilis in tota Judæa.

239 Dices 1. Forma Eccleſiæ juxta multos Catholicos conſiſtit in vera fide interna; ſed hæc non eſt viſibilis: ergo. Conf. Eccleſia conſtat ex ſolis juſtis; alias non eſſet ſancta, immaculata, non habens rugam. Imo conſtat ex ſolis prædeſtinatis; eſt enim ovile ovium, non hircorum ſtabulum; oves autem Chriſti juxta S. Joan. cap. 10 ſunt ſoli prædeſtinati. Reſp. Diſt. Maj. Forma inadæquata conſiſtit in fide interna, Conc. Maj. adæquata, Neg. Maj. ſed hæc etiam involvit externam fidei profeſſionem. Nec obſtat, quod fides interna ſit pars nobilior; nam denominatio inviſibilis eſt negativa, & viſibilitas Eccleſiæ ex natura rei, & intentione Chriſti exigitur. Porro argumentum ſimile eſt huic: forma hominis eſt anima; ſed anima eſt inviſibilis: ergo. Ad Conf. Neg. Ant. Eccleſia dicitur ſancta, immaculata &c.; tum ob ſanctitatem doctrinæ, legum, & præcipuorum illius membrorum, tum etiam ob ſtatum, quem habebit triumphans in cælis. Nomen ovium in ſacris Scripturis ſæpe tribuitur etiam omnibus, qui quovis modo Eccleſiam conſtituunt, uti pſal. 73 v. 1: *Iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ*, & Joan. 21 v. 17: *Paſce oves meas.* Imo licet mali, & reprobi nunquam oves dicerentur, deberet Eccleſia adhuc dici ovile, tum quia denominatio fieri ſolet a principaliori, tum quia omnes, qui ſunt in Eccleſia, ex intentione Chriſti deberent oves eſſe.

240 Dices 2. Eccleſia, de qua hic loquimur, eſt militans; hæc autem eſt corpus ſpirituale, & ſicut præcipuus ejus cultus ſpiritualis eſt, ita etiam militia, quam cum dæmonibus exercet; hinc Pſalm. 44 v. 14 dicitur: *Omnis glo-*

ria

ria ejus ab intus, & Joan. 4 v. 23: *Veros adoratores oportet adorare in ſpiritu, & veritate.* Conf. Quod creditur, non videtur; ſed vera Eccleſia creditur, ut patet ex articulo IX ſymboli Apoſtolici: ergo. Reſp. Quamvis Eccleſia ſit corpus ſpirituale, quatenus vitam habet a Chriſto per gratiam ſanctificantem, & præcipui fidelium actus ſpirituales ſint, ſimul tamen habet membra viſibilia, externam profeſſionem, miniſtros, Sacramenta &c. Porro Scriptura non ſemper de illa loquitur, prout eſt cœtus fidelium, ſed quandoque de lege gratiæ, quæ eſt interna, quandoque de ſolo cultu Eccleſiæ præcipuo, qui utique eſt in Spiritu, & veritate, quin ideo excludatur cultus externus. Quandoque potius ſermo eſt de Eccleſia triumphante. Ad Conf. Diſt. Maj. Quod creditur, non videtur ſub eadem ratione, ſub qua creditur, Tranſ. Maj. ſub alia ratione, Neg. Maj. Eccleſia a nobis videtur, quatenus eſt cœtus fidelium, quod autem iſte cœtus hominum ſit vera Chriſti Eccleſia non videmus, ſed credimus, ferme ſicut videmus Baptiſmum, quatenus eſt ablutio externa, in quantum autem eſt Sacramentum, illum credimus.

DISPUTATIO IV.

De ſacra Scriptura.

PEr ſacram Scripturam intelliguntur certi quidam libri Deo revelante, vel ſaltem inſpirante & ſpecialiter aſſiſtente conſcripti. Communiter vocari ſolent biblia, aut verbum Dei ſcriptum, & a S. Gregorio epiſt. 40 ad Theodoret. non male comparantur decreto, aut epiſtolæ Principis, quæ triplici modo ſcribi po- 241

 teſt

test. 1. Si ipse scribat manu propria. 2. Si illam dictet de verbo ad verbum. 3. Si illam scribi jubeat suo nomine, suamque auctoritatem eidem impertiat, ac simul caveat, ne contra suam mentem aliquid immisceatur, licet ipsam electionem verborum, & compositionem suis secretariis relinquat. Si vero Princeps tantum juberet, ut secretarius non suo, id est Principis, sed secretarii nomine scribat, dicunt talem epistolam non fore scriptum, aut verbum Principis stricte dictum, licet Principis voluntatem significet, & Princeps eam epistolam prius legerit, atque sic impedierit, ne quid falsi misceatur, quod etiam ex eo colligitur, quia si tribus primis modis epistola scribitur, præfigitur hoc vel ejusmodi initium: *Nos Dei gratia volumus, jubemus &c.*; si vero quarto modo scribatur, ita ponitur: *Princeps jubet, vult &c.*

QUÆSTIO I.

An detur sacra Scriptura?

242 LIbertini auctore Coppino, & Quintino exorti S. Scripturam tanquam fabulam contemnebant. Eandem tanquam litteram occidentem respuit Gaspar Schwenckfeldius cum suis sectatoribus. Hunc ipsum errorem Joan. Calvinus initio instructionis adversus Anabaptistas, & Martin. Lutherus in libro de conciliis Romano Pontifici totique Ecclesiæ catholicæ impudentissimo mendacio adscribere non sunt veriti. Alii, ut S. Hieronymus Proœm. epist. ad Philem. & in caput 5 Micheæ refert, existimabant, Scriptores canonicos errare quidem non potuisse in rebus magnis, & ad salutem necessariis, potuisse nihilominus errare in

in rebus minoris momenti ad materiam fidei, & bonos mores parum conducentibus.

Dicendum. Datur Scriptura sacra, eaque est vere divina. Prob. Religio christiana catholica est evidenter credibilis, & saltem moraliter certa: ergo præcipua ejus dogmata sunt evidenter credibilia, & saltem moraliter certa; atqui inter hæc ferme præcipuum, ex quo cætera probari solent, est, quod detur S. Scriptura, quæ sit verbum ipsius Dei; ita enim omni retro tempore crediderunt non solum Judæi, sed etiam omnes Christiani exceptis pauculis hæreticis. Conf. Ex una parte doctrina in sacris libris contenta est valde sublimis, pura, & sancta, plurimaque in iis continentur mysteria, ac vaticinia, quæ non nisi Deo revelante scribi potuissent: ex altera parte pro eorum confirmatione multa patrata sunt miracula, ut narrat Eusebius lib. 8 Præpar. Evang. cap. 1, eosque tanquam divinos præter complures Martyres agnoverunt omnes SS. Patres, quorum verba in re manifesta afferre superfluum foret. 243

Colliges. Quod omnia etiam minima, quæ a sacris Scriptoribus affirmantur, sint infallibiliter vera. Nam Deus juxta unanimem consensum omnium Catholicorum, & ferme omnium hæreticorum est auctor totius S. Scripturæ; si igitur aliquid falsitatis in illa contineretur, id totum non tam scriptori sacro, quam ipsi Deo velut causæ, & auctori esset adscribendum, quod non minus repugnat infinitæ ipsius veridicentiæ, quam esse auctorem peccati infinitæ sanctitati. Hinc S. Hieronymus epist. 101 ad Pamach. contrariam opinionem vocat *impiam*; S. Augustinus lib. 2 de consens. Evangelist. cap. 12 ait: *Omnem falsitatem ab* 244

Evangelistis abesse decet, etiam quæ obliviscendo promitur. S. Chrysostomus Homil. 1 ad popul. Antioch.: *Etiam minima in Scriptura esse de gratia Spiritus*; Christus ipse Matth. 5 v. 18: *Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Profecto si sacri Scriptores in aliquibus potuissent fallere, aut falli, ferme tota Scripturæ corrueret auctoritas, & facile etiam res magnæ in dubium trahi possent.

Objectiones.

245 OBj. 1. Ex una parte Deus Ecclesiam potuit gubernare sine omni Scriptura, ut fecit tempore legis naturæ: ex altera parte juxta Apostolum 2 ad Cor. 3 v. 6: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*: ergo. Conf. S. Augustinus contra epist. fundament. cap. 5 ait: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ auctoritas me moveret.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quamvis absolute loquendo Deus Ecclesiam sine S. Scriptura gubernare potuisset, non tamen voluit, & postquam in lege veteri Hebræorum, & nova Christianorum longe plures regulæ fidei, & morum datæ sunt, valde congruum, & utile fuit, ut memoriæ, & oblivioni humanæ per verbum Dei scriptum consuleretur. S. Paulus per litteram intelligit legem antiquam, aitque illam occidisse per accidens, quatenus præcepta imposuit hominibus, quin per se ipsis contulerit gratiam ad ea servanda; per Spiritum autem intelligit legem novam, quæ est lex gratiæ, & charitatis per Spiritum sanctum diffusæ in cordibus nostris. Ad Conf. S. Augustinus solum indicat, quod non satis nobis constaret, an hic, vel ille liber sit

ſit Scriptura ſacra, niſi nos doceret auctoritas Eccleſiæ.

Obj. 2. Scriptura continet multas Antilogias, multaque narrat prorſus incredibilia: ut Evæ colloquium cum ſerpente, Balaami cum aſina &c.: ergo. Conf. Textus Scripturæ ſæpe eſt valde æquivocus, & patitur diverſos ſenſus etiam contrarios: ergo. Reſp. Diſt. Ant. continet multas antilogias apparenter tales, Conc. Ant. vere tales, Neg. Ant. Contrarium oſtendit S. Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum, Bellarminus de verbo Dei, aliique Scripturiſtæ; ſingulas autem apparentes contradictiones in particulari exponere, non eſt hujus loci. Interim neutiquam incredibilia ſunt, quæ in Bibliis narrantur, ſi intellectum in obſequium divinæ auctoritatis captivare, & facta non ſolum ſecundum vires naturæ, ſed juxta infinitam Dei potentiam metiri velimus. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quando textus Scripturæ habet plures ſenſus, nulla in illis datur æquivocatio, aut contrarietas, ſed omnes ſunt veri. Si vero ſenſus eſt dubius, vel ex contextu, vel expoſitione Patrum, & Eccleſiæ genuina ſignificatio debet colligi. 246

Obj. 3. Multa ſunt in Scriptura, quæ adverſantur bonis moribus, & Deo tribui non poſſunt. Sic S. Paulus Act. 23 v. 3 ſummum Pontificem per convicium vocavit *Parietem dealbatum*. David ſuis pſalmis præſertim 108 horrendas immiſcuit imprecationes: Ezechiel 20 v. 25 de Deo dicitur, quod dederit *Præcepta non bona*. Chriſtus Matth. 5 v. 43 dixiſſe fertur: *Dictum eſt, odio habebis inimicum tuum*. Conf. Multæ circumſtantiæ, quæ in Scriptura referuntur, ſunt incertæ, leves, & inutiles e. g., quod Paulus penulam ſuam re- 247

 li-

liquerit Troade apud Carpum. Resp. Dist. Ant. Quæ Deo tribui non possunt, tanquam auctori, ut fierent, Conc. Ant. tanquam auctori, ut scriberentur, Neg. Ant. S. Paulus ad summum Pontificem, quem tamen non noverat, locutus est ex sua determinatione, non ex instinctu divino. Imprecationes Davidis juxta S. Augustinum in Psalm. 108 non fuerunt desideria vindictæ, sed vaticinia pœnarum a Deo infligendarum, imo in Psalmo 108 potius videtur narrare imprecationes ab inimicis sibi factas. Ezechiel juxta S. Hieronymum in textum objectum loquitur de lege ab inimicis, & hostibus Deo permittente Judæis imposita. Christus non asseruit odio habendum fuisse inimicum ex præcepto legis, sed ex mala interpretatione Judæorum, ut advertit S. Thomas in 3 dist. 30 q. 1 a 1. Ad Conf. Sicut Deum non dedecet, quod præter majora etiam produxerit viles quasdam creaturas, ita non dedecet, quod rebus gravioris momenti addat circumstantias leviores, quæ multum conferre possunt ad nostram instructionem, & narrationis ornatum, vel ingenuitatem. Quod si non addantur, tantum sunt incertæ, quatenus non sunt determinatæ.

248 Obj. 4. In Scriptura non omnia sunt vera, & tres amici Job multa insipienter, & falsa locuti sunt, ut ipse Deus Jobi ult. declarat. Conf. S. Matthæus cap. 27 pro Zacharia citavit Jeremiam, S. Marcus cap. 1 loco Malachiæ Isaiam. S. Judas librum Enoch tanquam propheticum, qui tamen a Gelasio Papa rejicitur ut apocryphus. Resp. Dist. Ant. non omnia sunt vera, quæ a sacris Scriptoribus asseruntur, Neg. Ant. quæ tantum referuntur ut

ut dicta ab aliis, Conc. Ant. Quando Scriptores sacri referunt aliorum dicta, attendendum est, utrum illos inducant tanquam loquentes ex instinctu Spiritus sancti, vel tantum ex spiritu humano. Si primum, in talibus dictis nullus error, aut falsitas potest admitti, ut quando S. Joannes dicitur testimonium de Christo perhibuisse. Si secundum non repugnat ejusmodi dicta esse falsa, & erronea, uti contigit, apud amicos Jobi. Neque ideo errat, aut falsum dicit Scriptura, utpote quæ hæc dicta tantum materialiter recenset. Ad Conf. S. Hieronymus judicat citationem Jeremiæ errore librarii in Matthæum irrepsisse, & in antiquis codicibus Græcis apud Marcum non legitur, *Ut scriptum est in Isaia*, sed *in Prophetis*. At Cardinalis Gotti de verit. Relig. tom. 3 cap. 20 §. 2 ex S. Augustino respondet, testimonium Matthæi simul ex Jeremiæ & Zachariæ vaticinio conflatum esse; solius autem Jeremiæ mentionem fieri, quia apud illum sublimius præfiguratur reditus Judæorum ad Ecclesiam Christi. Simili modo testimonium S. Marci partim ex Isaia, partim ex Malachia desumptum est; S. Judas vero non citat librum, sed prophetiam Enoch, quam vel ex veteri traditione, vel ex nova inspiratione didicit.

Dices. S. Augustinus lib. 3 de consens. 249
Evang. errorem S. Matthæi adscribit defectui memoriæ. S. Hieronymus in cap. 3 Mich. ait: *Sunt, qui asserant in omnibus pene testimoniis, quæ ex veteri testamento sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut ordo mutetur, aut verba, aut sensus*; in epist. vero ad Parmen. postquam retulit verba: *Ego mitto Angelum meum*, quæ a S. Marco videntur tribui Isaiæ, sed in Isaia non reperiuntur, addit: *Solvat*

 hanc

hanc quæstionem imperita præsumptio, & ego erroris veniam deprecabor. Conf. S. Matthæus cap. 23 v. 35 ait: Zachariam fuisse filium Barachiæ; atqui juxta S. Hieronymum lib. 4 comment. in hunc locum, ille Zacharias non fuit filius Barachiæ, sed Jojadæ. Resp. S. Augustinus contra infideles solum contendit, Evangelistas non fuisse mentitos, sed si errassent, id potuisse fieri ex defectu memoriæ, quod tamen nunquam factum fuisse, sæpe affirmat. Pariter S. Hieronymus in primo textu non loquitur assertive, sed tantum refert opinionem aliorum, quam nunquam facit suam. In altero textu ipsemet supponit, divum Marcum quoad substantiam non errasse; quippe hoc ipso textu utitur tanquam exemplo, ut contra suæ versionis calumniatores demonstret, magis attendendum esse ad mentem scriptoris, quam ad verba. Ad Conf. S. Hieronymus hic rursus tantum proponit dubium, & varias circa hunc locum affert explicationes, ac tandem concludit, Barachiam, ac Jojadam unum, eundemque esse; nam *Barachia lingua nostra benedictus domini dicitur, & Sacerdotis Jojadæ justitia Hebræo nomine demonstratur.*

QUÆSTIO II.

An S. Scriptura a Deo fuerit Auctoribus sacris revelata, aut saltem inspirata?

250 IN S. Scriptura tria distinguenda sunt, scilicet sensus, sive res verbis expressa, ipsa verba, & stylus; tres itidem in Scriptoribus sacris divinæ operationes, revelatio, inspiratio, & specialis directio, seu assistentia. Revelatio proprie est rei prius ignotæ divi-ni-

nitus facta manifestatio. Ita Scriptoribus sacris manifestatæ sunt prophetiæ, & arcana fidei mysteria, quæ aliunde cognoscere non potuerunt. Inspiratio, est incitatio quædam interior, qua Deus volens hominibus manifestare mentem suam scriptores sacros tanquam instrumenta movet ad scribendum, & ad selectum eorum, quæ vult, ut ab ipsis scribantur. Ita scripsisse videntur historias, & facta, quæ ipsis aliunde erant nota, ut adeo nulla revelatione proprie dicta opus fuerit. Specialis directio est singulare divini Spiritus auxilium, quo fit, ut scriptor nihil uspiam falsi miscere possit, esto, quod verba, & verborum compositio ipsius genio, & indoli, permissa fuerit.

Dicendum. Tota Scriptura a Deo fuit 251
revelata, aut inspirata saltem quoad sensum. Prob. 1. Tota S. Scriptura est verbum, & locutio ipsius Dei, ut patet ex quæstione præcedente; atqui non esset verbum, & locutio Dei, nisi a Deo esset revelata, vel saltem inspirata, eoque specialiter assistente conscripta. Neque enim liber aliquis fit verbum divinum præcise per hoc, quod Deus ad illum scribendum concurrat concursu mere generali, aut de illo testetur, quod nullum errorem contineat, sed insuper requiritur, ut Deus scriptorem ad illum exarandum excitet, eundem velit habere pro suo, eique propriam auctoritatem impertiat. Quemadmodum num. 241 declaravi exemplo decreti Principis. Ex quo ulterius colligitur, ad verbum divinum non esse determinate necessarium, ut scriptori reveletur, sed etiam sufficere, modo Deus velit, ut suo nomine, & auctoritate scribatur, nec aliquid contra suam mentem

tem immiſceatur, etſi electio verborum, & ſtylus permittatur ipſi ſcriptori.

252 Probatur concluſio 2 ſpecialiter contra illos, qui fatentur Scripturam eſſe verbum Dei. Epiſt. 2 Petri cap. 1 v. 20 dicitur: *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*: ergo tota Scriptura fuit ſcripta Deo revelante, aut ſaltem inſpirante, & ſpecialiter aſſiſtente; quippe teſte Joſepho lib. 1 contra Philonem per prophetiam a Judæis intelligitur omnis Scriptura ſacra, & per Prophetam omnis vir, qui ex inſpiratione divina ſive futura, ſive præterita, aut præſentia narravit. In eundem ſenſum Apoſtolus 2 ad Timoth. 3 v. 16 ait: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum &c.* Ubi loquitur de omni illa Scriptura, quam Timotheus ab infantia legit; legit autem non ſolum prophetias, ſed vel maxime etiam hiſtorias, morum præcepta &c. Conf. Auctoritate Patrum. Irenæus lib. 2 adverſus hæreſes, cap. 47 ait: *Scripturæ quidem perfectæ ſunt; quippe ex verbo Dei, & Spiritu ejus dictæ*: S. Ambroſius epiſtola ad Marcell.; *Omnis quidem apud nos ſive nova, ſive vetus Scriptura Numinis afflatu prodiit.* Similia habent S. Baſilius, Chryſoſtomus, Damaſcenus, & Tertullianus apud P. Simonet tract. 9 de regulis fidei artic. 9.

Objectiones.

253 OBj. 1. Liber ab auctore profano conſcriptus, & poſtea a Deo approbatus eſſet æque infallibilis, acſi nomine Dei loquentis conſcriptus fuiſſet: ergo proprie eſſet verbum Dei, licet Deus illud non revelaſſet, aut inſpiraſſet.

Conf.

Conf. Posset Deus librum profani auctoris ita approbare, ut illum vellet in posterum haberi pro suo, ferme sicut Imperatores multas leges a Jurisconsultis factas pro suis agnoverunt: ergo. Resp. Dist. Ant. Esset æque infallibilis, & ex eadem causa, Neg. Ant. ex diversa causa, Conc. Ant. & Neg. Cons. In libro ita a Deo approbato causa infallibilitatis esset revelatio, & veracitas Dei testificantis: in sacra Scriptura veracitas Dei loquentis, quæ duæ veracitates licet in recto sint eædem, in obliquo tamen & suis effectibus distinguuntur. Ad Conf. dico. In hoc casu librum auctoris profani fore quidem verbum Dei adoptatum, sed non originale, & a Deo prolatum, quod tamen ad verbum Dei proprie tale requiritur, ut advertit S. Thomas in 1 dist. 27. q. 2 a 2. Idem dic de legibus, quas Imperatores ex juris consultorum scriptis adoptarunt, nisi illas quasi de novo suo nomine ediderint.

Dices. Deus ipse in Scriptura verba ab 254
ethnicis prolata aliquoties assumpsit in verbum suum, uti illud Arati Poetæ: *Ipsius genus sumus*, & illud Menandri: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*: ergo. Conf. Juxta SS. Basilium, Ambrosium, & Origenem Auctores sacri non omnia scripserunt Spiritus sancti afflatu, sed quædam addiderunt de suo; de S. Paulo determinate dicit S. Chrysostomus Homil. 49 in cap. 23 Act. Apostol.: *Iterum humano modo differit, & non semper gratia fruitur, sed etiam permittitur a se ipso afferre.* Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Nam verba illa non sunt verba Dei, in quantum ab Ethnico scriptore provenerunt, aut tantum narrative referuntur, sed in quantum Deo inspirante, & ipsius nomine ab auctoribus sacris scripta fuerunt. Ad Conf. S. Basilius tantum vult, quod

quod auctores sacri aliqua scripserint ipsis jam aliunde nota sine revelatione: S. Ambrosius aliqua, quae Apostolus scripsit, non fuisse a Deo praecepta. Origenes nihil asserit, sed hanc opinionem tantum refert. S. Chrysostomus non agit de Scriptura canonica, sed de facto S. Pauli, quo Act. 23 adversus Sadducaeos, & Judaeos se defendit, aitque ibi non egisse ex instinctu divino.

255 Obj. 2. Si Scriptura a Deo fuisset inspirata, omnia praecepta in ea contenta essent praecepta divina, hoc est contra Apostolum, qui 1 ad Cor. 7, postquam v. 10 dixit: *Praecipio non ego, sed Dominus*, paucis aliis interjectis v. 12 ait: *Caeteris ego dico, non Dominus*; imo 2 ad Cor. 7 v. 8 fatetur, se poenitentia duci, quod aliqua scripserit, & cap. 11 v. 17, quod aliqua scribat, ut minus sapiens. De eodem Apostolo S. Hieronymus in Psal. 81 ita habet: *Videte Paulum, qui soloecismos facit in loquendo, & totum orbem subegit.* Conf. Auctor libri Machabaeorum veniam petit erratorum: ergo. Resp. Neg. Maj. Haec duo valde diversa sunt, quod Paulus, vel alius Apostolus aliquid statuat lege humana, & quod statutum illud scribat spiritu mere humano sine inspiratione divina, posterius ex loco objecto non probatur, quin ipse Paulus ad finem capitis ait: *Puto, quod & ego Spiritum Dei habeam*; quando autem 2 ad Cor. 7 scripsit se poenitentia duci, poenitentiam accepit pro tristitia, qua fideles suos dolentes vidit. Minus sapientem se fatetur, quia personam quasi insipientis assumpsit se ipsum jactando, cum revera fuerit sapiens, idque fecerit coactus charitate; hinc cap. 12 v. 6 ait: *Si voluero gloriari, non ero insipiens.* Quod ex S. Hie-

Hieronymo additur, solum probat, Paulum erraſſe in lingua Græca, neque hoc illi nato Hebræo vitio verti poteſt. Ad Conf. Auctor libri Machabæorum non petit veniam ob errata circa veritatem rerum a ſe narratarum, ſed ob errata ſtyli, & orationis minus politæ.

Dices. Scriptores ſacri non agnoverunt ſe 256
ſcribere ex inſpiratione divina, & ipſimet quandoque ſenſum, ac rei ſcriptæ veritatem non ſatis ſciverunt, ut quando S. Joannes cap. 2 v. 6 de nuptiis Canæ dixit, hydrias cepiſſe metretas binas, vel ternas; & S. Lucas cap. 3 v. 23, quod Chriſtus fuerit incipiens, quaſi annorum 30. Conf. Si Scriptoribus ſacris omnia divinitus fuiſſent inſpirata, nullum eſſet diſcrimen inter ipſos, & Chriſtum. Reſp. Quamvis Scriptores ſacri divinam inſpirationem non cognoverint reflexe; & non ſemper omnem ſenſum a Spiritu ſancto intentum penetraverint; potuerunt nihilominus a Deo excitari exercite, & per ſpecialem aſſiſtentiam ab omni errore præſervari. Quod autem quandoque non omnes circumſtantias determinent, non ideo fit, quod de illis ſit dubium, ſed ut conſueto inter homines narrandi modo ſe accommodent. Sic ſenſus S. Joannis eſt ex hydriis alias tres, alias duas metretas cepiſſe, & ſenſus S. Lucæ, Chriſtum fuiſſe circiter 30 annorum. Ad Conf. Neg. ſequelam. Nam Chriſtus ex jure ob unionem hypoſtaticam ſibi debito ſemper, & pro ſemper ab omni errore fuit præſervatus; Scriptores ſacri ex puro Dei beneplacito, & ſolum tunc, quando ſcribebant nomine Dei.

Obj. 3. Auctores ſacri in ſcribendo ſæpe 257
pe debuerunt adhibere magnum laborem, ut præter alios fatetur auctor lib. 2 Machab. cap. 2: ergo non ſcripſerunt ex divina inſpiratione,

quæ

quæ homines ſolet extra ſe rapere, ut patet Num. 23 in Balaamo, & 1 Reg. 1 in Saule. Certè Prophetæ talem laborem adhibere non debuerunt, ut notat S. Chryſoſtomus Homil. 32 in 1 epiſt. ad Corinth. Conf. Quia non raro ad ſcribendum fuerunt excitati ex motivis humanis. Sic S. Marcus, & Joannes teſte S. Hieronymo in catalogo Evangelium ſuum ſcripſerunt rogati ab amicis, S. Lucas teſte Euſebio lib. 2 Hiſt. cap. 15 propter falſas aliorum revelationes. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Inſpiratio divina non fuit eadem in omnibus ſcriptoribus ſacris; ſed aliqui ita a Deo moti ſunt, ut in prophetando nequidem amplius ſui fuerint compotes, uti Balaam, & Saul; aliqui ita fuerunt illuminati, ut ſine ullo conatu librum potius deſcribere, quam componere viderentur, ſicut de Jeremia cap. 36 teſtatur Barruch. Aliis, uti Prophetis Deus res ſcribendas revelavit, alios ſolum excitavit ad ſcribendas res aliunde notas, ſimulque illis adſtitit, ut propria induſtria ſeligerent ea, quæ Deus ſcribi volebat, prout contigit cum auctore lib. 2di Machabæorum. Ad Conf. Illæ incitationes, & occaſiones ſcribendi non impedierunt ſpiritum internum, quo divinitus quoque ad annuendum excitati, & poſtea in ſcriptione directi fuerunt.

258 Dices. Ipſi Scriptores ſacri, ut fidem ſuæ narrationi facerent, non dicunt ſe ſcripſiſſe ex inſpiratione divina, ſed ſe ſcripſiſſe, quæ viderunt, & audierunt, ut loquitur S. Joannes epiſt. 1 cap. 1 v. 1, vel quæ a teſtibus oculatis acceperunt, ut ait Lucas cap. 1 v. 2: ergo inſpiratio divina gratis aſſeritur, & probitas, diligentia, aliæque dotes Scriptorum, ſacris litteris majorem auctoritatem tribuunt quam

quam inſpiratio divina de ſe obſcura, & minus nota. Conf. Stylus horum Scriptorum eſt prorſus diverſus, & pro illorum genio, modo diffuſus, & eloquens, modo ſuccinctus, & ſiccus: ergo non eſt ab eodem Spiritu ſancto. Reſp. Conc. Ant. Saltem de multis illorum auctorum, Neg. Conſ. Nam inſpiratio, & aſſiſtentia Dei nihilominus fuit neceſſaria, tum ut omnium eorum, quæ ſcribenda erant, recordarentur, & in nulla circumſtantia etiam minima errarent, tum ut ſcripturis conciliaretur auctoritas divina; reliquæ enim ſcriptorum dotes, qualescunque fuerint, non poterant fundare auctoritatem humana majorem, neque tamen ideo divinam inſpirationem, quam forte ipſimet non cognoverunt, allegare debuerunt, cum hæc aliunde ab Eccleſia cognoſci ac probari potuerit. Ad Conf. Conc. Ant. ex quo ad ſummum ſequitur, quod Deus non omnia inſpiraverit etiam quoad verba, & verborum conſtructionem, Neg. Conſ. Licet omnes Scriptores ſacri fuerint inſtrumenta ejusdem Spiritus ſancti, tamen hic Spiritus illis uti potuit ea ratione, quæ ipſorum genio, qualitati, & conditioni fuerat accommodata.

Quæres An ſacra Scriptura a Deo fuerit inſpirata quoad ſingula verba? Reſp. cum Bellarm., Leſs., Contenſon &c. negative. Nam 259
1. Sacri Scriptores in conſcribendis libris quandoque debuerunt adhibere magnum laborem, & ſæpe eandem veritatem diverſis verbis exprimunt. Sic de voce Domini ſuper aquas Jordanis ſcribit Matthæus cap. 3 v. ult.: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; S. Marcus cap. 1 v. 11: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.* 2. SS. Patres in illis non ſolum advertunt magnam diverſitatem ſtyli, ſed etiam poſitivos defectus, multorum ver-

 borum

borum suppressionem, exiguam dictionis connexionem, imo etiam solæcismos. Quin alii qui ipsimet imperitiam sermonis sui fatentur, & errorum veniam petunt. 3. Modo Deus illos ad scribendum excitarit, & ab errore præservaverit, jam vere, & proprie potest dici, quod omnia verba sint locutio Dei non quidem materialiter, & quoad sonum, attamen formaliter, & quoad sensum, ut adeo nulla fuerit necessitas singula verba, & verborum constructiones inspirandi. Certe Tridentinum vulgatam nostram vocat verbum Dei, licet versoribus non omnia verba inspirata fuerint.

260 Quando igitur in Scriptura dici videtur, quod Deus inspiraverit ipsa verba, sermo potissimum est de Prophetis, qui per revelationem illuminati fuerunt, & scripserunt res ignotas, ac humanum captum superantes. Imo etiam de Historicis, aliisque, qui jam aliunde sibi nota referunt, non nego, quod ex inspiratione divina hauserint aliquas voces, quibus singulare aliquod mysterium, sensus, & energia exprimenda erant. Atque de his vocibus intelligi possunt SS. Patres, quando ajunt ex singulis verbis Scripturæ aliqua mysteria posse erui, & nec syllabam, aut apicem esse superfluum. Nam alii Patres uti Dionysius Alexandr. Gregorius Nazianz. Basilius, Augustinus &c. apud Antoine tract. de fide sect. 4 art. 4 §. 2 nostræ favent sententiæ, ut proin ex Patrum auctoritate pro neutra videatur concludi posse. Præterea quia non constat, quænam sint illa verba, quæ divinitus inspirata fuerunt, merito omnia diligenter expenduntur, nec privata auctoritate mutari possunt, præsertim quia sæpe aliqua videntur Synonyma, quæ revera non sunt, & omnia verba saltem

tem ſcripta fuerunt cum ſpeciali aſſiſtentia Spiritus ſancti.

QUÆSTIO III.

Ex quibus libris conſtet ſacra Scriptura?

Libri Scripturæ vocantur ſacri, quatenus Deo 261
dictante, vel inſpirante ſcripti fuerunt; canonici vero dicuntur, quia inſuper publica Eccleſiæ auctoritate tanquam verbum Dei recepti, & in canonem, ſeu catalogum ſacrorum librorum relati ſunt. Dividuntur in Proto-canonicos, & deutero-canonicos. Priores ſunt, qui ab univerſa Eccleſia ſemper ut ſacri, & divini recepti fuerunt: poſteriores, de quibus non ſemper in univerſa Eccleſia exploratum erat, an revera divini eſſent, cum olim etiam Catholici quidam, & ex Patribus nonnulli ſummam illorum auctoritatem in dubium vocaverint, vel omnino negaverint. Libris canonicis opponuntur libri apogryphi, qui ab Eccleſia poſitive reprobati, & rejecti ſunt, uti Evangelia SS. Andreæ, Barnabæ, Bartholomæi, Thaddæi, & Thomæ. Item actus Andreæ, Philippi, Thomæ &c. apud Gratianum diſtinct. 15 can. 3. Apogryphis etiam annumerantur libri, qui licet poſitive non fuerint rejecti, & in nonnullis editionibus Scripturæ reperiantur, nunquam tamen publico Eccleſiæ judicio tanquam divini acceptati fuerunt, quidquid nonnulli privati de illis ſenſerint. Tales ſunt lib. tertius, & quartus Esdræ. Tertius, & quartus Machabæorum, Pſalmus 151, appendix libri Job, & ſapientiæ, oratio Regis Manaſſis, Præfatiuncula præfixa Threnis Jeremiæ &c.

262 Libri canonici in catalogo Ecclesiæ continentur 72, nempe veteris testamenti 45, Pentateuchus seu 5 libri Moysis, videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, tum liber Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum 150 Psalmorum. Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientiæ, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Barruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Libri primus, & secundus Machabæorum. Libri novi testamenti numerantur 27, videlicet quatuor Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem. Actus Apostolorum ab Evangelista Luca conscripti. Quatuordecim epistolæ Pauli Apostoli, una ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri epistolæ duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, denique apocalypsis S. Joannis Apostoli.

263 Ex veteri testamento deutero-canonici sunt: Tobias, Judith, Esther, Sapientia, Ecclesiasticus, Barruch, pars Danielis, nempe hymnus trium puerorum, historia Susannæ, & draconis a Daniele interfecti. Item liber primus, & secundus Machabæorum. Ex novo testamento ultimum caput in Evangelio S. Marci, historia de sudore Christi sanguineo, & confortatione per Angelum facta in Evangelio S. Lucæ, ac historia de muliere adultera in Evan-

Evangelio S. Joannis. Item epiſtola S. Pauli ad Hebræos, epiſtola ſecunda S. Petri, ſecunda, & tertia Joannis, epiſtola Jacobi, & Judæ, liber apocalypſis. Cæterum omnes libri tam Proto- quam Deutero-canonici, eodem ordine, quo a nobis recenſiti ſunt, tanquam vere canonici, & certa fide tenendi proponuntur a Concilio Tridentino ſeſſ. 4 in decreto de canonicis ſcripturis: ubi ſic habetur: *Si quis autem ipſos libros integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.*

A canone catholico multum differt canon 264
Lutheranorum, & Calviniſtarum; nam tam ex veteri, quam ex novo teſtamento libros, quos ſupra dixi deutero-canonicos eſſe, pro ſuo arbitratu expungunt. Sed neque canon Hebræorum cum noſtro convenit; quippe trium primorum ſæculorum ſcriptores in illo tantum numerant libros viginti duos ita, ut quandoque plures in unum compacti fuerint; alii vero omnino omiſſi, uti liber Tobiæ, Judith, Eccleſiaſtici, libri Machabæorum, & juxta aliquos etiam liber Sapientiæ, vel potius Eſther. Nempe hunc canonem probabilius compoſuit Esdras, qui jam vixit tempore Regis Artaxerxis, non quaſi Esdras primus fuerit auctor omnium librorum in ſuo canone contentorum, ſed quatenus eosdem, etiam tempore captivitatis Babylonicæ ſaltem clam conſervatos, in ordinem redegit. Quinam porro ſingulos antiqui teſtamenti libros primi ſcripſerint, inter ipſos Catholicos non convenit. Videri poteſt D. Amort in prolegomenis ſcripturæ.

265 Dicendum. S. Scriptura complectitur omnes libros tam proto - quam deutero-canonicos, cum omnibus ſuis partibus, prout illos ex Tridentino ſupra retulimus, & in vulgata latina editione continentur. Concluſio patet ex decreto concilii Tridentini citato, & ulterius probatur ex traditione. Quippe hunc ſacrorum librorum catalogum jam tradidit concilium Chartaginenſe III ſæculo IV, Innocentius I ſæculo V epiſtol. 3 ad Exſuperium cap. ult., S. Auguſtinus lib. 2 de doctrina chriſtiana cap. 8, Gelaſius Papa in concilio Romano, Iſidorus Hiſpalenſis lib. 6 originum, ſeu Etymolog. cap. 6. Certe circa libros proto canonicos nulla unquam inter fideles fuit controverſia, ſed paſſim a Patribus, conciliis, & Pontificibus tanquam divini citantur; qui vero illorum divinitatem in dubium vocare auſi ſunt, uti Simoniani, Valentiniani &c.; ideo notam hæreſis incurrerunt. Neque deſunt ex Patribus, qui libros deutero-canonicos data varia occaſione tanquam divinos allegarunt, licet multi Barruch a Jeremia, cujus ille diſcipulus, & notarius erat, non diſtinguant, & duos libros Esdræ, uti etiam duos libros Machabæorum pro uno habuerint. Confirmatur ex regula S. Auguſtini lib. 4 contra Donat. cap. 24. Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur.

Objectiones.

266 OBj. 1. Ex una parte non omnes libri a Tridentino recenſiti continentur in canone Hebræorum: ex altera parte Eccleſia libros ſacros veteris teſtamenti non potuit aliter cogno-

gnoſcere, quam ex canone Hebræorum, quibus juxta Apoſtolum credita fuerunt eloquia Dei. Hinc SS. Patres nominatim Hilarius præfat. in Pſalm., & Hieronymus in Prolog. Galeat. certitudinem librorum veteris teſtamenti ex judicio ſynagogæ repetunt. Conf. S. Auguſtinus docet, ea, quæ in canone Hebræorum ſunt, eſſe magis firma, ideoque Judæos in Pſalm. 49 vocat Chriſtianorum Librarios, & in Pſalm. 40 Capſarios. Reſp. Conc. Ant. quoad 1mum membr., Neg. quoad 2dum. Nam Eccleſia libros canonicos potuit cognoſcere ex traditione apoſtolica; Apoſtoli vero a Chriſto, vel ex ſpeciali Spiritus ſancti revelatione: Neque Patres canonem Hebræorum allegant tanquam unicam regulam veteres libros ſacros dignoſcendi; quippe Hilarius, & Hieronymus admittunt librum e. g. Judith, Athanaſius vero, & Gregorius omittunt librum Eſther, licet hic juxta multos, non item ille in canone Hebræorum contineatur. Porro eloquia Dei Judæis dicuntur credita, ut ab iis conſervarentur, non ut nos de illis inſtruerent. Ad Conf. Diſt. Ant. Docet eſſe magis firma abſolute, Neg. Ant. ad refutandos Judæos, & Paganos, ne putent nos illa finxiſſe, Conc. Ant. S. Doctor Judæos vocat noſtros Librarios, & Capſarios, quia utut nobis infenſi, nihilominus ex ſpeciali Dei providentia conſervant, & per orbem divulgant libros ſacros, in quibus Chriſtus per Prophetas prædictus eſt.

Obj. 2. Libri a Tridentino recenſiti non habentur in canone Orientalium, eosque in dubium vocarunt multi Patres tam Orientales, quam Occidentales: ergo ex traditione non probantur. Conf. Concilium Laodicenum celebratum anno 363 in canone Scripturæ omit- 267

 tit

tit multos libros deutero-canonicos, eosdem ferme omittit, & librum ſapientiæ poſitive excludit can. 85 Apoſtolorum. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Ad traditionem legitimam non requiritur omnium Eccleſiarum, aut Patrum conſenſus, ſed ſicut Orientales potuerunt credere Petro, & Paulo; ſic Eccleſia occidentalis potuit hanc traditionem ab Apoſtolis acceptam ad poſteros transmittere. Neque enim hunc canonem primum condidit concilium Carthaginenſe, aut Innocentius Pontifex, ſed illum retulerunt tanquam diu antea in Eccleſia Romana, & Africana receptum, & ab ipſis Apoſtolis traditum; ex Patribus vero tam Occidentalibus, quam Orientalibus ſemper plures fuerunt, qui libros iſtos pro ſacris allegarunt, & ſolum negarunt, quod ſint canonici, ſeu canonizati. Ad Conſ. Concilium Laodicenum fuit 24 annis ante Carthaginenſe. & ſolum voluit recenſere libros ab Eccleſia jam canonizatos; canon autem Apoſtolorum eſt ſubreptitius; nam inter libros canonicos ponit duas epiſtolas Clementis, & librum 3 Machabæorum communi conciliorum, & Patrum ſententia apocryphos.

268 Dices. Ex una parte Eccleſia non poteſt facere novum librum canonicum: ex altera parte ſi traditio a nobis allegata fuiſſet legitima, illam debuiſſent agnoſcere SS. Patres: ergo. Conſ. Quia adhuc poſt concilium Carthaginenſe, & epiſtolam Innocentii I aliqui Patres, & multi Doctores catholici libros deutero-canonicos non agnoverunt pro S. Scriptura. Reſp. Tranſ. Ant. quoad 1 membr., Diſt. quoad 2. Si hæc traditio publico Eccleſiæ judicio jam fuiſſet declarata, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ. Quamvis Eccleſia non poſſit facere, ut liber, qui in ſe non eſt verbum Dei, ſit ver-

verbum Dei, poteſt tamen accedente traditione, & aliis ſufficientibus indiciis declarare, ut liber, qui in ſe eſt verbum Dei, ſed pro tali hactenus non fuit agnitus, deinceps tanquam canonicus recipiatur; multa enim, quæ priſcis ſæculis adhuc recondita, & inter Patres controverſa erant, progreſſu temporis magis declarata, & ab Eccleſia definita fuerunt. Ad Conf. Cum nec canon concilii Carthaginenſis, nec Innocentius I aperte ſtatuerit, canonem ſacrorum librorum haberi ex traditione apoſtolica, mirum non eſt, quod ante concilium Tridentinum adhuc aliqui viri pii, & docti illos pro canonicis necdum certo agnoverint, ex quo non ſequitur, quod re attentius conſiderata, & concurrente etiam uſu, & lectione Eccleſiarum concilium Tridentinum ex Carthaginenſi, & epiſtola Innocentii non potuerit colligere indubitatam notam traditionis apoſtolicæ.

Obj. 3. Nullus liber antiqui teſtamenti 269
habendus eſt pro canonico, niſi 1 ſcriptus ſit a Propheta, vel tempore Prophetarum. 2. Tali idiomate quo tunc utebatur Eccleſia judaica. 3. Niſi citetur a Chriſto, & Apoſtolis, vel ſaltem de Meſſia futuro mentionem faciat; atqui libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Barruch, Machabæorum, non habent iſta requiſita: ergo. Reſp. Neg. Maj. Quam prorſus gratis ponunt ſectarii, imo iſta requiſita ne quidem inveniuntur in omnibus libris, quos ipſimet pro canonicis agnoſcunt. Sic 1 quando ſcriptus eſt liber Judicum, & Ruth nullus Propheta exſtitit. 2. Novum teſtamentum ferme totum ſcriptum eſt idiomate Græco, quod vulgus Eccleſiæ chriſtianæ maximam partem non intelligebat. 3. Liber primus Regum, & Ruth nec a Chriſto, aut Apoſtolis citantur, nec de

Messia mentionem faciunt. 4. Econtra liber Tobiæ, Judith &c. scripti sunt lingua chaldaica, quæ ad Hebraicam revocatur. 5. Baruch cap. 3 v. ult. de Christo vaticinatur; *Post hoc in terris visus est.* Et cur sectarii non etiam petunt, ut singulæ sententiæ, vel saltem capita a Christo, & Apostolis citentur, atque de venturo Messia mentionem faciant?

270 Quæres. Quotuplex sit sensus Scripturæ? Resp. Duplex, litteralis, seu historicus, & spiritualis, seu mysticus; litteralis est, quem verba sive propria, sive metaphorica ex intentione Spiritus sancti proxime, & immediate significant. Mysticus est, qui non significatur immediate per ipsa verba, sed per rem verbis significatam. Sic quando Deuteronom. 25 v. 4 præcipitur: *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, sensus litteralis est, quem ipsa verba immediate significant; mystice vero indicatur prædicatoribus verbi divini honestum victum esse suppeditandum, ut explicat Apostolus 1 ad Cor. 9: sensus litteralis ubique datur, & quandoque in una, eademque sententia multiplex. Mysticus in multis præsertim veteris testamenti sententiis, non tamen in omnibus reperitur, & subdividitur in allegoricum, anagogicum, & tropologicum. Allegoricus refertur ad res credendas, & Ecclesiam militantem. Anagogicus ad res sperandas, & Ecclesiam triumphantem. Tropologicus ad res agendas, seu mores rite formandos. Sic vox Jerusalem litteraliter significat metropolim Palæstinæ, allegorice Ecclesiam, anagogice cælum, tropologice animam justi. Præter hos sensus a Spiritu sancto intentos datur adhuc alius, qui dicitur accommodatitius, & sacris Scripturæ verbis neque im-

immediate, neque mediate ſignificatur, ſed præter auctoris ſacri mentem illis tribuitur propter ſimilitudinem cum aliquo, ad quod ſignificandum applicantur. Hic ſenſus concionatoribus eſt ſatis familiaris, ut autem licite uſurpetur, requiruntur aliquæ conditiones. 1. Ut ſit verus; quippe ſenſum falſum verbis ſacris etiam per accommodationem tribuere nefas eſt. 2. Ut ſit pius, & ſolum accommodetur ad res honeſtas, & religioſas. 3. ut non tradatur pro litterali, ſicut viciſſim ſenſus litteralis non debet traduci, tanquam ſolum accommodatitius.

QUÆSTIO IV.

Quænam Scripturæ editio ſit authentica?

Scriptura ſacra originaliter conſcripta fuit dua- 271
bus, vel tribus linguis, Hebraica, Græca, & Latina. Hebraica primitus editi ſunt plerique libri veteris teſtamenti; ad illam tamen revocari etiam debent linguæ, Chaldaica, & Syriaca; nam Chaldaica ex Hebraica originem duxiſſe dicitur; poſtea vero ex Chaldaica, & Hebraica nata eſt Syriaca, videlicet tempore captivitatis Babylonicæ, quo Judæi utramque ita permiſcuerunt, ut hæc lingua mixta illis cœperit eſſe vernacula, unde etiam tempore Chriſti, & Apoſtolorum in uſu fuit. Teſtamentum novum initio ſcriptum eſt idiomate Græco præter Evangelium S. Matthæi, & epiſtolam S. Pauli ad Hebræos, quæ probabilius Syriace fuerunt edita. An vero S. Marcus ſuum Evangelium Græce, an Latine compoſuerit, auctores inter ſe controvertunt.

Quoniam prima utriusque teſtameeti au- 272
tographa jam dudum periere, & duntaxat eorum

rum transumpta, & exemplaria ad nostras manus venerunt, facile patet, spectata fragilitate humana, & seclusa speciali Dei providentia evitari vix potuisse, ut non plurimi errores successu temporis in sacram Scripturam irreperent, præsertim quia ars typographica primum circa annum 1440 inventa est, & ad id usque tempus omnia describi debuerunt calamo, utique erroribus obnoxio. Certe in editione Græca aliquos errores reperiri ostendit Bellarm. lib. 2 de verbo Dei cap. 7, indeque infert, non semper tutum esse textum latinum ex græco corrigere. Neque plus fidendum est textui Hebraico, in quo describendo longe plures erant occasiones errandi, tum ob magnam characterum similitudinem, tum ob variam significationem, quam verba Hebraica detractis, vel additis punctis habere possunt; facile enim contingere potuit, ut Rabbini ex negligentia, vel imperitia in notandis punctis a vero aberrarent. Imo non desunt, qui existimant, editionem Hebraicam pridem studiose a Judæis depravatam esse, quos tamen refellit P. Simonet de regulis fidei. Disp. 2 art. 1.

273 Præter transsumpta eo idiomate descripta, quo sacri libri primo fuerant editi, habentur etiam multæ versiones, quibus in alias linguas translati fuere, ut enim nihil dicam de versione chaldaica (Targum vocant) Arabica, Syriaca, Samaritana &c., quæ nulla declaratione Ecclesiæ autographis conformes pronuntiantur, solæ versiones Græcæ novem numerantur; inter quas eminet versio antiqui testamenti a 70, aut potius 72 Interpretibus facta. Fuerant illi senes Hebræi, Græcæ, & Hebraicæ linguæ peritissimi, & intra 72 dies sub Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Rege totum

tum canonem Hebræum in linguam Græcam transtulerunt, non sine speciali Dei auxilio, ut ex tantillo temporis spatio, & mira illorum conspiratione colligitur, unde hujus versionis maxima olim fuit auctoritas. Illa ipsi Apostoli, & Evangelistæ usi sunt, & Ecclesiæ orientali per X prima sæcula pro authentica serviit.

Versiones latinæ teste S. Hieronymo præfat. in Josue, & S. Augustino lib. 2 de doctri- 274
na christiana cap. 11 fuerunt pene innumerabiles, neque dubium est, quin statim initio nascentis Ecclesiæ Romanæ sacra Biblia a multis in latinum fuerint conversa, ex quibus versionibus dein collecta videtur illa, quæ a S. Augustino Itala, a S. Hieronymo communis, a S. Gregorio vetus appellatur, & jam II, & III sæculo S. Cypriano, & Tertulliano usui fuit. Imo illam jam I sæculo ab ipso tempore Apostolorum exstitisse verisimile fit ex eo, quia jam tunc in officio divino Evangelia, Epistolæ, & Prophetiæ populo in lingua latina prælegi cœperunt. Viguit hæc editio in Ecclesia sub nomine vulgatæ usque ad tempora S. Hieronymi, qui cum adverteret, hanc versionem non immediate ex Hebræis fontibus, sed ex græca 70 Interpretum translatione desumptam suis mendis non carere, auctoritate Damasi Papæ novam versionem molitus est, & libros quidem proto-canonicos veteris testamenti omnes ex Hebræo in Latinum sermonem transtulit, ex deutero-canonicis solum librum Tobiæ, & Judith ex chaldaico vertit, novi vero testamenti libros multis in locis correxit, & ad Græcos fontes revocavit, ut ipse testatur lib. de viris illustribus sub finem: *Novum testamentum Græcæ fidei reddidi, vetus juxta Hebraicam transtuli.*

Post

275 Post tempora S. Hieronymi tam illius versione, quam Itala utebatur Ecclesia, donec tandem non multo post S. Gregorium prodiit vulgata communis, tot jam sæculorum usu recepta; ut ideo etiam vulgata vetus pridem nominari cœperit. Videtur hæc composita tum ex versione S. Hieronymi, tum etiam ex aliis. Quippe libros novi testamenti habemus ex versione Itala a S. Hieronymo emendata, uti etiam libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Barruch cum epistola Jeremiæ, appendicem libri Esther, & Danielis, ac denique libros Machabæorum. Reliquæ veteris testamenti partes omnes sunt ex translatione, quam S. Hieronymus fecit, excepto Psalterio, quod ex antiqua versione Græca desumptum ab aliquibus sancto Luciano Martyri adscribitur. Videri de hac re potest Bellarm. de verbo Dei lib. 2 cap. 9, ubi hactenus dicta probat ex S. Augustino, & præfatiunculis S. Hieronymi, quas singulis pene libris præfixit, & etiam nunc in biblicis vulgatæ editionis videmus.

276 Denique Scriptura sacra etiam translata fuit in linguas vernaculas, seu vulgares, quo nomine veniunt Germanica, Italica, Gallica, Hispanica, & reliquæ omnes præter linguas sacras. Verum tot inter, & tam diversas S. Scripturæ versiones Ecclesia, licet non omnes alias reprobet, solam Latinam vulgatam tanquam authenticam declaravit in concilio Tridentino sess. 4 decreto de editione, & usu SS. librorum. Cum enim ex multitudine versionum, si omnes æqualis auctoritatis essent, facile orirentur periculosissimæ controversiæ fidei, quæ tali modo componi non possent, necessarium omnino fuit, ut publica auctoritate Ecclesiæ constaret, cuinam versioni præ reliquis

quis ſit inhærendum, præſertim cum non ſemper poſſit recurri ad ipſos fontes Hebræos, & Græcos, tum quia hi ipſi fontes prout nunc exſtant, non ſunt puriſſimi, tum quia lingua Græca, & Hebraica plurimis etiam Eccleſiæ paſtoribus eſt peregrina. Profecto ſi tam Hebræi, quam Græci lingua ſua habuerunt authenticam Scripturam, æquum omnino fuit, ut Latina quoque Eccleſia, in qua fides Petri perpetuo eſt, & manebit, in propria ſua lingua haberet Scripturam authenticam, id eſt talem, quæ ex ſe fidem faceret in judicio, & eſſet ſupremæ auctoritatis, ita, ut a nullo rejici, vel in dubium vocari poſſit.

Dicendum. Vulgata editio Latina eſt authentica tam intrinſece, quam extrinſece. Prob. 277
1 pars. Illa verſio eſt authentica intrinſece, quæ quoad res, & ſententias Scripturæ originali eſt conformis; atqui talis eſt verſio vulgata; hæc enim per annos fere 1000 a tempore Gregorii Magni omnis Eccleſia Latina, omniaque concilia, Patres, & Doctores uſi ſunt; atqui eſt prorſus incredibile, univerſam Eccleſiam, quæ juxta Apoſtolum 1 ad Timoth. 3 v. 13 eſt columna, & firmamentum veritatis, tanto ſæculorum tractu genuina ſacrarum Scripturarum verſione caruiſſe. Prob. 2 pars. Illa editio eſt authentica extrinſece, cujus conformitas cum Scriptura originali declarata fuit per legitimam, & infallibilem auctoritatem; atqui conformitas vulgatæ verſionis cum Scriptura originali declarata fuit per legitimam, & infallibilem auctoritatem concilii; nempe Tridentini, quod in decret. de edit. SS. lib.: *Statuit, ac declarat, ut hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro au-*

authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.

Objectiones.

278 OBj. 1. Ex una parte S. Hieronymus aliique versores Scripturæ non fuerunt infallibiles, ex altera parte vulgata sæpe discrepat a fontibus Hebræis, & Græcis: ergo, Conf. Quia alias nullum amplius esset discrimen inter versores, & primos auctores sacrorum librorum. Resp. Conc. Ant. quoad 1mum membrum, Dist. quoad 2dum vulgata discrepat a fontibus quoad energiam, & modum proponendi, Conc. Ant. quoad rem ipsam, & sensum, Subdist. in rebus pertinentibus ad fidem, & mores, Neg. Ant. in aliis, Omitt. Ant. Sicut homo cum gratia efficaci potest peccare, sed infallibiliter non peccabit, sic licet versores non fuerint infallibiles, illos tamen non errasse, vel saltem eorum errores correctos fuisse, patet ex longo sæculorum usu, & infallibili judicio Ecclesiæ. Porro discrepantia a fontibus quoad substantiam nulla potest ostendi, præsertim in rebus fidei, & morum, sed vel tantum est apparens quoad verba, & litteras, vel orta ex eo, quod ipsi fontes postea corrupti fuerint. Ad Conf. Neg. Sequelam. Primi auctores sacrorum librorum scripsere Spiritu sancto dictante, aut saltem quoad sensum inspirante. At versoribus suam versionem Deus non dictavit, aut inspiravit, sed illos tantum specialiter adjuvit, ne errarent.

279 Dices 1. Si Deus S. Hieronymum aliosque versores specialiter adjuvisset, in vulgata non reperirentur tot sensus obscuri, barbarismi, solæcismi &c. Conf. Quia per se incredibile est, & supra vires humanas, quod versores in nulla re etiam

etiam majoris momenti erraverint. Reſp. Multa in vulgata editione a quibusdam novatoribus perperam tanquam barbariſmos, aut ſolæciſmos reprehendi, cum ſint optime latina. Si tamen aliqui in illa reperiantur, immerito imputantur verſoribus, ſed vel negligentia, aut imperitia librariorum irrepſerunt, vel prius jam in libris continebantur, & ob graves cauſas relicti fuerunt, quando a S. Hieronymo iſti libri emendabantur. Neque ad verſionem authenticam neceſſario requiritur ſumma claritas, & nitor, quem neque ipſi fontes habent. Ad Conf. Dico ad divinam providentiam pertinuiſſe, ut verſores ſpecialiter adjuvaret, aut ſaltem ne Eccleſia errores approbaret. Cæterum quando vulgata a fontibus diſcrepare videtur, 1. Sæpe varietas tantum eſt in phraſi. 2. Quia Hebræi pauca habent nomina ſpecifica plantarum, arborum, animalium &c., verſores pro ſubjecta materia eandem vocem varie accipiunt, aut termino generico ſpecificum ſubſtituunt. 3. Eadem vox Hebræa cum diverſis vocalibus diverſimode legi poteſt, imo etiam cum iisdem diverſas ſignificationes a Spiritu ſancto intentas habet, & ideo tam in iſta, quam in illa bene vertitur. 4. Quandoque nec in Græca, nec in Latina lingua habetur nomen proprium, quo res Hebraice expreſſa ſignificetur, ideo verſores rem ſimilem ipſi ſubſtituerunt.

Dices 2. Quando S. Hieronymus ſacram 280
Scripturam vertit, ac correxit, jam ipſi fontes erant corrupti, ut multi Patres teſtantur: ergo. Conf. Si a vulgata non liceret recedere, Eccleſia illam prætuliſſet ipſis fontibus. Reſp. Diſt. Ant. fontes erant corrupti in aliquibus exemplaribus, Tranſ. Ant. in omnibus, Neg. Ant. Alias Eccleſia nullam amplius ha-

buiſſet veram, & puram Scripturam. De fonte Hebraico contrarium expreſſe teſtantur S. Hieronymus in cap. 6 Iſai., & S. Auguſtinus lib. 15 de civit. cap. 13, Joſephus, & Philo Hebræi. Patres reliqui loquuntur 1 vel de corruptione tantum aliquorum exemplarium, vel 2 de corruptione interpretationis ſeptuaginta, vel 3 de corruptis verſionibus Aquilæ, Simmachi, & Theodotionis. Ad Conf. Neg. ſequelam. Tridentinum vulgatam ſolum prætulit fontibus corruptis, & ſecundum quid, in quantum ſtatuit illam non eſſe rejiciendam ex prætextu diverſitatis a textu Græco, vel Hebraico, cum uterque non amplius ſit omnino purus. Imo ut ex ſcopo, ac decreto concilii colligitur, Tridentinum vulgatam nequidem cum ipſis fontibus comparavit, ſed ſolum cum editionibus Paguini Clarii &c., quæ tunc circumferebantur. Hinc non obſtante decreto Tridentini utiliter ad fontes recurritur 1. Si textus Latinus eſt dubius, & anceps. 2. Si inter plures verſiones Latinas dubitatur, quænam ſit vulgata. 3. Si aliunde colligitur irrepſiſſe errorem librariorum. 4. Si quæritur vis, energia, aut proprietas vocabulorum.

281 Obj. 2. Vel Tridentinum authenticam declaravit illam editionem vulgatam, quæ hodie exiſtit, & diu poſt Concilium juſſu Clementis VIII in lucem prodiit, vel quæ exiſtebat tempore concilii? non primum, alias idem feciſſet, ac ſi quis vellet baptizare infantem necdum natum: non ſecundum alias approbaſſet plurimis ſcatentem erroribus, qui ut corrigerentur, ſubſequentes Pontifices Pius IV, Pius V, Sixtus V, novam editionem moliti ſunt, ſub Clemente VIII tandem abſolutam. Conf. Autographa verſorum tempore concilii non amplius exiſtebant, aut certe non erant no-

nota: ergo a Tridentino non potuerunt approbari. Resp. Conc. Maj. Neg. min. & dico vulgatam tempore concilii existentem fuisse declaratam authenticam, non quidem prout ob errores librariorum in exemplaribus mendosa existebat, sed prout erat in se, & qualis prodiit e manibus versorum, & ab Ecclesia acceptata fuit, in quantum nempe declaravit, quod originalia quoad sensum bene verterit; quippe ut in praefatione Bibliis praefixa legitur: *Sacrae congregationis Cardinalium non fuit propositum, antiquum interpretem (prout in Ecclesia receptus erat) ulla ex parte corrigere, vel emendare, sed veterem vulgatam a mendis, & erroribus librariorum corrigere.* Ad Conf. Dist. Ant. Ergo non potuerunt approbari in se ipsis, Conc. Conf. in exemplaribus, Subdist. in singulis, & quoad partes corruptas, Conc. Conf. in omnibus, & quoad se, Neg. Conf. Concilium non approbavit particularia exemplaria, quae tunc existebant, sed simpliciter vulgatam, prout autographis erat conformis.

Dices 1. Quamvis correctores Bibliorum 282
jussu Clementis VIII impressorum in praefatione tanquam certum asserant, hanc editionem caeteris omnibus esse puriorem, non tamen audent affirmare illam omnibus numeris esse absolutam; imo candide fatentur, se reliquisse aliqua immutata, quae mutanda videbantur tanquam minus congruentia cum fontibus: ergo. Conf. Non solum versio Itala, sed etiam vulgatae editio Sixtina multos continuit errores; hinc illa a S. Hieronymo, haec Clementis jussu correcta, & purgata est. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. Ergo vulgata non est approbata quoad omnes partes in se, Neg. Conf. prout extat in exemplaribus, Trans. Conf. Quando correctores pro sua modestia non audent affirma-

mare, quod vulgatam ab omnibus omnino mendis expurgaverint, tantum loquuntur de mendis librariorum; hæc enim sola emendare susceperant. Hinc aliqua loca ab ipsis fuere mutata, quæ videlicet certo judicarunt fontibus non congruere, sed depravata fuisse, alia vero reliquerunt immutata, quia judicarunt, illa ab ipso interprete ita fuisse translata, consequenter contra fontes Hebræos, & Græcos præsumendum esse. Ad Conf. Dist. Ant. Continuit errores librariorum, Conc. Ant. interpretum, Subdist. substantiales, & quoad sensum a Spiritu sancto intentum, Neg. Ant. accidentales, quoad energiam, & meliorem expressionem verborum, Conc. Ant. & Neg. Conf. præsertim loquendo de omnibus omnino exemplaribus. Porro editio Sixti juxta Tannerum nunquam fuit plene, & ex cathedra promulgata.

283 Dices 2. Ante correctionem Bibliorum omnia exemplaria vulgatæ erant corrupta, & saltem ex incuria librariorum graves errores contra sensum Scripturæ originalis continebant: ergo nunquam vulgata quoad omnes partes potuit corrigi. Conf. Modo in vulgata dentur errores librariorum, jam licet ab illa recedere. Certe in Psalmo 13 adhuc leguntur 8 versiculi incipiendo ab illo: *Sepulchrum est patens guttur eorum*, qui teste S. Hieronymo præfat. in Isaiam ab aliquibus imperitis inserti sunt. Resp. Dist. Ant. Omnia erant corrupta in diversis locis, Transf. Ant. in iisdem, Neg. Ant. Ne enim hoc fieret, ad divinam providentiam pertinebat, ut advertit Valentia lib. 8 Analys. cap. 5. Quod si etiam omnia in eodem loco corrupta fuissent, error potuisset colligi ex præcedentibus, & consequentibus, ex veterum Patrum Scripturis, ex inspectione fontium &c. Ad Conf. Dist. Ant. Jam licet recedere

a

a vulgata prout eſt in ſe, Neg. Ant. prout exiſtit in exemplaribus, Subdiſt. ſi ſatis conſtet de errore librariorum, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Cæterum octo illi verſiculi Pſalmi 13 in vulgata ſervati ſunt, quia certum erat, illos eſſe partes Scripturæ; citantur enim ab Apoſtolo ad Rom. 3, qui illos ex pluribus Pſalmis & Prophetia Iſaiæ contexuit.

Quæres. Quomodo vulgata Scripturæ originali ſit conformis? Reſp. In hoc non convenire Catholicos. Suarius, Valentia cum communiori exiſtimant, conformitatem hanc eſſe quoad omnes res, & ſententiam perfectiſſimam, eoquod vulgata juxta Tridentinum debeat recipi cum omnibus ſuis partibus, & nunquam ab illa ex quocunque prætextu liceat recedere; præſertim quia omnes propoſitiones Scripturæ vel directe, vel ſaltem indirecte ad materiam fidei pertinent, & alias dici poſſet vulgatam innumeris ſcatere erroribus, cum tamen Deus, & Judæis, & initio Eccleſiæ Gentilibus de Scriptura ex omni parte authentica providerit. Econtra Vega, Bellarm. Alexander Natalis aliique contendunt, vulgatam a Tridentino tantum fuiſſe declaratam authenticam in hoc ſenſu, quod nullum contineat perniicioſum errorem contra fidem, & bonos mores, quia vulgata adhuc multa menda continet, imo aliqua ſtudio juxta exemplar S. Hieronymi relicta fuerunt, ut teſtatur auctor Bullæ editioni Clementinæ præfixæ, item Bellarminus, & Bandinus, quorum opera Clemens uſus eſt. Ex quibus patet ſaltem non eſſe de fide, quod vulgata quoad omnes etiam minimas partes ſit authentica, quamquam nullius falſitatis, & erroris aperte convinci poſſit. Nihilominus de fide ſunt facta, & hiſtoriæ 284

cum aliquo fidei articulo connexæ, & quæ eodem modo in aliis versionibus, & ipsis fontibus reperiuntur.

QUÆSTIO V.

An sacra Scriptura sit clara?

285 CAlvinistæ, & Lutherani cum aliis Novatoribus contendunt, Scripturam ita esse claram ac perspicuam, ut pii, & fideles, qui attente, devote, & sine pravis affectibus eandem legunt, saltem creditu ad salutem necessaria facillime intelligant. Quod si etiam circa talia dogmata alicubi Scriptura videatur obscura, id solum esse propter peregrinas phrases, vel certe se ipsam rursus in aliis locis clarissime explicare. Ita nimis universale pronuntiatum Lutheri: *Nullam Scripturæ partem volo obscuram dici.* Limitant Brentius, & Joannes Gerardus Lutherani, Molinæus, & Amesius, Calvinistæ, eo quod manifeste viderint, in Scriptura plurimos occurrere textus obscuros, & intellectu difficiles, præsertim in Prophetis, Psalmis, apocalypsi, & epistolis S. Pauli ita, ut quandoque unus contra alterum pugnare videatur e. g., dum Psalm. 1 v. 5 dicitur: *Non resurgent impii in judicio;* & 1 ad Cor. 15 v. 51: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

286 Dicendum. Sacra Scriptura non est clara in sensu novatorum. Prob. 1. David, Apostoli, & SS. Patres, quamvis fuerint pii, fideles, prædestinati, linguarum peritissimi, attente, devote, & sine pravo affectu Scripturam tractaverint; tamen in illa intelligenda magnam difficultatem experti sunt: ergo. Ant. Prob. David sæpe petit lumen a Deo, ut in-

intelligat Scripturas ; ſic Pſalm. 118 v. 34 ait : *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam* ; Item v. 18 : *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua* ; Apoſtolis, teſte D. Luca cap. 24 v. 45, *Chriſtus aperuit ſenſum, ut intelligerent Scripturas* ; de epiſtolis Pauli S. Petrus epiſt. 2 cap. 3 v. 16 ait : *Sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas* ; quod fieri non poſſet, ſi Scriptura tam clara eſſet. Scripturæ teſtimoniis accedunt paſſim SS. Patres, *Mare*, inquit S. Ambroſius epiſt. 44 ad Conſtantinum, *eſt Scriptura divina, habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum* ; S. Auguſtinus epiſt. 119 cap. 21 : *In ipſis ſacris Scripturis multo neſcio plura, quam ſcio* ; S. Gregorius Homil. 9 in Ezechiel : *Liber involutus eſt, Scrpituræ ſacræ eloquium obſcurum, quod profunditate ſententiarum involvitur, ut non facile ſenſu omnia penetrentur*. Similia habent Origenes, Chryſoſt. Hieronym. &c. apud Bellarm. lib. 3 de verbo Dei cap. 1.

Probatur 2. In Scriptura duo conſideranda 287
ſunt, nempe res, quæ dicuntur, & modus, quo dicuntur ; atqui ex utroque hoc capite Scriptura eſt obſcura. Nam res ſunt ſumma myſteria, & vaticinia de divina Trinitate, Incarnatione Verbi, de æterna prædeſtinatione, reprobatione aliisque arcanis ſupernaturalibus, quæ non ſine magno labore, & gravi erroris periculo inveſtigantur. Modus ſæpe continet orationes ambiguas, imperfectas, figuratas, & in ſpeciem contrarias ; hinc ipſi ſectarii varios in Scripturam commentarios conficiunt, ejusque ſenſum in diſputationibus examinant ; in illo au-

tem explicando plurimum discrepant, & unus alterum imperitiæ, negligentiæ, & impietatis damnat. Ad quid vero isti commentarii, si Scriptura piis, & prædestinatis per se clara est, aliis vero obscura? Unde constat, quinam sint veri fideles, & prædestinati, & magis docte, ac reverenter Scripturam scrutentur? An omnibus æqualem fidem adhibebimus? sed sæpe docent prorsus opposita. An quosdam damnabimus? sed qua fronte, & ratione, cum nemini notum sit, quinam sint ex illis reprobi, quinam prædestinati. Sane Evnuchus Reginæ Candacis fuit pius, humilis, in lectione Scripturæ diligens, linguæ Hebraicæ, ac Syriacæ peritus, & tamen Act. 8 v. 31 de lib. Isaiæ dicit: *Quomodo possum intelligere, si non aliquis ostenderit mihi.*

288 Si respondeant 1. Scripturam piis, & prædestinatis &c., saltem esse claram quoad ea, quæ sunt necessaria ad salutem. Contra est 1. Nullibi in sacra Scriptura clare expressum est, quænam determinate ad salutem scitu, & facto sint necessaria, neque sectarii in iis assignandis conveniunt: ergo Scriptura quoad ista non est clara. 2. Unitas essentiæ divinæ in tribus distinctis personis, Divinitas Christi substantialis, & hypostatica Verbi divini unitio sunt juxta ipsos sectarios articuli substantiales, & tamen non ita clare, & aperte in Scripturis sunt expressi, ut eosdem non impugnaverint Sabelliani, Ariani, Nestoriani. 3. Ex quonam claro textu Lutherani, & Calvinistæ contra Anabaptistas probant, parvulos baptizari, non vero Evcharistiam ipsis præberi debere; cum Scriptura de utroque eodem modo loqui videatur. Sicut enim Joann. 3 v. 5 dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu*

ritu sancto, non potest intoire in regnum Dei; ita Joan. 6 v. 53 dicitur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Imo Scriptura videtur insinuare parvulos non esse baptizandos, sed ante baptismum requiri fidem actualem: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* Marc. 16 v. 16.

Si respondeant. 2. Textus obscuros Scripturæ per alios clare explicari. Contra est 1, 289
Si Scriptura se ita explicaret, non amplius tot essent controversiæ inter ipsos sectarios de vero sensu Scripturæ. 2. Plura sunt, quæ nullibi in Scriptura clare explicantur: e. g. quod parvuli utiliter baptizentur, quippe illud Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit &c.* Calvinus intelligit in sensu tantum figurato de renovatione interiori per Spiritum sanctum; hinc negat Baptismum parvulis necessarium esse ad salutem, etsi ad alios fines utilis esse possit. 3. Quando occurrunt duo textus apparenter oppositi, sæpe non constat, quinam altero sit clarior, & an hic vel ille per alterum explicari debeat, e. g. an ex istis duobus textibus: *Ego & Pater unum sumus*, Joan. 10 v. 30, &: *Pater major me est*, Joan. 14 v. 28 prior per posteriorem debeat explicari, ut contendebant Ariani, vel potius posterior per priorem, ut affirmabant Catholici: ex quo ulterius vides, subinde aliquem textum, qui videtur per se satis clarus, accedente alio fieri difficiliorem, & obscuriorem.

Objectiones.

OBj. 1. Sacra Scriptura Psalm. 118 v. 105 290
vocatur *lucerna*, & *lumen*, Proverb. 6 v. 23. *Lux*, 2 Petri 1 v. 19, *Lucerna lucens in loco caliginoso*: ergo est clara. Conf. Deu-

 teron.

teron. 30 v. 11 inquit Deus: *Mandatum, quod ego præcipio tibi, non supra te est, neque procul positum*: ergo ab omnibus potest intelligi. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. Ergo Scriptura est clara, si rite declaretur, Conc. Conf. sine declaratione, Subdist. in aliquibus locis, Conc. Conf. in omnibus, Neg. Conf. In citato Psalmo, & Proverbiis tantum est sermo de mandatis antiquæ legis, neque textus S. Petri aliquid probat, etsi de tota Scriptura accipi deberet; quippe Scriptura dicitur Lucerna, Lux, Lumen, quia rite declarata, & intellecta illuminat, docet, & dirigit, quamvis de se in multis sit obscura, inde eodem Psalmo 118 v. 130 inquit David: *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Est itaque Scriptura Lucerna, & Lux, quæ tamen lumen suum sæpe non spargit, nisi ponatur in candelabro Ecclesiæ, ejus sensum legitima auctoritate interpretantis. Ad Conf. Transf. Ant. quia multi Patres hunc locum non intelligunt de facilitate cognoscendi, sed implendi legem, Neg. Conf. sub data distinctione. Nam sermo rursus tantum est de præceptis Decalogi, quæ ibi Moyses proposuit, & ipsum lumen naturæ dictat.

291 Dices. Scriptura tempore veteris testamenti erat liber signatus, sed in novo est apertus, quia agnus illum aperuit, ut dicitur Apoc. 5: ergo saltem fidelibus non est obscura. Ideo Apostoli vocantur Lux mundi, & S. Paulus 2 ad Cor. 4 v. 4 docet, quod Evangelium suum tantum sit apertum iis, *In quibus Deus hujus sæculi excæcavit oculos infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi.* Conf. Ad Rom. 10 v. 8 dicitur, ad nostram justificationem non requiri, ut Christus vel e cælo, vel ex mortuis ad nos revocetur: *Nam prope est ver-*

verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Ergo saltem necessaria ad salutem sunt in corde, & ore omnium. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Agnus non dicitur aperuisse librum, quia omnia in Scriptura sunt clara, sed quia per mortem Christi impletæ sunt Prophetiæ, & cælum apertum fuit. Apostoli dicuntur Lux mundi, quia splendore suorum exemplorum tenebras vitiorum depellunt; hinc additur: *Sic luceat lux vestra &c.* S. Paulus ad Corinthios tantum agit de sua prædicatione; vel ad summum de illa scripti Evangelii parte, qua Christus annunciatur, & quem Apostoli tot miraculis confirmarunt, ut non potuerit esse obscura, nisi pravo affectu excæcatis. Ad Conf. Ex hoc ipso textu patet obscuritas Scripturæ, in eoque explicando multum laborant interpretes. Juxta Cornelium a Lapide sensus est, vicinum, & facilem jam esse modum consequendi justitiam, si nempe in Christum mortuum, & resuscitatum credamus, & ore illum profiteamur, & hunc Christum nobis annunciari.

Obj. 2. SS. Patres passim fideles hortantur ad lectionem Scripturæ, & suas sententias ex Scriptura probant: ergo Scriptura debet esse clarior, quam scripta Patrum: alias clarius probaretur per obscurius. Conf. Patres primæ Ecclesiæ sine commentariis Scripturam legerunt: ergo commentariis non est opus. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Quando Patres hortantur fideles ad legendam Scripturam, non volunt, ut illam intelligant secundum judicium proprium, sed cum subordinatione ad pastores Ecclesiæ; testimonia autem, quæ ad sua dicta confirmanda afferunt, vel jam supponunt aliunde ab Ecclesia satis esse declarata, & recepta, vel illa solum afferunt tanquam cer- 292

certiora, & maxime idonea ad probandam veritatem, ex quo tantum ſequitur, quod teſtimonia Scripturæ ſint notiora, quoad veritatem, licet ſint obſcuriora quoad verba, & ſenſum, quam dicta Patrum. Ad Conf. Quando nulli adhuc dabantur commentarii Scripturæ, utique ſine illis legi debuit; interim primi Patres habuerunt commentarios vivos ſcilicet Apoſtolos eorumque diſcipulos, quos interrogare poterant, & ipſimet a Deo ſpecialiter fuerunt illuſtrati. At cur poſtea ſectarii tam varia commentaria, & interpretationes Scripturæ fecerunt, ut ipſe Lutherus contra Zwinglium, & Æcolumpadium ſcripſerit: *Si diutius ſteterit mundus, erit neceſſarium, ut propter diverſas Scripturæ interpretationes conciliorum decreta recipiamus.*

293 Dices. S. Chryſoſtomus Homil. 9 in epiſt. ad Theſſal. ait: *Omnia clara ſunt, & plana ex Scripturis divinis*; Idem affirmat Homil. 3 de Lazaro. S. Auguſtinus lib. 2 de doctr. chriſtian. cap. 6: *Nihil fere de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſime alibi reperiatur*; S. Hieronymus in cap. 44 Ezechiel. docet, *In novo teſtamento velum templi ſciſſum eſſe, quia manifeſta facta eſt Scriptura.* Reſp. S. Chryſoſtomus locis objectis tantum affirmat, Scripturam eſſe claram quoad hiſtorias, ut patebit legenti contextum; imo his ipſis in locis fatetur illam eſſe obſcuram. Hinc Homil. ad Theſſal. ait: *Noſti, quæ clara ſunt, quid de obſcuris rogas?* & Homil. de Lazaro: *Etiamſi non intelligas illic recondita, tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia.* S. Auguſtinus dicit: *nihil fere*, & ut rurſus ex contextu patet, tantum agit de charitate, quæ datur, ſi Spiritus ſanctus nos illuminat. Quod ſi

ſi Scriptura alibi ſe explicaret, adhuc obſcurum eſſet, quinam locus per alium exponi debeat. S. Hieronymus ibi non loquitur de ſententiis Scripturæ, ſed de myſteriis Chriſti, quæ antea non intelligebantur, ſed figuris tecta erant; nam eodem loco inquit adhuc hodie manere velamen ob Scripturæ difficultatem; & ideo orandum cum Propheta: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.*

Obj. 3. Ex una parte Deus potuit clare loqui in Scripturis, ex altera parte ſi non clare locutus fuiſſet, non ſatis egiſſet provide, ſed nos potius voluiſſet decipere, adhibendo verba, quæ ſciebat non poſſe intelligi; hoc indignum Deo: ergo. Conf. Tali modo Scriptura eſſet manca, & defectuoſa: ergo. Reſp. Conc. Maj. quoad 1mum membr. Neg. quoad 2dum. Qui vult audire Eccleſiam circa ea, quæ ſcitu ſunt neceſſaria, non decipietur; ſi autem erret in iis, in quibus Eccleſia nihil adhuc declaravit, id non fit volente ſed permittente Deo, cui utique liberum fuit loqui hoc vel illo modo, claro vel obſcuro, & myſterioſo. Neque Deo (ſi tamen homini convenit divinorum judiciorum rationem inquirere) defuerunt fines ſufficientes obſcure loquendi; ne videlicet Scriptura vileſcat, ſed ut in illis ſcrutandis pie occupemur, creſcente ex ipſa difficultate delectatione ſtudii, atque ut in Eccleſia ſervaretur ordo inter doctores, & diſcipulos, inter paſtores, & oves, quem ordinem commendat Apoſtolus 1 ad Cor. 12 v. 30: *Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* Ad Conf. Neg. Ant. Tum quia Scriptura non eſt regula adæquata fidei, & ſufficienter ſervit ad finem a Deo intentum, tum quia ejus ob- 294

obſcuritas non eſt ex defectu loquentis, ſed imbecillitate audientium, qui vel propter altitudinem myſteriorum, vel ob ignorantiam linguarum, circumſtantiarum &c. verba non ſatis penetrant.

295 Dices. Quæ ad ſubſtantiam fidei pertinent, & explicite credi debent, omnia continentur in ſymbolo Apoſtolorum; hæc autem ſatis ſunt clara: ergo. Conf. Quod Scriptura in neceſſariis ad fidem non intelligatur, tantum provenit ex vitio legentium, quia videlicet illam non legunt ſatis attente, aut pravis affectibus, odio, invidia, ſuperbia, & præſumptione occupati. Reſp. Neg. Maj. & min. Imprimis falſum eſt, quod clare & explicite in ſymbolo contineantur omnia, quæ ad ſubſtantiam fidei pertinent; ubi enim clare in illo continetur conſubſtantialitas Filii cum Patre, unitas perſonæ in Chriſto, neceſſitas Baptiſmi pro parvulis &c. Dein falſum eſt, quod omnia, quæ in ſymbolo continentur, clare habeantur in Scriptura; ubi enim clare legitur perpetua Virginitas B. Virginis, deſcenſus Chriſti ad inferos &c.: cur circa intelligentiam ſymboli tot inter Catholicos, & ſectarios controverſiæ? Denique tali modo dici poſſet, ſufficere, ſi credatur Deus unus, & trinus, & Incarnatio Chriſti confuſe, ut Syncretiſtæ volunt. Ad Conf. Quam imprudenter hæc objectio viros ſanctiſſimos ſocordiæ, ſuperbiæ, impietatis &c. arguat, patet ex noſtra probatione. Nempe meliori modo Scripturam legunt præcones Lutherani, & Calviniani; ſed quinam ex illis ſunt magis periti, & pii? ac quanta demum peritia, & pietas requiritur, ut Scriptura bene intelligatur?

DISPUTATIO V.

De Regula externa Fidei.

QUoniam ex una parte Ecclesia Christi debet esse stabilis, utpote fundata supra 296
fundamentum Apostolorum; ex altera vero parte ob rerum credendarum obscuritatem, & sublimitatem, vel dæmonum, hominumque malitiam frequentes circa mysteria fidei dissensiones, ac dubia oriuntur, necessarium est, ut in Ecclesia detur aliqua norma, & judex, quem in approbandis, vel rejiciendis dogmatibus sequamur, & cujus sententiæ nos subjiciamus, ne tanquam parvuli circumferamur omni vento doctrinæ, ut ad Ephes. 4 loquitur Apostolus. Neque enim credibile est, quod Christus Ecclesiæ suæ de iis, quæ spectant ad bonam illius gubernationem, tranquillitatem, & unitatem doctrinæ, quam notam, & characterem veræ Ecclesiæ esse diximus, minus prospexerit, quam rebus publicis aut aliis communitatibus prospicere solent earundem fundatores, dum in illis supremum quemdam Judicem, & Magistratum constituunt, qui cum auctoritate possit leges proponere, & interpretari, ortasque controversias irrefragabili sententia componere. *Si Dei providentia*, inquit S. Augustinus lib. de utilit. credendi cap. 17, *non præsidet rebus humanis, nihil est de Religione satagendum; sin vero, non est desperandum ab eodem ipso Deo authoritatem aliquam constitutam esse, qua velut gradu certo innitentes attollamur in Deum.*

Quisnam ille judex, & regula sit? in 297
hac disputatione indagandum est; nam accurate loquendo discrimen inter judicem, & regulam faciendum. Judicem vocamus, qui fert

fert ſententiam inter partes litigantes, regulam, ſecundum quam ſententia a judice ferenda eſt. Catholici docent, judicem controverſiarum fidei eſſe paſtores Eccleſiæ, maxime ſummum Pontificem; normam vero, quam ſequuntur in ferenda ſententia, eſſe Scripturam, & traditiones. Vocatur hæc norma regula externa, quia non eſt ipſa ratio, & motivum formale credendi, quæ in ſola Dei revelantis auctoritate conſiſtit, ſed eſt regula creata primam rationem credendi nobis applicans, atque ad diſcernenda objecta credenda a non credendis deſerviens. Interim diſcrimen inter judicem & regulam non ſemper ab auctoribus attenditur, ſed Eccleſiam vocant regulam animatam, Scripturam vero, & traditiones inanimatam; utramque vero dicunt externam, etiam ideo, quia diſtinguitur a lumine interno naturali, vel etiam ſupernaturali, quod Deus hominum mentibus privatim infundit, & a ſectariis ſpiritus privatus vocari ſolet.

298 Nam 1. Gentiles, & Philoſophi, qui nullam Religionem revelatam admittunt, nullam aliam regulam aut judicem in materia fidei requirunt, quam naturale lumen rationis, niſi forte reſpectu rudium, quibus regulæ loco eſſe debet auctoritas Doctorum. 2. Schwenckfeldiani, & Libertini pro regula fidei admittunt quidem inſpirationem quamdam divinam, ac ſupernaturalem; attamen non modo omnes Eccleſiæ definitiones, ſed ipſos ſacros libros reſpuunt, quia, ut ajunt, Chriſtus per ſpiritum privatum quemlibet infallibili quodam modo docet, quid ipſi credendum, agendumque ſit. 3. Cæteri ſectarii fatentur Scripturam eſſe regulam fidei, ſed cum ſpiritu privato, ſeu illuſtratione interna, qua juxta ipſos do-

docemur, quænam ſit ſacra Scriptura, quis illius ſenſus, & omnia illa myſteria, quæ ex ſola Scriptura intelligi non poſſunt, ſi tamen eorum fides ſit neceſſaria. Unde juxta illos ſpiritus privatus eſt ultima regula applicativa credendorum, & verbi divini; judex vero quilibet homo privatus a Spiritu ſancto interius illuſtratus; quippe præter Scripturam, & ſpiritum privatum nullam aliam regulam admittunt, omni divina traditione rejecta.

Traditio latius accepta eſt doctrina ad Religionem pertinens ab uno alteri ſive ſcripto, ſive viva voce communicata. Ita Apoſtolus 2 ad Theſſal. 2 v. 14 ait: *Tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Verum in ſenſu ſtrictiore, & hic magis proprio a Patribus, & Theologis per traditionem intelligitur doctrina pertinens ad Religionem, non ſcripta, ſed viva voce tradita. Dicitur 1. Doctrina pertinens ad Religionem, ad fidem nempe, vel ad mores; hæc enim ſunt duo officia Religionis, ut credamus, quæ Deus revelavit, & faciamus, quæ per ſeipſum, vel legitimum ſuperiorem præcipit, & ſuadet. 2. Non ſcripta videlicet in libris canonicis; nam ad traditionem ſtricte dictam non requiritur, ut nullibi ſcripta ſit, ſed pleræque reperiuntur conſignatæ in actis conciliorum, Patrum monumentis, aliisque libris Eccleſiaſticis. 3. Viva voce tradita, in quantum per continuam narrationem, & famam fidelibus communicata fuit: primi namque Chriſtiani multa ex ore ipſius Chriſti, vel Apoſtolorum exceperunt, quæ in nullo libro canonico continentur, ſed quorum memoria ſolum exſtat, quia ejuſmodi doctrinæ de ore in os, de aure in aurem, & quaſi de manu in ma- 299

num fuerunt transmissæ, donec tandem ad nos pervenerint.

300 Traditiones stricte acceptæ pro diversitate auctorum dividuntur in divinas, apostolicas, ecclesiasticas, & mere humanas. Divina est, quæ provenit ab ipso Deo sive Christo Apostolos docente, uti traditio de septenario Sacramentorum, quæ solus Deus, vel Christus instituit. Apostolica est, quam nobis reliquerunt Apostoli. Quando ab ipso Deo illis revelata, & inspirata fuit, dicitur apostolica divina; si autem ab ipsis præcise ut Ecclesiæ pastoribus sine revelatione, aut inspiratione divina orta est, dicitur mere apostolica, & potius ad traditionem ecclesiasticam pertinet. Est autem traditio ecclesiastica proprie talis consuetudo, vel ritus post tempora Apostolorum, vel viva voce a Prælatis Ecclesiæ introductus, vel illis consentientibus a fideli populo assumptus, & ad nos usque continuo usu delatus, uti recitatio breviarii, usus candelarum, & cinerum &c. Traditio denique mere humana est, quæ provenit ab hominibus sibi relictis, & a Spiritu sancto non ita specialiter directis, sicut ab eo Ecclesia dirigitur. Confunduntur sæpe traditiones divinæ cum apostolicis, quia utrasque per Apostolos accepimus: sæpe etiam vocantur traditiones ecclesiasticæ, quia ab Ecclesia sunt receptæ, conservatæ, & infallibili auctoritate propositæ.

301 Ratione materiæ dividuntur traditiones ulterius 1 in doctrinales, & morales: priores spectant ad fidem, & credendæ sunt, uti perpetua virginitas B. Virginis: posteriores spectant ad mores, & observari debent, uti festa certis diebus celebranda. 2. In perpetuam, quæ semper debet servari, & temporalem, quæ tantum debet servari ad aliquod tempus. Ita ali-

aliquo tempore licita erat observatio ceremoniarum quarumdam legalium usque ad plenam evangelii promulgationem. 3. In universalem, & particularem. Universalis toti Ecclesiæ traditur; particularis uni tantum, aut pluribus Ecclesiis. Ad universalem juxta S. Augustinum epist. 118 pertinet observatio Paschatis, Pentecostes &c ad particularem jejunium sabbati, quod S. Petrus Romanæ Ecclesiæ tradiderat, & tantum ab illa, & paucis aliis observabatur. 4. In necessariam, quæ traditur in forma præcepti, uti celebratio Pascatis die dominico post 14tam lunam Martii: & in liberam, quæ traditur in forma consilii, uti aspersio aquæ lustralis &c.

QUÆSTIO I.

An admitti debeat regula fidei externa, distincta a Spiritu privato?

QUod ad omnia credenda a non credendis di- 302
scernenda non sufficiat lumen rationis, satis constat ex dictis; cum enim inter fidei nostræ objecta dentur mysteria quædam supernaturalia e. g. Incarnatio Christi, nostra Redemptio &c. lumen naturale debilius est, quam ut ad illa cognoscenda per se ascendere valeat. Imo etiam mysterium Trinitatis, licet in se naturalissimum sit, absque divina revelatione nunquam nobis innotuisset, & ipsas revelationes sæpe non satis intelligeremus, nisi Deus imbecillitati intellectus nostri specialiter succurreret, & lumine supernaturali eundem illustraret. Unde solum examinandum restat, an hoc lumen cuivis tam copiose infundatur, ut nulla alia credendi regula opus sit; sed quilibet privatus de controversiis fidei, & morum in-

 falli-

fallibiliter poſſit judicare. Procedit autem quæſtio de præſenti providentia, quod enim Deus abſolute loquendo omnes fideles poſſet ita illuſtrare, ut absque omni alia regula revelata a non revelatis infallibiliter diſcernerent, nollem omnipotentiæ divinæ denegare, cum aliunde conſtet, quod Prophetas, aliosque homines per ſolas illuſtrationes internas docuerit varias veritates incognitas.

303 Dicendum. Spiritus privatus in hac providentia ſe ſolo non eſt ſufficiens regula fidei. Prob. 1. In vera Religione debet dari talis fidei regula, quæ fideles reddere poſſit de veritate certos, & ſecuros, ut ſic eidem firmiſſimum aſſenſum præſtare poſſint; atqui ſpiritus privatus, ordinarie neque illum, qui illuſtrationem habet, neque alios de veritate poteſt reddere certos. Nam 1. Illuſtratio ſupernaturalis ordinarie non poteſt diſcerni a perſuaſione mere humana, fallaci, & ſæpe falſa; hinc qui ſpiritu privato ſe regi dicunt, ſæpe docent inter ſe pugnantia, ut patet ex doctrina Lutheri, & Calvini, quorum alteruter certo docet falſum, quamvis uterque alleget ſpiritum privatum, & neuter probare poſſit, cur potius ſua perſuaſio, quam alterius ſit infallibilis. Unde 2. quilibet poteſt dubitare de veritate ſpiritus alieni, & ſicut absque alia regula ipſe non poterit convincere alterum, ſpiritum ſuum eſſe divinum, ſic alter illum de ſpiritu ſuo non convincet; unde enim ruſticus poterit eſſe certus, quod illuſtrationem ſupernam potius habuerit Lutherus, quam Calvinus. Conf. Ex una parte quemlibet hominem ita a Deo illuminari nullo ſolido fundamento poteſt probari: ex altera parte hoc repugnat communi ſenſui fidelium, imo Deo, Chriſto, & Apoſtolis, qui fideles frequenter mittunt, ad ſummo-

morum Sacerdotum judicium, jubent audire Ecclesiam, & eum, qui noluerit audire, volunt haberi ut Ethnicum, & Publicanum.

Probatur 2. In qualibet republica bene ordinata debet dari regula aliqua externa, qua membra communitatis diriguntur, & supremus quidam, ac publicus judex, qui possit ferre leges, & lites dirimere; si enim cuilibet agere liceret, quod naturalis prudentia ipsi dictat, omnia sus deque verterentur. Ergo multo magis talis regula, & judex debet dari in Ecclesia, alias sequeretur summa confusio, perpetua dissensio, & via latissima aperiretur ad Indifferentismum, ac tolerantiam omnium Religionum; ut optime experiuntur sectarii. Praeterea si quemlibet suus spiritus privatus infallibiliter doceret, frustra Christus, & Apostoli tot patrassent miracula, frustra Ecclesia coegisset tot concilia, frustra sancti tot labores impendissent ad intelligendas Scripturas, & discernenda vera dogmata a falsis: frustra denique ministelli haeretici tantos excitassent tumultus, & tot libros conscripsissent ad persuadendam suam doctrinam; suffecisset enim homines hortari, ut ferventer orent Deum pro interna illustratione. Conf. Vel Libertinus credit, illustrationes, quas habet Pontifex Romanus, aut concilium generale esse a Spiritu divino, vel non credit? si ita: ergo eorum definitiones erunt infallibilis regula fidei: si non, ergo illis ineptissime negat, quod concedit cuilibet alteri privato, etiam rusticis, pueris, & omnibus sectariis, maxime inter se pugnantibus. 304

Objectiones.

OBj. 1. Deus ubique suis creaturis est praesentissimus, & ipse Christus summus con- 305

troverſiarum fidei judex, qui a fidelibus per orationem in dubio poteſt conſuli, & illis reſpondere: ergo non eſt opus alia regula, & magiſterio externo. Conf. Controverſiæ de revelationibus divinis non poſſunt certa regula definiri: ergo modo quis credat, quæ Spiritus ſanctus ipſi dictat, jam poteſt ſalvari. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Licet Deus mentem ſuam nobis aliter manifeſtare poſſet, tamen in hac providentia aliter non vult, quam per regulam externam, qui modus nobis magis conveniens eſt, & captui noſtro magis accommodatus, ut docet S. Auguſtinus lib. 1 de doctr. Chriſtian. in princip. exemplo S. Pauli, & Cornelii Centurionis. Dein in Eccleſia non tantum debet dari judex inviſibilis, aut privatus, ſed viſibilis, & publicus, cujus deciſio inter partes adverſas debet eſſe nota, ac certa, quin illam quælibet earum ex æquo pro ſe allegare valeat; talis autem judex communiter non ſunt inſpirationes internæ, per quas fidelibus loquitur Chriſtus, nec ulla ratione probatur, quod cuilibet ſine alterius miniſterio ita loqui velit. Ad Conf. Neg. Ant. Certam regulam determinandi controverſias fidei inferius aſſignabimus, quam qui ſequi noluerit, merito damnatur, utpote contra ſenſum totius Eccleſiæ pertinaciter adhærens ſuo judicio privato fallibili, & ſæpe fallenti.

806 Dices. Ipſi Catholici debent admittere, quod ad fidem divinam neceſſaria ſit interna illuſtratio Spiritus ſancti, alias non evitabunt circulum vitioſum, aut proceſſum in infinitum: ergo. Conf. Illi ſolum poſſunt ſequi ſpiritum privatum, qui eum habent, & quibus conſtat eum eſſe a Deo: ergo ſpiritus privatus non fallit. Reſp. Diſt. Ant. Debent admit-

mittere illuſtrationem internam, quæ tamen debet eſſe conformis regulæ externæ, quam Chriſtus fidelibus ſuis conſtituit, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conſ. quamquam juxta communem Catholicorum ſententiam non poſſimus diſcernere, an revera eliciamus fidem divinam, & interius a Spiritu ſancto illuſtratiſſimus, habemus tamen alias infallibiles regulas, ſecundum quas veritatem actuum noſtrorum examinare poſſumus, quibus ſi judicium noſtrum difforme ſit, certo inferimus, ejusmodi perſuaſionem non eſſe a Deo. Hinc etiam ex Catholicis illi, qui putant illuſtrationes ſupernaturales per ſe ipſas diſcerni poſſe, admittunt illas ſuo modo a regula externa dependere. Ad Conſ. Neg. ſuppoſitum, quod ſine alia regula ordinarie conſtare poſſit, an ſpiritus privatus a Deo ſit; ſi autem hoc non conſtet, non erit certa fidei regula.

Obj. 2. Scriptura paſſim docet fideles ab ipſo Deo inſtrui: ergo nulla alia indigent regula. Ant. Prob. Iſai. 54 v. 13 dicitur: *Ponam univerſos filios tuos doctos a Domino*; Pſalm. 84 v 9: *Audiam, quid loquatur in me Dominus*; Joan. 1 v. 9: *Chriſtus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; Joan. 6 v. 45: *Erunt omnes docibiles Dei*; Item: *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*; denique Joan. 10 v. 27: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Reſp. Quia Libertini Scripturæ nihil tribuunt, hæc illis nihil patrocinatur. In forma Diſt. Ant. fideles ab ipſo Deo inſtrui per vocem internam, vel externam, Conc. Ant. ſemper per internam, Subdiſt. quin tamen hæc vox ſine alia regula certo cognoſci poſſit, Tranſ. Ant. aliter, Neg. Ant. Ex omnibus his textibus tantum pro- 307

batur, quod Deus fideles suos illuminet, & doceat, & ipsi a Deo discant, quin exprimatur, an illa vox Dei sit homini intrinseca, vel extrinseca, & quamvis expresse mentio fieret de locutione Dei interna, ad summum sequeretur, dari illustrationes divinas internas, quod ipsi fatemur; at ideo istæ illustrationes a fidelibus nondum possunt certo cognosci, & a non divinis discerni. Manet itaque adhuc necessaria alia regula externa, & judex publicus controversiarum fidei.

308 Dices. Modo quis velit servare legem Dei, Deus dat illustrationes internas, & supernaturales; nam Joan. 7 v. 17 dicitur: *Si quis voluerit voluntatem Patris facere, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit*; ergo possumus esse certi de illustratione divina. Conf. 1 Joan. 5 v. 6 dicitur: *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas*; & ad Roman. 8 v. 16: *Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus Filii Dei*: ergo ipse Spiritus sanctus de sua inspiratione nos certos reddit. Resp. Dist. Ant. Deus dat illustrationes internas nullo alio magisterio humano præcedente, Neg. Ant. ordinarie præcedente alio magisterio humano, & quin has illustrationes sufficienter possimus discernere a persuasione mere humana, Conc. Ant. & Neg. Conf. Christus hic loquitur de doctrina, quam prædicavit, aitque illum, qui serio vult voluntatem Dei facere, ejus veritatem facile agniturum ex miraculis videlicet, quæ Christus in confirmationem suæ doctrinæ patravit. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. Reddit nos certos certitudine quadam conjecturali, Transf. Ant. infallibili, Neg. Ant. S. Joannes juxta Cornelium a Lapide hic loquitur de testimonio, quod Spiritus sanctus dedit

dit de divinitate Chriſti die Pentecoſtes. S. Paulus de certitudine, quam habemus de ſtatu gratiæ, quæ non eſt infallibilis; nam licet teſtimonium in ſe ſit certum, non tamen ſumus certi illud eſſe a Spiritu ſancto; hinc 1 Joan. 4 v. 1 dicitur: *Probate Spiritus, ſi ex Deo ſint.* Quia ad ipſum Spiritum probandum indigemus alia regula externa.

Obj. 3. Spiritus internus docet fideles abs- 309
que alio Magiſterio; nam Joan. 14 v. 14 promittitur: *Spiritus ſanctus vos docebit omnia*; 1 Joan. 2 v. 27: *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed unctio ejus docet vos de omnibus*; 1 ad Theſſal. 4 v. 9: *De charitate fraternitatis non habemus neceſſe, ſcribere vobis; ipſi enim a Deo didiciſtis, ut diligatis invicem.* Reſp. Neg. Ant. Primus textus non eſt ad rem, quia ſpecialiter directus fuit tantum ad Apoſtolos, & Eccleſiam, quibus promiſſus eſt Spiritus ſanctus, utique in hunc finem, ut ab illis alii doceantur. In altero S. Joannes juxta S Auguſtinum tract. 3 in illam epiſt. ſolum vult, quod nulla exterior doctrina, & regula ſufficiat ad fidem ſalutarem, niſi accedat illuſtratio interna: juxta alios, quod fideles, ad quos ſcribebat, nulla amplius opus habeant illuſtratione circa ea dogmata, quæ jam prius ab Apoſtolis docti erant, & hinc ipſis opus non eſſe Pſeudo-Apoſtolis: quippe loc. cit. præmiſerat: *quod audiſtis ab initio, in vobis permanet*; & inferius: *Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos*; S. Paulus tantum loquitur de materia particulari ſcilicet de charitate fraterna, in qua ſe ſatis inſtructos eſſe Theſſalonicenſes facto comprobaverant. Profecto ſi SS. Joan., & Paulus judicaſſent, fideles omnes immediate a Deo omnia diſcere, non ſcripſiſſent tot epiſtolas.

310 Dices. Jam Jeremiæ 31 v. 34 dixerat Deus: *In corde eorum ſcribam legem meam, & non docebit ultra vir proximum ſuum dicens: cognoſce Dominum;* & Chriſtus Matth. 23 v. 8 prohibuit: *Nolite vocari Rabbi, unus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus;* ideo etiam Apoſtolus 1 ad Cor. 2 v. 15 ait: *Spiritualis homo judicat omnia, & ipſe a nemine judicatur.* Reſp. Juxta S. Auguſtinum lib. de Spirit. & litter. priora verba Prophetæ: *In corde eorum ſcribam &c.*; ſignificant gratiam novi teſtamenti, per quam non ſolum ſcimus, ſed etiam implemus divina mandata; per poſteriora vero: *Et non docebit &c.*, ſignificatur præmium fidei, id eſt, beatitudo, in qua electi omnes Deum facie ad faciem videbunt; ſi vero textum intelligere velis de viatoribus, dic, ſermonem eſſe de notitia Dei, quæ in novo teſtamento longe magis erit diffuſa, quam olim, ut non amplius opus ſit dicere: *Noſce Deum.* Porro Chriſtus tantum prohibuit ambitioſum affectum Magiſterii; ille vero eſt unus Magiſter præcipuus, cujus nomine reliqui inſtruunt, ut patet ex eo, quia ipſemet Apoſtolos miſit ad docendum. Apoſtolus denique opponit hominem ſpiritualem animali, ac docet, quod animalis tantum poſſit judicare de temporalibus: *animalis enim homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus.* At ſpiritualis etiam judicat de ſpiritualibus, & quatenus ſpiritualis ſecundum regulas prudentiæ & fidei judicat, a nemine redarguitur, & condemnatur. Interim juxta ipſum Apoſtolum ad Epheſ. 4 Deus poſuit quoſdam, ut paſtores, & doctores.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An S. Scriptura sit regula fidei?

DIcendum. S. Scriptura est infallibilis regula fidei. Ita cum Catholicis hæretici ferme omnes. Prob. Scriptura sacra est, & certe cognoscitur esse verbum Dei: ergo infallibiliter nobis proponit ea, quæ fide divina credenda sunt. Consequentia est tam certa, quam certum est Deum nec fallere posse, nec falli. Antecedens probatum est disp. præced. Certe ipse Christus, & Apostoli dicta sua sæpe probarunt ex testimonio legis, & Prophetarum, & in sacra Scriptura frequenter legimus, quod Deus per illam nobis locutus sit: *Sicut locutus est per os Sanctorum & Prophetarum ejus*, Luc. I v. 70; *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus, & Prophetis, novissime diebus istis nobis locutus est in filio*, ad Hebr. I v. I. Ex quibus Lutherus, Calvinus, aliique sectarii inferunt, lectionem S. Scripturæ omnibus promiscue permittendam esse, eamque publice in officiis divinis legendam lingua vernacula. Addit Quesnellus lectionem Scripturæ omnibus esse necessariam ad salutem. 311

Sed contra est 1. Quamvis Apostoli ubique gentium prædicaverint lingua cujusque regionis, & ubique Ecclesias fundarint; nihilominus Evangelia, & epistolas solum scripserunt in lingua Hebræa, Græca, & Latina. Imo Petrus, & Jacobus ipsis Judæis Græce scripserunt. 2. In his solum tribus linguis sacra Biblia legebantur usque ad tempora S. Augustini, ut ipsemet testatur lib. 2 de doctrin. christian. cap. 11, quem morem etiam postea in Ecclesia semper retentum fuisse ostendit Bellarm. lib. 2 cap. 15 de verbo Dei. 3. Si lectio 312

Bi-

Bibliorum indoctis promiscue permitteretur, facile arriperent ansam errandi in materia fidei, & morum; etenim ut lib. ult. de synodis advertit S. Hilarius: hæreses omnes ex mala intelligentia Scripturarum ortæ sunt; si vero in ipsis officiis divinis adhiberentur translationes vulgares, id multum obesset Ecclesiæ unitati, & communicationi in conciliis & conventibus diversarum nationum. Hinc Tridentinum sess. 22 can. 9 anathema dicit asserenti: *Missam lingua tantum vulgari celebrari debere.* Alexander VIII sub excommunicatione latæ sententiæ præcepit, ut igne comburantur exemplaria Missalis anno 1661 Gallice impressa. Innocentius denique XI. damnavit propositionem 79 Quesnelli cum septem sequentibus, in quibus novatorum error instaurabatur.

Objectiones.

313 OBj. 1. Regula fidei debet esse nota, certa, stabilis, & clara; atqui Scriptura non est talis regula; quippe plures illius partes revocantur in dubium, aliqui libri primum successive in canonem adoptati sunt, neque de exemplaribus certo constat, quod sint conformia autographis, & textus non raro varie a variis exponuntur. Conf. Etiam quidam Auctores catholici docuerunt, quod Deus absolute possit testari falsum. Resp. Dist. Maj. Regula debet esse nota &c. ex se ipsa, & tantum ratione sui, Neg. Maj. saltem simul ratione alterius illam infallibiliter applicantis, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf. Quod ex sola Scriptura non constet, quinam libri sint canonici, quisnam sensus genuinus, quænam editio legitima &c. solum probat, Scripturam non esse regulam adæquatam, sed quod

quod insuper accedere debeat infallibilis au-ctoritas Ecclesiæ, quæ ista nos doceat, saltem successive, ut Deus Ecclesiam suam successive plus illuminare solet; unde sufficit, si regula sit stabilis in hoc sensu, quod semel proposita nunquam fallere, aut mutari possit. Porro quod vulgata in se sit conformis Scripturæ originali, satis constat ex Tridentino. Utrum vero privata cujusque exemplaria cum Romano correcto concordent, facile potest intelligi ex comparatione cum aliis exemplaribus, ex communi doctorum usu &c., neque expositiones Catholicorum discrepant in iis, quæ ad dogmata fidei pertinent. Ad Conf. Hanc paucorum sententiam prorsus absurdam, Deo indignam, & vera probabilitate destitutam esse, patet ex disput. 1 q. 1.

Dices. Si Deus ad mentem suam manife- 314
standam voluisset adhibere Scripturam; tunc ut mysteria fidei nobis magis redderet certa; atqui ad hunc finem nihil prodest; quippe illa in se sufficienter redduntur certa per auctoritatem Dei revelantis; quoad nos vero certissima redduntur per motiva credibilitatis, & illustrationem divinam. Conf. In lege naturali ante Moysem nulla dabatur Scriptura sacra: ergo. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Motiva credibilitatis certissime quidem nobis persuadent Religionem veram in genere; at inde necdum novimus omnia illius mysteria, & quamvis etiam existentiam Scripturæ faciant valde credibilem, non tamen immediate reddunt indubitatam. Hinc num. 243 illa solum adhibui pro confirmatione, & ad probandam Scripturam in genere; quinam enim determinati libri illam constituant, quæ editio legitima, quisnam sensus genuinus, ex his motivis neutiquam decidditur, neque satis instruimur per illustrationem

nem internam, ut patet ex quæſt. præced. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ex eo, quod Deus in lege naturali, ubi longe pauciora fide divina credi debuerunt, noluerit pro regula adhibere Scripturam, non ſequitur, quod aliud non ſtatuerit in lege Moſaica, & chriſtiana. Interim etiam certum eſt, quod Deus ante Moyſem ſæpe hominibus, præſertim familiarum capitibus loqui dignatus ſit, aut ſpeciales quandoque illuſtrationes immiſerit, juxta quas ſubditos dirigerent.

315 Obj. 2. Si Scriptura eſſet regula fidei, non deberet prohiberi fidelibus; iniquum enim eſt, os Chriſti fidelibus claudi, & uſum panis filiis interdici. Conf. Finis divinorum officiorum, & lectionis ſacræ Scripturæ eſt populi inſtructio, ſolatium, & ædificatio; hæc autem ex lingua ignota haberi non poſſunt, & ſi ſenſus verborum non percipitur, oratio eſt inutilis juxta illud Matth. 15 v. 8: *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Reſp. Diſt. Ant. Non debet prohiberi omnibus, Conc. Ant. aliquibus, quibus per accidens eſt noxia, Neg. Ant. neque tamen ideo verbo divino privantur, ſed illius lectio apud rudes utilius ſuppletur per prædicationem, quæ in Eccleſia fit in lingua vulgari. Sane mater filiis panem non ſubtrahit, ſi illis hunc non dat integrum, ſed in fruſta jam diſſectum. Ad Conf. Quamvis ex lingua ignota populus non erudiatur, nihilominus obtinetur finis primarius divinorum officiorum, qui eſt cultus Dei, neque deeſt fructus, modo ejusmodi orationes, & actiones fiant animo Deum colendi; ſic enim cor jam ad Deum convertitur, & non ſolis labiis honoratur. Hinc Apoſtolus poſtquam 1 ad Cor. 14

14 v. 14 dixit: *si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem sine fructu est*; quatenus nempe sensu illorum verborum non eruditur, ibidem v. 17 addit: *Nam tu bene gratias agis.*

Dices. Scriptura primis Ecclesiæ temporibus versa est in linguam Græcam, Latinam, & Chaldaicam. S. Hieronymus illam vertit in Sclavonicam, & juxta S. Augustinum olim in lingua Punica Scriptura legebatur: ergo in prima Ecclesia lectio Scripturæ omnibus fuit permissa. Conf. Anno circiter 900 a Sede Apostolica Moravis concessum est, ut divina officia celebrarent lingua Sclavonica, & defacto Armeni, Ægyptii, & Æthiopes lingua vulgari sacra faciunt. Resp. Versio Scripturæ in linguam Græcam, & Latinam non erat ideo conveniens, quia sunt vulgares, sed quia in Ecclesia communissimæ. Chaldaica potius Scripturæ paraphrasis est, quam versio, nec magnam habet authoritatem. De versione Sclavonica S. Hieronymi apud veteres nihil legitur. neque de Punica quidquam meminit S. Augustinus lib. 2 de doctrina christian., ubi de translationibus Bibliorum expresse tractat. Multo minus ejusmodi versiones factæ sunt pro publico Ecclesiæ usu, sed pro iis, quibus lectio potuit esse solatio, ac ædificationi, prout etiam nunc versiones vulgares earumque lectio non omnibus est prohibita, ut declarat Pius IV regula 4 Indicis librorum prohibitorum, quæ tamen regula juxta Tanner. & Laym. Germanos non obligat, si legant Biblia versa a Catholicis, & usu publico approbata. Ad Conf. Cum Moravis teste Ænea Sylvio dispensatum est, quia totum regnum fuit conversum, & sufficientes ministri Latini haberi non potuerunt; ex- 316

em-

emplum vero Ægyptiorum, Armenorum &c. cum hæretici, aut schismatici sint, tantum probat, quantum exemplum Lutheranorum, Anabaptistarum &c., quamquam hic mos apud orientales jam a multis sæculis invaluisse videatur.

317 Obj. 3. Usus Scripturæ præcipitur omnibus in ipsa Scriptura; nam Deuteron. 31 v. 11 legitur: *Leges verba legis hujus coram omni populo*; Joan. 5 v. 39 Christus ait: *Scrutamini Scripturas*; Apostolus 1 Cor. 14 vult, ut sermo sit manifestus, & intelligatur, ut etiam idiotæ respondere possint Amen. Conf. Christus, & Apostoli in suis prædicationibus semper usi sunt eo sermone, qui a populo intelligebatur: ergo. Resp. Neg. Ant. in sensu adversariorum. In libro Deuteronomii non est sermo de simplici lectione, sed conjuncta cum interpretatione; quippe etiam post captivitatem Babylonicam Scriptura legebatur Judæis lingua Hebraica, quamquam illius plerique fuerant obliti. Christus apud Joannem non loquitur ad omnes, sed maxime ad Scribas, & Pharisæos. Apostolus juxta S. Basilium in quæst. brev. explic. q. 278, & S. Cyprianum epist. ad Pompejum, ibi non agit de lectione Scripturæ, sed de exhortationibus, & instructionibus; ubi autem vult, ut idiota possit respondere Amen, sermo est de canticis spiritualibus, quæ tunc in Ecclesia ab omnibus canebantur, ut refert Eusеb. lib. 2 histor. cap. 17. Ad Conf. Prædicatio continet explicationem, non item lectio Scripturæ, per quam rudiores facile in errorem possunt induci. Cæterum licet Prophetæ, Psalmi, Cantica &c. lingua vernacula legerentur a rudibus, & fæminis parum intelligerentur,

tur, unde melius eſt, ſi ipſis lingua vernacula præbeatur catechiſmus.

Dices. Concilium Nicænum juſſit, ut quisque domi cuſtodiat ſacros libros, & Innocent. III. cap., Quoniam in plerisque de offic judic. ordin. mandat, ut ubi reperiuntur multi homines diverſarum linguarum, Epiſcopi habeant miniſtros idoneos, qui diverſis linguis officia celebrent. Conf. S. Chryſoſt. Homil. 8 in epiſt. ad Coloſſ. obſecrat omnes ſæculares, ut ſibi Biblia comparent. Imo Homil. 3 de Lazaro ait: *Non poteſt fieri, ut quisquam ſalutem aſſequatur, niſi perpetuo verſetur in lectione ſpirituali.* Reſp. Hoc præceptum in nullo canone concilii Nicæni invenitur; Innocentius autem ſolum loquitur de lingua Græca, & Latina, & quia, Conſtantinopoli a Latinis expugnata, ibi dabantur multi Latini, decernit ideo ibidem non debere duos eſſe Epiſcopos, ſed unum providere debere de miniſtris idoneis pro Latinis, & Græcis. Ad Conf. S. Chryſoſtomus in ea Homilia conatur ſæculares a ludis theatralibus aliisque nugis abducere, ideo eos potius ad lectionem Scripturæ hortatur, non tamen omnes promiſcue, ſed quibus hæc lectio poteſt eſſe utilitati. In altero textu more ſuo loquitur concionatorie, & non ſatis theologice rem exaggerat. Porro facultatem legendi Scripturas non omnibus datam fuiſſe, teſtantur Tertullianus libr. de præſcriptione cap. 9. S. Ambroſ. lib. 2 ad Gratianum cap. 2. Gregor. Nazianz. &c. 318

QUÆSTIO III.

An S. Scriptura sit regula fidei adæquata, saltem cum spiritu privato?

319 Dicendum. Sola Scriptura sacra non est regula sufficiens fidei. Prob. 1. Ex hac regula non constat nobis 1, An detur sacra Scriptura. 2. Quænam sit illa, seu quibus libris constet. 3. Quænam illius editio, & versio sit authentica. 4. Quinam sit genuinus illius sensus: ergo hæc regula se sola non est satis certa, & sufficiens. Ant. Prob. quoad singula membra. 1. Si ex Scriptura constaret, quod sit verbum Dei, tunc ideo, quia id de se ipsa testatur; atqui ex hoc solo non constat; nam de hoc ipso controvertitur, utrum hoc testimonium sit verbum Dei, & gentiles, ac Philosophi simpliciter negant, ac tam parum credunt, quam hæretici crederent impostori, qui librum aliquem conscriberet, atque in eo diserte testaretur, illum esse purum verbum Dei. 2. Ex sola Scriptura non possunt discerni libri canonici, ut patet ex dissensione, & discrepantia circa hos libros. Sic Judæi auctoritatem divinam tribuunt veteri testamento, non novo. Manichæi econtra rejiciunt vetus, & tantum admittunt novum, idque ipsum multis partibus corruptum esse asserebant. Novatores libros bene multos ex catalogo librorum canonicorum expungunt, quos Catholici recipiunt. Inter ipsos Catholicos quidam sunt proto-canonici semper, & ab omnibus recepti, alii tantum deutero-canonici, quos olim non omnes receperunt.

320 Tertium membrum probatur ex iis, quæ de variis Scripturæ editionibus diximus disput. præcedente. Quamvis enim certum sit, divina

vina providentia factum esse, ut inter tot, ac tam diversa exemplaria etiam vera Scriptura ad nos pervenerit; certum tamen pariter est, ex sola Scriptura non posse determinari, quaenam inter tam diversas ac discrepantes editiones sit legitima. Haeretici summam auctoritatem tribuunt editioni Hebraicae, alii illam post tempora S. Hieronymi a Judaeis studiose multis in locis corruptam esse contendunt, versio Septuaginta olim plurimum erat celebrata, nunc creditur plurimum vitiata, & aliqui existimant illam omnino interiisse. Vulgatam probat Ecclesia; novatores illam tanquam gravibus erroribus scatentem reprobant. Membrum quartum rursus patet ex disput. praeced., ubi ostendimus Scripturam multis in locis esse obscuram, intellectu difficilem, & quandoque in varios, & contrarios sensus trahi posse. Sic licet verba Christi apud Matth. 26 v. 26: *Hoc est corpus meum*, videantur clarissima, aliter tamen illa intelligunt Catholici, aliter Calvinistae, aliter Lutherani, qui teste Valentia plures, quam 80 diversas interpretationes adhibuerunt. Sicut ergo lex ambigua, & obscura causam inter partes litigantes absque alio judice non potest dirimere, sic ex Scriptura sola saepe non potest satis colligi, quisnam sit genuinus sensus a Spiritu sancto intentus.

Probatur conclusio 2. Multa tenemur ob- 321
servare, & fide divina credere, quae in Scripturis expressa non sunt: ergo Scriptura non est regula adaequata. Ant. declaratur uno, & altero exemplo. De fide est, quod Spiritus sanctus procedat non solum a Patre, sed etiam a Filio; atqui hoc nullibi certo exprimit Scriptura; nam licet Joan. 15 dicatur, quod Spiritus sanctus mittatur a Filio; negant ta-

men Græci ſchismatici hac miſſione ſignificari proceſſionem ad intra ; ſed filium ſolum eatenus Spiritum ſanctum mittere, quatenus nobis dat fidem, ſpem, aliaque dona ſupernaturalia, quæ Spiritui ſancto per appropriationem tribuuntur. Similiter Iſai. 7 v. 14 legitur quidem : *Ecce virgo concipiet , & pariet filium.* At neque in hoc, neque in alio textu aliquid dicitur de virginitate poſt partum, nihilominus etiam hæc de fide eſt. Idem proportionaliter dic de utilitate, & neceſſitate baptizandi parvulos, de valore baptiſmi ab hæreticis collati, de celebratione paſcatis die dominico. Conf. Quamvis omnia dogmata ex Scripturis colligi poſſent, id ſolum poſſet fieri a paucis, iisque doctis, & diligentiſſimis : ergo adhuc alia regula infallibilis deberet admitti pro indoctis ; neque hæc regula poſſent eſſe docti, utpote non ſolum fallibiles, ſed etiam ſæpe inter ſe diſcrepantes : ergo.

322 Dicendum 2. Scriptura etiam cum ſpiritu privato non eſt regula ſufficiens fidei. Prob. Scriptura ſeorſim eſt incerta, & ſpiritus privatus ſeorſim eſt incertus ; neque incertitudo unius tollitur per alterum : ergo, &c. Ant. quoad primum membrum patet ex dictis, quoad 2dum Prob. Incertitudo ſpiritus privati absque alia regula non poteſt tolli, niſi per Scripturam ; atqui per Scripturam non tollitur, niſi prius conſtet de exiſtentia, legitima editione, & vero ſenſu Scripturæ ; de his autem juxta adverſarios conſtare non poteſt, niſi per ſpiritum privatum, qui tamen ipſemet eſt fallibilis, ut oſtendimus q. 1 : ergo præter Scripturam & ſpiritum privatum debet admitti adhuc alia regula, vel committitur circulus vitioſus, & unum incertum probatur ex altero incerto. Conf. Sicut in qualibet alia republica bene

ne conſtituta, ſic in Eccleſia debet dari judex talis, de cujus auctoritate certo conſtet, qui ſit publicus, ut ab omnibus poſſit accedi, & qui reſpectu utriusque partis loquatur clare, ac intelligibiliter; atqui iſtæ dotes non inveniuntur in Scriptura & ſpiritu privato: ergo.

Objectiones.

OBj. 1. An exiſtat aliqua Scriptura, eſt tantum quæſtio curioſa, inepta, & indigna 323
homine chriſtiano; hoc enim ab omnibus ſupponitur, nec ſine præjudicio Religionis chriſtianæ quæri poteſt. Hinc S. Auguſtinus lib. 6 confeſſ. cap. 5 ita Deum alloquitur: *Perſuaſiſti mihi o Deus! nec audiendos eſſe quidem, ſi qui forte mihi dicerent, unde ſcis illos libros veri, & veraciſſimi Dei Spiritu humano generi eſſe ſubminiſtratos.* Conf. Scriptura eſt lux, & lumen; atqui lux per ſe ipſam ſatis diſcernitur: ergo. Reſp. Neg. Ant. Inquirere in id, a quo vera fides, & ſalus dependet, eſt labor ſumme utilis, & homine dignus, neque a nobis ſuſcipitur, ut impugnetur Scriptura, ſed ut ejus auctoritas ſolidis fundamentis ſtabiliatur contra gentiles, Turcas, & quoad aliquas partes etiam contra Judæos, ipſosque ſectarios. S. Auguſtinus non loquitur de Scriptura præciſe ſecundum ſe conſiderata, ſed ut jam approbata per conſenſum & traditionem Eccleſiæ, ultra quam approbationem ait abſurde quæri alias convincentes rationes, ut patebit legenti contextum, imo libr. contra epiſt. Fundam. cap. 5 aperte pronuntiat: *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas.* Ad Conf. Imprimis adverſarii prius debent oſtendere dari Scripturam, dein Diſt. min. lux per ſe ipſam diſcer-

ſcernitur, ſi ſit debito modo applicata, Conc. min. ſecus, Neg. min. Si inter Scripturam, & lucem eſſet paritas omnimoda, omnes præter ſectarios cæci eſſent, etiam SS. Patres, qui de nonnullis Scripturæ libris aliquando inter ſe diſſentiebant.

324 Dices 1. Quod detur Scriptura, eſt principium etiam a Catholicis, adeoque utraque parte litigantium receptum: ergo a ſectariis non debet exigi, ut exiſtentiam Scripturæ probent; hoc enim principio negato rueret tota Religio Chriſtiana. Conf. Alphonſus de Caſtro auctor catholicus fatetur, velle rationibus evincere Scripturam eſſe veracem, dementiam eſſe; ſicut ſi quis vellet rationibus probare prima alicujus ſcientiæ principia. Reſp. Diſt. Ant. quoad 1mum membrum. Eſt principium ſtricte dictum, id eſt per ſe notum, ac evidens, Neg. Ant. in ſenſu latiore, & quod ulterius debet probari, Conc. Ant. quoad hoc membrum, & Diſt. etiam alterum, eſt ab utraque parte receptum ex eodem fundamento, ac motivo, Neg. Ant. aliter, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Catholici exiſtentiam Scripturæ probant ex traditione, & auctoritate Eccleſiæ, quam quia adverſarii rejiciunt, debent aliud certum fundamentum afferre, niſi ipſimet Religionem chriſtianam ſubruere velint, quamquam illa primis temporibus ſalva ſtetit, etſi necdum Evangelia ſcripta fuerint. Ad Conf. Alphonſus loquitur de iis, qui aliunde Scripturam tanquam verbum Dei agnoſcunt, apud quos utique dementia eſſet de ejus veracitate dubitare, aut eam ulteriore ratione fulcire velle.

325 Dices 2. Scriptura ipſa ſibi ſufficiens teſtimonium perhibet; ſæpe enim unus liber canonicus citatur ab alio, & frequenter in illis legi-

legitur: *Hæc dicit Dominus, Dominus locutus est;* ergo. Conf. Testimonium Dei scilicet Scripturæ, majus est, quam testimonium hominum, seu definitio Ecclesiæ; hinc Christus Joan. 5 v. 34 dicit: *Ego non ab homine testimonium accipio.* Resp. Neg. Ant. Non omnes libri canonici citantur ab aliis, aut se canonicos esse asserunt, præsertim quoad singula capita, & omnes partes contentas. Quod si etiam hoc assererent, de hac ipsa assertione rediret quæstio, An sit verbum divinum, vel impostura alicujus hominis? Adde, quod in libris canonicis nonnunquam etiam citentur libri gentilium, & Poetarum. Sic S. Paulus epist. ad Tit. cap. 1 v. 12 citat librum Epimenidis. Ad Conf. Dist. Ant. Testimonium Dei majus est, quam testimonium hominum secundum se, & ut procedens ab hominibus fallibilibus, Conc. Ant. prout testimonium hominum est affectum infallibili assistentia Spiritus sancti, Subdist. si constet, quod sit testimonium Dei, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Christus loc. cit. tantum voluit dicere, quod non indigeat testimonio hominum, eo quod sufficienter de ipso testentur sua opera. Interim ipsa Scriptura dicit, Joannem missum esse, ut testimonium de Christo perhiberet.

Obj. 2. Ex ipsa Dei providentia satis colligitur, quod detur Scriptura sacra: ergo ad illam cognoscendam non requiritur auctoritas Ecclesiæ. Ant. Prob. In qualibet republica ordinata debet dari lex aliqua scripta: ergo etiam in vera Dei Ecclesia, alias Deus minus provide illam gubernaret, ut sæpius argumentati sumus. Conf. Religio christiana est Religio revelata, & infallibilis: ergo in illa debet dari infallibile verbum Dei. Resp. Si adversarii his, & similibus argumentis utuntur, 326

jam Scripturam non probant ex sola Scriptura, sed ad alia confugiunt. In forma Neg. Ant. Ad Prob. Transf. Ant. Neg. Conf. Si antecedens verum esset, tunc quia alias non haberetur sufficiens medium rempublicam rite gubernandi: at Dei providentia non est ad Scripturam alligata, sed innumeris aliis modis potest succurrere. Sic ante legem scriptam Moysis providentissime gubernavit mundum, & Ecclesiam, quæ cum Adamo cœpit, & tamen per annos plus quam bis millenos nulla fuit Scriptura, sicut neque ab initio Ecclesiæ christianæ; hinc quando nos paritate cum republica usi sumus, semper ostendimus, quod Deus illa media, quæ a sectariis assignantur, adhibere noluerit, ideoque aliud admittendum esse. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. Debet dari verbum Dei scriptum, vel non scriptum, Conc. Conf. necessario scriptum, Neg. Conf.

327 Dices 1. Pro existentia sacræ Scripturæ pugnant ferme eadem motiva, quæ attulimus pro veritate Religionis catholicæ, nempe antiquitas, & mirabilis conservatio Bibliorum, puritas, sanctitas, & majestas doctrinæ, mirabilis consensus auctorum, impletio vaticiniorum in ea contentorum, miracula in confirmationem Scripturæ facta: ergo. Resp. Dist. Ant. pugnant eodem modo, Neg. Ant. non eodem modo, Transf. Ant. Neg. Conf. Nulla convincenti ratione ostenditur, quare 1 libri sola humana industria conscripti non potuerint tanto tempore conservari, cum etiam citra specialem Dei providentiam diutissime conservati sint libri Aristotelis, Ciceronis, Senecæ, Confutii &c. 2. Neque consensus Auctorum, neque puritas doctrinæ tanta est, ut absolute non pos-

possit cadere in libros ab hominibus scriptos, imo in Scripturis reperiuntur multæ apparentes antilogiæ, & in libris Exodi, Genesis, Job. &c. quædam leguntur, quæ sua sanctitate illorum divinitatem non indicant. 3. Maxima pars librorum præsertim novi testamenti non continet vaticinia, & impletio illorum, quæ continentur, absque auctoritate Ecclesiæ neutiquam est manifesta: dum econtra libri Sybillarum multa continent vaticinia postea impleta. 4. De miraculis solum constat ex traditione, quam adversarii dicunt esse fallibilem; neque miracula pro singulis Scripturæ libris, multo minus pro hac, vel illa versione facta sunt, quamvis Deus etiam potuisset patrare miracula pro veritate doctrinæ mere humanæ, quæ reipublicæ valde utilis fuisset. Vid. num. 314.

Dices 2. Nisi Scriptura ex his criteriis satis cognosceretur, illam pro verbo Dei non agnovissent innumeri viri doctissimi; hinc ipse Bellarminus ex illis probat existentiam Scripturæ. Conf. Epistola Regis attente eam inspicientibus longe melius cognoscitur ex charactere, & sigillo Regio, quam ex testimonio tabellionis: ergo etiam Scriptura attente legentibus se melius prodit, quam per authoritatem Ecclesiæ. Resp. Neg. Ant. Viri docti, & pii Scripturam pro verbo Dei agnoverunt propter authoritatem Ecclesiæ, & quamvis Bellarminus ad illam probandam alia criteria adhibeat, non dicit illa esse convincentia; atqui ut Scriptura serviat pro regula fidei debet haberi certitudo de ejus existentia, sensu &c. Ad Conf. Transf. Ant. Nam certitudo de epistola Regis non semper potest haberi ex charactere, & sigillo, Neg. Conf. Tabellio non habet infallibilem auctoritatem sicut Ecclesia; 328

hinc utique ex aliis signis melius colligi potest epistola Regis: at Scripturam esse a Deo, non aliunde satis apparet, alias circa illam non amplius essent tot lites. Certe allata criteria non magis probant existentiam Scripturæ, quam veritatem Religionis catholicæ, imo minus, cum hanc teneamur necessario amplecti. Si ergo sectarii ex his fundamentis admittunt Scripturam, longe magis debent admittere veritatem Religionis catholicæ.

329 Obj. 3. Scriptura nos non ablegat ad auctoritatem Ecclesiæ, sed ad ipsam Scripturam, & discussionem, quæ fit per spiritum internum, & privatum; nam Christus ipse Joan. 5 v. 36 ait: *Scrutamini Scripturas, illæ testimonium perhibent de me;* & ita fecerunt Berœenses, cum Paulum prædicantem audissent; quippe ut Actor. 17 v. 11 dicitur: *Susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* Conf. Apostolus 1 ad Thess. 5 v. 21 ait: *Omnia probate, quod bonum est, tenete:* ergo. Resp. Neg. Ant. Quamvis lectio Scripturæ sit perquam utilis illis, qui capaces sunt, non ideo ope solius spiritus privati sufficit ad dirimendas quaslibet fidei controversias. Hinc Christus loc. cit. se Filium Dei esse Judæis non solum probavit ex veteri testamento, quod ipsimet tanquam verbum divinum recipiebant, sed etiam ex testimonio Joannis Baptistæ, ex suis operibus, & voce paterna cælitus delapsa: *Hic est Filius meus dilectus*, Matth. 2 v. 17. Berœensibus nondum constabat Paulum esse verum Apostolum, nec illi statim tenebantur credere, nisi prius viderent miracula, aut alias credendi rationes haberent; hinc cum Paulus illis Christum probaverit ex Prophetarum oraculis, meri-

merito in Scripturis quæsiverunt, an hæc ita se haberent. Ad Conf. Apostolus loquitur de Prophetiis quibusdam dubiis, quæ circumferebantur, horum examen commendat Thessalonicensibus, non omnibus promiscue, sed illis, ad quos pertinebat, ferme sicut liber, qui examinandus mittitur Academiæ, censetur tantum committi doctoribus illius facultatis, ad quam pertinet argumentum libri.

Dices 1. Si de canone, aut sensu Scripturæ res devolvitur ad auctoritatem Ecclesiæ, verbum divinum subjicitur Ecclesiæ tanquam judici; hoc indignum, quia sic verbum humanum præponeretur divino, & hoc ab illo robur suum acciperet. Conf. Tali modo fides nostra, quam Scripturis præstamus, ultimato resolveretur in auctoritatem Ecclesiæ. Resp. Neg. Maj. Ut verbum divinum proprie subjiceretur Ecclesiæ, illa in Scripturam deberet habere aliquam superioritatem, & exercere judicium auctoritatis, quo decideret, an verum sit id, quod aliunde jam constat esse verbum Dei. At juxta nos Ecclesia solum declarat, quinam libri sint verbum Dei, in quonam sensu debeant accipi &c. Unde tantum exercet judicium discretionis, quod solum indicat superioritatem in fideles, quibus verbum Dei applicat, & quidem ut adjuta Spiritu sancto, quin ideo judicium Ecclesiæ verbo Dei præponatur, aut illi robur, & firmitatem tribuat; non enim ideo Scriptura est magis vera, quia Ecclesia sic exponit, sed hæc tantum docet fideles, in quo sensu sit intelligenda. Sic nec Rex, nec lex juxta adversarios ministro subjicitur, aut robur ab illo accipit, quando hanc minister declarat. Ad Conf. Neg. Maj. sed Ecclesia verbum Dei tantum nobis applicat, & si- 330

qui-

quidem definitio Ecclesiæ non ipsamet sit locutio Dei, certo non est verbum pure humanum, sed infallibile propter Spiritus sancti assistentiam.

331 Dices 2. Propter quod unumquodque tale illud magis tale: ergo si propter auctoritatem Ecclesiæ assentimur Scripturæ, magis assentimur auctoritati Ecclesiæ; sic autem Deus indigeret testimonio hominum, & Scriptura non esset regula Ecclesiæ, sed potius Ecclesia regula Scripturæ. Conf. Saltem juxta nos ipsa Ecclesia sibi posset statuere regulam, quam in decidendis dubiis fidei sequatur; imo posset ejusmodi controversias dirimere sine verbo Dei. Resp. Trans. Ant. Quod varias patitur limitationes, Dist. Conf. si auctoritas Ecclesiæ esset motivum intrinsecum hujus assensus, quem Scripturæ præstamus, Trans. Conf. si tantum est motivum extrinsecum applicans auctoritatem Dei loquentis, Neg. Conf testimonio Ecclesiæ juxta nos non indiget Deus, sed fideles, ut verbum divinum ipsis applicetur. Hinc Ecclesia tantum est regula fidelibus, per quam Scripturam, & ejus sensum discernunt; Scriptura vero per infallibilem auctoritatem Dei applicata ipsam Ecclesiam in decidendis fidei controversiis dirigit. Ad Conf. Neg. utramque sequelam. Scripturam tanquam regulam statuit ipse Deus, & Spiritus sanctus, qui Ecclesiam infallibiliter ad illam discernendam dirigit, cumque Ecclesia nullas novas revelationes dicatur accipere, controversias fidei debet decidere secundum revelationes, quæ dantur in Scriptura, & traditionibus, & per has a Spiritu sancto docetur.

332 Obj. 4. Controversiæ, quæ non possunt decidi ex sola Scriptura, non pertinent ad substantiam fidei, sed ad tricas scholasticas: ergo Scri-

Scriptura manet regula adæquata fidei. Conf. Sacra Biblia ideo ſcripta ſunt, ut habeamus regulam fidei, & morum: ergo quidquid non continetur in Scriptura, non eſt de fide. Reſp. Neg. Ant. Alias pari jure poſſet dici, quod ad ſalutem ſufficiat credere Deum unum & trinum, remuneratorem boni, & mali, cætera autem omnia pertinere ad controverſias ſcholaſticas, ad quas opus non eſt regula infallibili, & ideo injuſte damnatos eſſe Arrium, Neſtorium &c. Ad Conf. Diſt. Ant. Et hic finis eſt ſoli Scripturæ proprius, Neg. Ant. non eſt ſoli Scripturæ proprius, Conc. Ant. & Neg. Conſ. ſi hic finis ſoli Scripturæ proprius eſſet, deberet illa complecti omnia, quæ ad fidem pertinent, quod falſum eſſe oſtendimus. Imò cum plurima non ideo ſcripta fuerint, quia neceſſario credenda ſunt, ſed viciſſim ideo neceſſario creduntur, quia ſcripta ſunt, finis præcipuus Scripturæ non videtur eſſe, ut ſit regula fidei, ſed ut ſit commonitorium quoddam utile ad conſervandam & fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam, & ut variis exemplis, documentis, & adhortationibus nunc terrendo, nunc inſtruendo, nunc minando, nunc conſolando adjuvaret nos in hac peregrinatione, quem finem expreſſit Apoſtolus ad Rom. 15 v. 4: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.*

QUÆSTIO IV.

An traditiones ſint regula fidei?

SIcut in republica civili eadem vis & robur eſt approbatæ conſuetudinis, & legis ſcriptæ L. 333
diuturna ff. de legibus: ita verbum traditum eandem

dem vim habet cum verbo ſcripto, nempe traditiones eccleſiaſticæ vim eandem, quam habent decreta, & conſtitutiones Eccleſiæ, traditiones divinæ, & apoſtolico-divinæ, de quibus hic potiſſimum loquemur, vim eandem, quam habent libri canonici. Hinc concilium Tridentinum poſtquam ſeſſ. 4 decreto de libris canonicis docuit Evangelii veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, addit: *Traditiones divinas, & apoſtolicas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes pari cum libris canonicis pietatis affectu, & reverentia ſuſcipiendas, & venerandas eſſe.* Ratio manifeſta eſt, quia verbum Dei ſuam auctoritatem, & momentum non habet a charta, & calamo, ſed ex eo, quod ſit dictum a Deo, neque hoc negare poſſunt, aut ſolent hæretici; negant autem pertinaciſſime ſuppoſitum, quod traditiones divinæ, aut divino-apoſtolicæ exiſtant.

334 Dicendum 1. Traditiones divinæ, & apoſtolicæ ſunt infallibilis regula fidei. Ita omnes Catholici contra Luther. Calvin. aliosque hæreticos antiquos, de quibus meminit S. Auguſtinus, Irenæus, Hilarius &c. apud Bellarm. lib. 4 de verbo Dei cap. 8. Prob. 1. Dantur in lege Evangelica traditiones divinæ, & apoſtolicæ: ergo ſunt infallibilis regula fidei, & morum. Conſ. patet ex num. ſuperiore. Ant. Probat. auctoritate Scripturæ, in qua ſæpe affirmatur, Chriſtum, & Apoſtolos multa docuiſſe, quæ non ſunt ſcripta in libris canonicis. Joan. 16 v. 12 Chriſtus ait: *Habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*; dixit autem illa poſt reſurrectionem: *Per dies 40 apparens eis, & loquens de regno Dei*, Act. 1 v. 3, & tamen de his pauciſſima ſcripſerunt Evangeliſtæ; quin S. Joannes cap. ult. v. ult. aperte

te dicit : *Sunt autem & alia multa, quæ fecit JEsus, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Idem Apostolus epist. 2 & 3 ad discipulos suos dicit, quod licet multa haberet, quæ scriberet, tamen noluerit per chartam scribere, eo quod speret ad ipsos os ad os loqui. S. Paulus 2 ad Thessal. 2 v. 14 scribit : *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Conf. Apostoli primario a Christo jussi sunt prædicare Evangelium, non scribere, & licet omnes illud prædicaverint, paucissimi tamen scripserunt, & S. Joannes primum in senectute : ergo non omnia, quæ prædicarunt Apostoli, postea scriptis consignarunt.

Probatur 2 ex praxi Ecclesiæ, auctori- 335
tate conciliorum, & SS. Patrum. Nam 1 jam sæculo III potissimum ex traditione pugnatum est contra hæresim Novatianam & Pauli Samosateni, sæculo IV contra Arium, & Macedonium, sæculo V contra Eutichetem, & Nestorium. 2. Concilium Nicænum II act. 6 & 7 anathemate ferit, *qui traditionem Ecclesiæ, sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverint.* Idem postea statuit Constantinopolitanum generale IV. act. 8, & Tridentinum decreto supra citato. 3. S. Chrysostomus Homil. 4 in epist. Pauli ad Thessal. ait : *Patere, quod non omnia per epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine litteris ; & eadem fide digna esse tam illa, quam ista* ; S. Epiphanius hæresi 61 : *Oportet autem & traditione uti, non enim omnia a divina Scriptura possunt accipi* ; S. Basilius lib. de Spirit. sancto cap 20 : *Dogmata, quæ in Ecclesia servantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recepimus, quæ utraque eandem*

dem ad pietatem vim habent. Similia de S. Clemente, Dionyſio, Juſtino, Irenæo, Athanaſio, Auguſtino refert Bellarm. lib. cit. cap. 7.

336 Probatur concluſio 3 ratione. In lege naturæ, antequam Moyſes ſcripſit libros canonicos, multi fuere juſti, & Deo grati, & nondum habebant verbum Dei ſcriptum, ſed tantum oretenus ad poſteros derivatum. Idem erat in lege nova, antequam doctrina Christi & Apoſtolorum fuit chartæ mandata, imo teſte S. Irenæo lib. 3 cap. 4 ſub finem ſæculi II adhuc erant gentes chriſtianæ integerrime viventes, quæ Scripturas non habebant: ergo traditiones ſunt ſufficiens regula fidei divinæ, ſine qua in ſtatu elevationis ſupernaturalis, impoſſibile eſt placere Deo; hinc etiam Judæi vigente jam lege Moyſis uſi ſunt traditione, ut teſtatur Origenes Homil. 5 in Num. Hilarius in Pſal. 2, & Anatolius antiquiſſimus auctor apud Euſeb. lib. 7 hiſt. cap. 28. Ex hac crediderunt mortuorum reſurrectionem, juſtorum æternam beatitudinem, peccati originalis condonationem &c. Conf. Tenemur fide divina credere, quod detur Sacra Scriptura, quod omnes libri ſaltem proto-canonici ſint verbum Dei, quod Chriſtus deſcenderit ad inferos &c.; hæc autem habemus ex ſola traditione; hinc ipſi Brentius, & Kemnitius fatentur, traditionem de exiſtentia Scripturæ eſſe recipiendam. Atſic traditio jam poteſt eſſe verbum divinum, & ad nos incorrupta perferri; imo abſolute loquendo traditiones poſſent ad fidem ſufficere, ſine Scriptura, licet Scriptura ſine traditione non ſufficiat. Nihilominus

337 Dicendum 2. Traditiones non ſunt regula fidei adæquata, & ſufficiens. Prob. Ex una parte multæ veritates fidei per Scripturam ad nos pervenerunt; ex altera parte neque ex ip-

ipsa traditione, neque ex spiritu privato, neque ex Scriptura certo discerni potest, an aliqua traditio sit legitima, & apostolica, & sicut in antiquo testamento traditiones mere humanas pro divinis venditarunt, ita non solum hæretici, sed etiam quidam ex Catholicis apostolicæ traditionis nomine decepti, & abusi sunt: ergo debet dari adhuc alia regula, quæ traditiones divinas, & apostolicas nobis infallibiliter applicet; nempe auctoritas Ecclesiæ; quemadmodum diximus, quod per illam nobis debeat applicari verbum divinum scriptum, declarando quinam libri sint vere sacri. Interim ad ejusmodi applicationem non semper requiritur expressa, & specialis definitio Ecclesiæ; sed sufficit tacita, & generalis declaratio, quæ habetur per universalem Ecclesiæ praxin, & communem Patrum, & fidelium sensum pro dogmate fidei aliquid habentium; hinc ad traditiones legitimas discernendas, ulterius statui solent sequentes regulæ.

Regula 1. Quando universalis Ecclesia tenet aliquid tanquam dogma fidei, nec tamen reperitur in sacra Scriptura, habetur ex doctrinali traditione apostolica; cum enim tota Ecclesia errare nequeat, quidquid credit fide divina, est revelatum: ergo si non in Scriptura, per traditionem. 2. Si Patres seorsim scribentes communi sensu dicunt aliquid descendere per traditionem apostolicam, illud indubie est tenendum, quia tunc consentit universalis Ecclesia. Imo Bellarminus putat sufficere, si aliqui antiquiores Patres id afferant, & reliqui illius meminerint, nec contradicant. 3. Si universa Ecclesia aliquid observat, quod a solo Deo, vel Christo institui potuit, quin sit scriptum in libris canonicis, habendum est pro traditione 338

morali divina, quia Ecclesia æque parum potest errare circa cultum, & ritus sacros e. g. baptismum parvulorum, quam circa fidem; ergo nihil eorum, quæ sine institutione divina servari nequeunt, servat, quin sit a Deo institutum. 4. Licet aliquid ab ipsa Ecclesia institui potuerit, si tamen ab universa Ecclesia semper fuerit observatum, quin sciatur hujus observationis initium, merito creditur ab Apostolis institutum, ut docet S. Augustinus lib. 4 de Baptis. cap. 24. Sic credimus jejunium quadragesimale ab Apostolis institutum esse. 5. Si autem constet aliquid primum post tempora Apostolorum vel a conciliis, vel a Papa, aut aliis Prælatis Ecclesiæ cum consensu populi esse inductum, tunc est traditio ecclesiastica necessaria, vel libera.

Objectiones.

339 OBj. 1. Juxta S. Scripturam verbo Dei nihil licet addere: ergo non dantur traditiones divinæ. Ant. Prob. Deuteron. 4 v. 2 dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Item cap. 12 v. 32: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* Cui simile est illud Proverb. 30 v. 6: *Ne addas quidquam verbis Dei.* Conf. Deuteron. 17 jubemur credere, ac facere, non quæcunque docuerint Sacerdotes, sed quæ docuerint juxta legem Domini: atqui quæ solum per traditionem nobis innotescunt, sunt præter legem Domini: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Cum traditiones divinæ, & apostolicæ etiam sint verbum Dei, eidem nihil addimus, aut detrahimus admittendo traditiones, sed potius hæretici illas negando, verbo Dei detrahunt. Profecto Prophetæ, & Apostoli multa addi-

addiderunt libris Moysis. Unde textus objecti solum volunt, nihil addi debere verbo Dei scripto, & tradito. Dein quomodo adversarii sine traditione sciunt, hos textus vere in Scriptura contineri? cur non implent, quod in eodem Deuteronomii libro præcipitur, videlicet ut in dubiis ad Sacerdotes, & Ecclesiam recurramus, & illorum sententiam sequamur. Ad Conf. Transf. Maj. Dist. min. Quæ per traditionem innotescunt, sunt præter legem scriptam, Conc. min. etiam præter legem traditam, Neg. min. & Conf.

Dices 1. Postquam S. Joannes cap. 20 v. 340
31 dixit, Christum multa alia signa fecisse, quæ non sunt scripta, addit: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quod JEsus est Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis.* Imo facta Christi non sunt verbum divinum: ergo saltem in Scriptura continentur omnia, quorum notitia ad salutem est necessaria. Conf. ex 2 ad Timoth. 3 v. 16 & 17: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum &c., ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Ex hoc textu solum probatur, quod miracula a D. Joanne scripta sufficiant ad faciendam fidem de divinitate Christi, non item quod sufficiant ad omnia alia credenda, & agenda. Porro sicut ex illis factis Christi, quæ scripta sunt, vix ullum est, quod non memorabili aliquo dicto illustravit, ita haud dubie factis non scriptis quædam memorabilia dicta addidit, nec est verisimile omnia illa dicta penitus interiisse, quin in corde discipulorum conservata, & ad posteros transmissa sint. Ad Conf. Apostolus solum docet, omnem Scripturam ad perfectam hominis institutionem esse utilem, quo non obstante adhuc alia ad eundem finem utilia, & ne-

ceſſaria eſſe poſſunt, alias S. Joannes fruſtra ſuum Evangelium poſtea ſcripſiſſet.

341 Dices 2. S. Scriptura traditiones poſitive reprobat; nam Marci 7 v. 7 dicitur: *In vanum me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum*; Matth. 15 v. 6: *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*; Ad Coloſſ. 2 v. 8: *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditiones hominum.* Conf. S. Joannes Apoc. 22 v. 18 minatur: *Siquis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Reſp. Diſt. Ant. Reprobat traditiones divinas, & apoſtolicas, Neg. Ant. mere humanas, Subdiſt. ſi ſint vanæ, vel legi Dei adverſentur, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. S. Marcus, & Matthæus agit de traditionibus mere humanis Phariſæorum, quæ vel legi divinæ erant adverſæ, vel ſaltem eidem præpoſtere anteponebantur: has quoque rejicit S. Paulus; at nos hic agimus de traditionibus divinis, & apoſtolicis, neque illas verbo Dei ſcripto anteponimus, ſed, ut par eſt, æquiparamus. Ad Conf. S. Joannes ſolum prohibet, ne Prophetiæ in apocalypſi ſcriptæ corrumpantur ad illas apponendo aliquid tanquam earum partem, quod tamen non ſit earum pars.

342 Dices 3. S. Paulus ad Galat. 1 v. 8 ait: *Licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Atqui nos per traditiones evangelizamus aliquid, præter id, quod S. Paulus evangelizavit, ut advertit S. Auguſtinus lib. 3 contra litteras Petiliani cap. 6: ergo. Conf. Quando idem Apoſtolus 2 ad Theſſal. 2 commendat traditiones, ſolum loquitur de illis, quæ vel ab ipſo, vel ab aliis poſtea ſcriptæ fuerunt, ut advertit Kemnitius. Reſp. Conc. Maj.

Maj. Neg. min. Tum quia S. Paulus non loquitur determinate de verbo ſcripto, ſed potius de illo, quod Galatis oretenus annunciavit; tum quia juxta SS. Chryſoſt. Ambroſ. Hieronym. &c., apud Bellarm. cap. 5 & 10 to *Præterquam* idem ſignificat, ac contra, cum utique in illa epiſtola Galatis non prædicaverit omnia, ſed multa alia poſtmodum docuerit, & S. Joannes etiam ſuum Evangelium, & apocalypſin poſtea ſcripſerit. S. Auguſtinus vocem *Præterquam* ſumit in eodem ſenſu, quo illam accepit S. Paulus, cujus verba ibidem recitat. Ad Conf. Neg. Ant. Quod Apoſtolus non tantum loquatur de traditionibus a ſe ſcriptis, patet ex ipſis verbis: *Sive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*, & alias omnis doctrina Pauli in eadem epiſtola deberet contineri. Quod vero omnes ſermones Pauli ab ipſo, vel aliis Evangeliſtis poſtea ſcripti fuerint, aſſeritur ſine fundamento, & contra expoſitionem Patrum, ut oſtendit Bellarm. lib. 4 de verbo Dei cap. 5.

Obj. 2. S. Cyrillus lib. 12 in Joan. cap. 343
ult. S. Auguſtinus tract. 49 in Joan. aliique Patres ſæpe docent, in Scriptura contineri omnia, quorum notitia neceſſaria eſt ad fidem, & mores: ergo fruſtra admittuntur traditiones. Conf. S. Irenæus lib. 3 adverſ. hæreſ. cap. 1 teſtatur, Apoſtolos omnia, quæ prius prædicaverunt, poſtmodum per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradidiſſe. Reſp. Diſt. Ant. Quorum notitia explicita eſt neceſſaria neceſſitate medii, vel præcepti, & quidem omnibus, Tranſ. Ant. etiam reliqua, Subdiſt. ea contineri in Scriptura explicite, & clare, Neg. Ant. implicite, & obſcure, Tranſ. Ant. & Neg. Conſ. Duplicis generis ſunt, quæ ad fidem, & mores pertinent: quorumdam notitia expli-

cita per se est omnibus necessaria necessitate præcepti, vel medii; hæc omnia in Scriptura contineri admittit Bellarminus, & nos transmittimus; aliorum notitia explicita per se est tantum necessaria toti Ecclesiæ, vel certis personis, Episcopis, Doctoribus &c. Ex his in Scriptura quædam ad summum continentur implicite, quatenus illa adstruit infallibilem auctoritatem Ecclesiæ; si ex traditione divina aliquid nobis credendum proponit: ut observat S. Augustinus lib. 1 contra Cresconium cap. 33. Ad Conf. S. Irenæus loco objecto solum ait, quod Apostoli Evangelium, quod prædicarunt, scripto reliquerint, quod de aliquibus ipsimet asserimus, quin ideo sequatur, illos præter Evangelium a se scriptum nihil prædicasse.

344 Dices 1. SS. Patres traditiones positive reprobant; ajunt enim, *in rebus obscuris cohiberi debere humanam præsumptionem. Nihil in rebus fidei asserendum sine testimonio Scripturæ. Sine Scriptura sensum, & enarrationem nostram non habere fidem, eademque facilitate contemni, qua adstruitur*; Ita rursus S. Augustinus de peccat. merit. cap. 36, Origenes Homil. 1 in Jerem., Hieronym., Chrysost. &c. Conf. S. Cyprianus epist. ad Pompejum ex professo impugnat traditiones: ergo. Resp. Neg. Ant. SS. Patres solum volunt, fidei dogmata non debere probari ex proprio cujuslibet sensu, præsumptione humana, privata quorumdam enarratione, & traditione mere humana, nec satis manifesta, præsertim ubi clara Scripturæ testimonia haberi possunt; nihil horum facit, qui ad traditiones divinas ab Ecclesia approbatas confugit; cum enim ejusmodi traditiones dari ipsa Scriptura doceat, jam nihil agit sine auctoritate, & testimonio Scriptu-

pturæ. Ad Conf. S. Cyprianus tantum rejecit traditionem de Baptiſmo ab hæreticis conferendo, quia putavit illum eſſe contra Scripturam, cumque hunc errorem tueri vellet, mirum non eſt, quod more errantium tunc fuerit ratiocinatus; hinc ejus epiſtola refellitur a S. Auguſtino lib. 5 contra Donatiſt. cap. 23.

Dices 2. Scriptura juxta SS. Patres eſt co- 345
lumna, & fundamentum fidei: ergo non traditiones. Conf. S. Baſilius ſerm. de confeſſ. fidei dicit, *Infidelitatis argumentum fore, & ſignum ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum, quæ ſcripta ſunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, quæ non ſcripta ſunt, introducere.* Theophilus vero Alexandrinus lib. 2 paſchali aſſerit: *Diabolici ſpiritus eſſe, aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum.* Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sicut per hoc, quod Eccleſia dicatur columna, & fundamentum fidei, non excluditur Scriptura; ſic non excludit traditiones, qui aſſerit Scripturam eſſe fundamentum fidei. Ad Conf. S. Baſilius ibi agit de non adhibendis temere vocibus, quæ in Scriptura fundamentum non habent, & hæreſis, vel erroris ſuſpicionem movere poſſent; unde loquitur de illis, qui introducunt voces, ac ſententias a doctrina Dei alienas. Theophilus non rejicit traditiones ab Eccleſia approbatas, ſed agit contra Origenem in tractatibus de fide nimium tribuentem ſophiſmatis. Alii dicunt, illum loqui de libris apogryphis, quos aliqui pro divinis obtrudebant, ac proin ſolum velle, diabolicum eſſe alios libros velle habere pro divinis, quam quos tanquam canonicos Eccleſia recipit. Verum ne bibliothecam Patrum ſcribere debeamus, & quia aliunde certo conſtat, juxta illos dari traditiones divinas, & apoſto-

licas, juvat responsiones quasdam generales attexere, speciales videri possunt apud Bellarminum de verbo Dei lib. 4 cap. 9.

346 Itaque 1. Patres sæpe tantum negant, ut divinas esse habendas traditiones mere humanas, contentas in libris apocryphis, aut aliis Scripturæ dogmatis contrarias. Ut supra de Augustino, & Origene dixi. 2. Quando docent articulos fidei ex Scripturarum consequentia deduci posse, non addunt ex sola, ut Epiphan. hæresi 61, vel si etiam dicant, Scripturam ad instructionem sufficere, loquuntur de subjecta materia, & particulari quæstione tunc agitata, uti Tertul. libro contra Hermogenem. 3. Quandoque ad Scripturas provocant, quia traditio adhuc est dubia, & obscura, uti Origenes in cap. 3 ad Roman., vel quia ex sola Scriptura hæretici satis confutari poterant, uti sæpius fecit S. Augustinus. 4. Quando dicunt, Scripturæ nihil esse addendum, intelligunt ex mente propria, vel quod est contra Scripturam, uti Cyrill. lib. de recta fide. 5. Textus Patrum non raro a sectariis male allegantur. Sic ad textum S. Athanasii contra gentes addunt particulam *omnem*, textum S. Hieronymi ex commentario in caput 1 epist. ad Titum detruncant. Homilias in Matth. tribuunt S. Chrysostomo, quarum testimonia auctorem esse ex asse Arianum demonstrant. Homilias in Leviticum adscribunt D. Cyrillo, cum tamen constet, illarum auctorem esse Origenem, vel alium, qui præ sensu litterali mysticos captat, & accommodatitios.

347 Obj. 3. Ex una parte traditiones sunt tantum verba hominum: ex altera parte sunt expositæ innumeris depravationibus, fraudibus, & mendaciis: ergo non sunt regula fidei. Conf. Quæ

Quæ de aure in aurem tranſeunt, imperitia, negligentia, oblivione, aut perverſitate, longo temporis ſpatio facile corrumpuntur, vel omnino pereunt ; ſed traditiones de aure in aurem tranſeunt: ergo. Reſp. Diſt. Ant. quoad 1mum membrum, ſunt verba hominum inſtrumentaliter, Conc. Ant. originaliter, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & Diſt. etiam quoad 2dum, ſunt expoſitæ fraudibus ; attamen per ſpecialem Dei providentiam ſervatæ integræ, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conſ. traditiones ſunt vera locutio divina, a Deo profecta, licet ad nos non perveniant, niſi per verba hominum tanquam inſtrumenta ſicut ipſa Scriptura. Præterea quemadmodum ad providentiam Dei pertinet, ne ſacra Biblia intereant, aut pernicioſus error in fide, & moribus in illa irrepat, ita ad illam ſpectat providere, ne traditiones legitimæ pereant, aut genuinis ſpuriæ admiſceantur. Hinc ad Conſ. Diſt. Maj. niſi accedat peculiaris Dei cura, & providentia, Conc. Maj. ſecus, Neg. Maj. in lege naturæ ante Moyſem ultra bis mille annos erat vera Eccleſia ſine errore in fide, & ſine Scriptura.

Dices 1. Admiſſis traditionibus datur oc- 348
caſio fingendi, & in Eccleſiam introducendi multos errores, cum non ſatis conſtet, quænam ſint legitimæ, aut quibus mediis tanto tempore fuerint conſervatæ. Conf. Conſtantinus Imperator in concilio Nicæno monuit, ut quæſtio cum Arrio controverſa ex ſolis libris evangelicis, & Prophetarum oraculis decideretur, eo quod plene nos inſtruant, quid de rebus divinis ſentiendum ; neque Patres ſe oppoſuerunt: ergo tunc nulla fuit habita ratio traditionum. Reſp. Neg. Ant. Huic incommodo præcavetur per auctoritatem Eccleſiæ, ad

quam pertinet judicare, quænam traditio sit vera, quænam ſuppoſititia, & falſa, in quo Eccleſia errare nequit, licet errare poſſint homines privati. Certum porro eſt, Deo non deeſſe media legitimas traditiones conſervandi, quin illa nota nobis eſſe debeant. Interim talia eſſe poſſunt ſcripta Patrum & doctorum Eccleſiæ, uſus continuus, continua ſucceſſio Paſtorum, ſymbolum Apoſtolorum, Acta conciliorum, antiqua monumenta e. g. templa, imagines, ac denique ipſæ hæreſes, & inde nata omni tempore ſtrenua veritatis propugnatio. Ad Conf. Patres Conſtantino Imperatori, cujus auctoritas non multum probat, tantum eatenus conſenſerunt, quatenus Arianos, qui ſolam Scripturam admittebant, ſufficienter ex illa confutari poſſe credebant, ſed cum poſtea hæretici verba Scripturæ male interpretarentur, damnati ſunt juxta verbum traditum, ut obſervat Theodoretus lib. 1 cap. 7.

349 Dices 2. Catholici hodie jactant multa pro traditionibus apoſtolicis, quæ diu poſt Apoſtolos ſunt ſtatuta: e. g. circa canonem Miſſæ, verba conſecrationis, mixtionem aquæ cum vino conſecrando &c. apud Kemnitium. Conf. Ipſi Patres per traditiones decepti ſunt; nam ex illis Papias, & Tertullianus &c. intulerunt errorem millenariorum, Irenæus Chriſtum paſſum eſſe anno ætatis 50. Ex iisdem Græci receperunt 85, & Latini priores 50 canones Apoſtolorum, qui tamen ab eruditis habentur tanquam ſuppoſititii. Reſp. Neg. Ant. Oppoſitum oſtenditur in materiis particularibus, ibi patebit falſum eſſe, quod ullus Catholicus dicat, totum canonem Miſſæ haberi ex traditione apoſtolica, cum in eo fiat commemoratio Sanctorum, qui diu poſt Apoſtolos vixerunt. Item falſum eſſe, quemquam Pontificum ad ver-

verba consecrationis aliquid addidisse, aut Alexandrum III statuisse aquam vino miscendam, cum in sua epistola (si tamen sua est) aperte dicat, eam mixtionem a Patribus, & ratione doceri. Ad Conf. Trans. Ant. Quia error Papiæ, & Irenæi, magis ex Scriptura, quam traditione fuit propugnatus, Neg. Conf. Inter traditiones veras, & falsas discernere non est aliquorum duntaxat Patrum, sed Ecclesiæ; hæc autem istas traditiones nunquam publico judicio, aut universali consensu, & praxi approbavit, neque canones, qui Apostolorum dicuntur, pro vere Apostolicis agnovit, sed Gelasius Papa illos rejecit tanquam apocryphos; quamquam negari non possit, quod olim etiam multi libros spurios pro canonicis habuerint.

QUÆSTIO V.

An Ecclesia sit regula, vel potius judex in materia fidei, & morum?

TAnti momenti est hæc quæstio, ut sola ad profligendas hæreses, & veritates catholicas ostendendas sufficere possit. Quemadmodum enim hæretici seposita Ecclesiæ auctoritate neque determinatum sensum Scripturæ, neque ipsam Scripturam, aut legitimam traditionem certo probare possunt, & consequenter nullum articulum infallibiliter certum, nullamque fidem divinam habent; ita infallibili Ecclesiæ auctoritate stabilita omnes articuli ab illa definiti sunt certissimi, & oppositi falsi, quin Ecclesia unquam deficere potuerit, sed quæ semel fuit vera, hac ratione necessario semper vera permansit. Unde modo per motiva credibilitatis vera Ecclesia inveniatur, facile omnes controversiæ terminabuntur, alias in æternum con-

confirmandæ. Procedit autem quæſtio circa res ad fidem, & mores pertinentes; quod enim Eccleſia etiam ſit infallibilis in quæſtione meri facti particularis, a Deo non revelati, & cum quæſtione juris non connexi, aut in iis, quæ tantum incidenter continentur in quæſtionibus fidei & morum per modum argumentorum, & rationum, non contendimus.

351 Dicendum 1. Eccleſia Romano-Catholica eſt judex in controverſiis fidei, & morum, ita contra omnes ſectarios certa fide tenent omnes Catholici. Prob. 1. Debet in vera Religione dari aliqua regula, & judex controverſiarum de fide, & moribus, cujus ope verum a falſo poſſimus infallibiliter diſcernere; atqui talis judex non eſt ſpiritus privatus, nec Scriptura ſola, nec traditio ſola, neque hæc omnia ſimul accepta: ergo præter hæc debet adhuc dari alius; atqui alius non eſt aſſignabilis, quam Eccleſia catholica, quam præ omnibus reliquis evidenter credibilem eſſe oſtendimus: ergo. &c. In hoc diſcurſu nihil eſt, quod non ſufficienter conſtet ex dictis. Profecto cum Religio chriſtiana ſit revelata, & ſupernaturalis, continentque plura myſteria naturam longe excedentia; illa non niſi ex aliqua auctoritate cognoſci poſſunt, præſertim ab indoctis, qui nec Scripturam conſulere, nec ſpiritum privatum diſcernere valent. Conf. Validiſſime ex continua praxi, juxta quam controverſiæ de vera Religione ſemper ad Eccleſiam delatæ, illiusque judicio deciſæ ſunt, uti ſæculo I cauſa de obſervatione ceremoniarum veteris legis, ſæculo II cauſa Quartodecimanorum, & Meletii, ſæculo III cauſa Montaniſtarum, & Novatianorum, ſæculo IV Donatiſtarum, Arianorum, Macedonianorum, ſæculo V Pelagianorum, Neſtorianorum, Eutichi-

tichianorum, & ſic de aliis, qui ex ſola Scriptura convinci non poterant.

Probatur 2 contra eos, qui Scripturam aliunde admittunt. Deus in Scriptura fideles ſæpe jubet audire Eccleſiam, ejusque ſententiæ in controverſiis fidei acquieſcere: ergo Eccleſia a Deo eſt conſtituta harum controverſiarum judex. Ant. Prob. Luc. 10 v. 16 Chriſtus ad diſcipulos dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*; Matth. 18 v. 17: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*, & cap. 23 v. 3: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite.* Simile præceptum jam dederat in antiquo teſtamento Deuteron. cap. 17 v. 9, ubi Judæi jubentur aſcendere *ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, qui judicabit judicii veritatem.* Neque obſtat, quod ibi duæ tantum cauſæ exprimantur, una de ſanguine, ſeu homicidio, altera de lepra; nam Paralipom. 17 aſſignantur 4 genera: ubicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus; mandatum autem, & juſtificationes pertinent ad fidem, & Religionem. Conſentiunt omnes ſancti Patres. Omnium loco ſit S. Auguſtinus, qui lib. 1 contra Creſconium cap. 33 inquit: *Quisquis falli metuit obſcuritate hujus quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate Scriptura demonſtrat.* 352

Dicendum 2. Eccleſia Romano Catholica in rebus ad fidem, & mores ſpectantibus eſt infallibilis. Prob. 1. Vera Religio juxta inſtitutionem divinam eſt medium ad conſequendum ultimum finem neceſſarium: ergo Deus debuit nobis providere de medio veram Religio- 353

gionem inveniendi, & conſervandi; atqui non providiſſet de tali medio, niſi Eccleſia catholica, quam in controverſiis fidei, & morum judicem eſſe demonſtravimus, foret infallibilis. Quippe nullum aliud medium ſupereſſet, per quod Religionem veram a falſa, & credenda a non credendis firma, & indubitata fide diſcernere poſſemus, quandoquidem neque de Scriptura ipſa, nec de vero illius ſenſu, nec de verbo Dei non ſcripto ſine auctoritate Eccleſiæ quidquam infallibiliter ſcimus. Incerta itaque nutarent omnia, nulla amplius foret fidei unitas, ſed perpetua diſſenſio, nemo amplius condemnari poſſet tanquam hæreticus, ſed quivis poſſet dicere Eccleſiam in ſuo judicio eſſe fallibilem, & tamen Apoſtolus ad Tit. 3 v. 10 hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem vitare jubet. Conf. Rurſus ex communi uſu, & praxi fidelium, non ſolum rudium, ſed etiam doctiſſimorum, ac piiſſimorum, Regum quoque, & Imperatorum, qui decreta, & definitiones conciliorum tanquam infallibilem regulam acceperunt, profuſoque ſanguine defenderunt, dogmata vero contraria tanquam hæretica averſati ſunt.

354 Probatur rurſus 2 Auctoritate Scripturæ, & Patrum. Nam Chriſtus Matth 28 v. ult. Eccleſiæ ſuæ ſpecialem aſſiſtentiam perpetuo promiſit: *Ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſæculi*; & Joan. 14 v. 16 Spiritum ſanctum: *Rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum ſpiritum veritatis*; Matth. vero 16 v. 19 diſerte pronuntiavit, quod *Portæ inferi adverſus Eccleſiam non ſint prævaliturœ*; hinc Apoſtolus 1 ad Timoth. 2 Eccleſiam vocat *columnam*, & *firmamentum veritatis*. Hanc ipſam perpetuam infallibilitatem jam prædixerat Iſaias cap. 59 v. 20:

v. 20: *Cum venerit Sion Redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus, verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui.* Ex Patribus Irenæus lib. 3 advers. hæres. cap. 4 ait: *Ubi Ecclesia, ibi Spiritus Dei, & ubi Spiritus Dei, ibi & Ecclesia, & omnis gratia; Spiritus autem veritas;* S. Augustinus conc. 1 in Psalm. 30: *In Christo loquitur Ecclesia, & in Ecclesia loquitur Christus, & corpus in capite, & caput in corpore;* S. Hieronymus in dialogo contra Luciferi: *Poteram omnes propositionum tuarum nimbos uno Ecclesiæ sole siccare.* Quasi diceret, necesse non fuisse adversariorum propositiones conquisitis rationibus refutare, sufficere namque poterat sola Ecclesiæ auctoritas: similia habent Tertull., Ambros., Cyril. Hierosol., Vincent. Lirinens. apud P. Rassler de regula externa fidei cap. 11.

Ceterum quando dicimus, Ecclesiam esse 355
infallibilem judicem in rebus fidei, & morum, per illam intelligimus primos pastores; nempe Episcopos, aliosque Ecclesiæ Prælatos maxime summum Pontificem, non vero Principes sæculares, aut plebem, prout quidam novatores volunt. Nam 1 potestas judicandi in rebus fidei a Scriptura solum tribuitur pastoribus ecclesiasticis, nullibi Principibus laicis, aut populo, cui Regi convenit, non regere, pasci, non pascere. Sic Actor. 20 v. 28 dicitur: *Attendite vobis, & universo gregi, quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* Ad Ephes. 4 v. 11: *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Ubi nulla fit mentio principum, aut po-

populi. 2 Univerſalis Eccleſiæ praxis ſemper obtinuit, ut controverſiæ de Religione ad Pontifices, & concilia Epiſcoporum deferrentur, & ab illis judicarentur. 3. Idem paſſim docent SS. Patres, & exempla Imperatorum, Conſtantini Magni, Baſilii, Martiani &c., qui nunquam ſibi hanc poteſtatem arrogarunt; qui vero id fecerunt, a S. Athanaſio epiſt. ad ſolitar. vitam agentes vocantur abominatio deſolationis a Daniele prædicta; hinc S. Ambroſ. epiſt. ad Valentinianum Imperatorem ait: *Si conferendum de fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio*; & Theodoſius Junior epiſt. ad Epheſin. Synodum: *Nefas eſt, qui SS. Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum eccleſiaſticis negotiis, & conſultationibus ſe immiſcere.*

Objectiones.

356 OBj. 1. Ex una parte ad conſervandam unitatem, & veritatem fidei ſufficiunt revelationes divinæ per motiva credibilitatis propoſitæ: ex altera parte Eccleſia chriſtiana eſt ita diffuſa per totum orbem, ut impoſſibile ſit omnium fidelium ſententiam exquirere: ergo Eccleſia non eſt judex in cauſa Religionis. Conf. In lege naturæ, & teſtamento veteri nullus dabatur judex publicus, ac infallibilis in controverſiis fidei: ergo a pari. Reſp. Neg. Ant. quoad 1mum membrum. Quia ex ſolis motivis credibilitatis non conſtat, quænam revera ſint revelationes divinæ, aut qualem habeant ſenſum. Ad 2dum membrum Neg. ſuppoſitum, quod nomine Eccleſiæ hic intelligatur cœtus omnium fidelium, ſed ſicut reſpublica civilis cenſetur aliquid decernere, modo id decernat ſenatus, qui totam rempublicam repræſentat, ita tota Eccleſia cenſetur decerne-
re,

re, quod decernit Pontifex, & Prælati totam Ecclesiam repræsentantes. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Fideles ante Moysem fide divina ferme tantum credebant Deum Remuneratorem, Christum Redemptorem & peccatum originale, pro cujus abolitione parvulis remedium applicare debebant: ad quæ credenda sufficiebat constans, & non interrupta traditio. Pariter in lege Moysis vix inveniebantur, qui fidem synagogæ turbarent, & errores facile supprimi poterant, vel per oracula ex Arca fœderis prodeuntia, vel per judices extraordinarios, nempe Prophetas, quos Deus identidem populo suo mittebat; idololatriam vero Judæorum ipsum lumen rationis redarguebat. Adde, quod juxta communem Catholicorum sententiam tunc infallibilis Judex fuerit Pontifex saltem ut conjunctus cum Synedrio 70 seniorum; hoc tamen Synedrion non fuisse stabile, & ordinarium multis contendit Calmet in dissertatione de re politica Judæorum præfixa Commentario in librum Numerorum.

Dices. Communis causa omnium votis, & 357
viribus juvanda est; atqui causa fidei est communis omnibus fidelibus: ergo. Conf. In veteri Ecclesia disputationes de fide non semel etiam a sanctis viris institutæ sunt coram populo tanquam Judice; sic S. Ambrosius epist. 13 ad Valentinian. Imperatorem scribit: *Agitur de istius Ecclesiæ Sacerdote, si audierit illum populus, & putaverit melius disputare, sequatur fidem ejus, non invidebo.* Resp. Dist. Maj. Si talis causa omnes æqualiter tangat, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. causa fidei ad Prælatos pertinet, ut Doctores, & Pastores, ad reliquos fideles, ut discipulos, & oves. Sic bellum pro patria ad omnes pertinet, sed Principis, aut Magistratus est illud provide dispo-

 nere,

nere, civium ſubminiſtrare ſumptus, Ducum gubernare copias, militum fortiter pugnare. Ad Conf. Neg. Ant. S. Ambroſius non loquitur de judicio publico, quod profertur cum auctoritate ita, ut cæteri judicis ſententiæ teneantur acquieſcere, ſed de judicio privato, quod quisque ſuo aſſenſu amplectitur ut verum, quin alios ad idem ſentiendum obligare valeat. Nempe Valentinianus Junior adhuc juvenis, & Arianorum fautor juſſerat Ambroſium cum Auxentio Arianorum Epiſcopo de fide diſputare in conſiſtorio coram judicibus laicis, ipſo Imperatore præſide, & arbitro. Diu renuit Ambroſius, tandem ne adverſarium formidare, & Arianis victoriam concedere videretur, ſcripſit Imperatori, ſe velle comparere, ſed in Eccleſia, & coram populo, *Non ut quisquam judex reſideat, ſed unusquisque de ſuo affectu habeat examen. Eligat, quem ſequatur; agitur de iſtius Eccleſiæ Sacerdote*: quam conditionem eo ſecurius proponere poterat, quo magis ipſi perſpecta erat populi Mediolanenſis ſincera fides. Cæterum tota illa epiſtola contendit, Imperatorem, cæterosque laicos in cauſa fidei non poſſe judices eſſe.

858 Obj. 2. Principes ſæculares ſunt vicarii, & miniſtri Dei, ad Rom. 3 v. 4: ergo ſunt judices in cauſa fidei. Conf. Principes in lege naturæ erant ſacerdotes, & in lege Moſaica ſæpe in rebus ſpiritualibus judicium exercuerunt: ergo. Reſp. Diſt. Ant. Sunt vicarii, & miniſtri Dei in rebus temporalibus, Conc. Ant. in ſpiritualibus, Subdiſt. quoad executionem decretorum a Prælatis eccleſiaſticis factorum, & propugnationem fidei, Tranſ. Ant. quoad controverſias fidei judicandas, Neg. Ant.

Ant. Si Principes quandoque tulerunt leges circa res eccleſiaſticas, vel revera non erant nova decreta, ſed tantum intimationes canonum, quas Epiſcopi condiderant, vel illæ leges ante approbationem Eccleſiæ nullius erant roboris. Profectò illi Principes, qui in cauſis fidei nimium ſibi arrogarunt, conſtat in illis graviſſime hallucinatos fuiſſe. Ad Conf. Poteſtas ſacerdotalis ante Moyſem non erat ſupernaturalis, & ſolum ex conſuetudine, ac jure humano a Principibus exercebatur, in lege Moyſis Principes ſolum exercuerunt illa, quæ erant mixti fori, idque ex regali præeminentia, & protectione; poteſtatem autem ſpiritualem, & officia ſacerdotalia proprie talia nunquam habuerunt jure ordinario, quamvis jure extraordinario nonnunquam ſacerdotes fuerint, & judices, uti Moyſes, Heli, Samuel. Plura de his diſputavimus tract. de legibus, diſp. 3 q. 5 & 6.

Dices. In ipſa nova lege concilia decre- 359
ta ſua Imperatoribus ſubmiſerunt, ut concilium Arelatenſe, & Turonenſe cap. ult. & concilium Epheſinum in epiſt. ad Auguſtos. Conf. Imperatores in conciliis generalibus Nicæno I & II, in Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano III & IV præſederunt: ergo. Reſp. Diſt. Ant. Submiſerunt ſua decreta Imperatoribus tanquam judicibus, Neg. Ant. tanquam advocatis, & defenſoribus ut illorum auxilio promulgarentur, & executioni mandarentur, Conc. Ant. Neque obſtat, quod verba concilii Arelatenſis, & Turonenſis plus videantur indicare; erant enim ſolum verba urbanitatis, reverentiæ, & modeſtiæ, ſecure ſcripta, quia nihil præjudicii a piiſſimo Imperatore Carolo Magno timebatur. Ad Conf. Neg. Ant. Quod in concilio Nicæno primo non præſederit Con-

ſtantinus Magnus, teſtatur humilis ſella, quam occupavit, & conſtans ſilentium, quod in eo judicio tenuit. In Nicæno II legitur quidem præſediſſe Irene, & Conſtantinus ejus filius cum tota Synodo, ſed hoc ſolum poteſt ſignificare prælationem honoris, non poteſtatis. In Chalcedonenſi Marcianus, & Pulcheria ſederunt tanquam concilii protectores, & defenſores, ut ſcribunt Patres Chalcedonenſes ad Leonem Pontificem. In Conſtantinopolitano III conſtat præſediſſe Agathonis Papæ legatos, & Conſtantinus Pogonatus poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſit his verbis: *Legimus, & conſenſimus.* Denique in Conſtantinopolitano IV Baſilius præſedit quidem ſeſſionis honore, ſed ſubſcripſit poſt vicarios Patriarcharum, & judicium ſibi non competere ipſe profeſſus eſt in allocutione ad Synodum.

360 Obj. 3. Ex una parte Eccleſia etiam ſumpta pro cœtu Epiſcoporum conſtat ex meris hominibus fallibilibus: ex altera parte Epiſcopi etiam in concilio congregati libere definiunt: ergo pro ſua libertate poſſunt Eccleſiæ proponere dogma falſum, conſequenter eorum judicium non eſt infallibile. Conf. Singuli poſſunt errare: ergo etiam tota collectio; unius namque fallibilitas non tollitur per fallibilitatem alterius. Reſp. Trans. Ant. quoad 1mum membrum, Diſt. quoad 2dum. Libere definiunt libertate contradictionis, Conc. Ant. libertate contrarietatis, Neg. Ant. & Conſ. Quamvis Paſtores Eccleſiæ de ſe & ſibi ſolis relicti ſint fallibiles, & habeant libertatem contradictionis ad hoc, ut poſſint definire vel a definiendo abſtinere; accedente tamen peculiari aſſiſtentia Spiritus ſancti non habent libertatem contrarietatis ad hoc, ut poſſint defini-

re verum, aut falsum, saltem consequenter ad promissionem divinam, quae Ecclesiae facta est dependenter a scientia media, qua Deus certissime praevidit, quod non essent falsum definituri. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. cum ratione addita. Istud praedicatum, esse infallibile in rebus fidei, & morum, reperitur inadaequate in singulis, prout partialiter constituunt totam Ecclesiam, adeoque accedentibus aliis additur pars ad infallibilitatem requisita. Sic licet singuli testes non faciant plenam probationem in judicio, eandem faciunt plures simul sumpti.

Dices 1. Fideles, & ipsi Pastores articulos definitos libere amplectuntur; alias fides non esset meritoria: ergo possunt illis positive discredere, & sic tota Ecclesia incidere in errorem. Conf. Voluntas omnium fidelium collective, & distributive sumptorum potest errare peccando: ergo etiam intellectus saltem accedente imperio voluntatis. Resp. Conc. Ant. sub data superius distinctione, Dist. Cons. ergo possunt illis discredere potentia antecedente, Conc. Ant. etiam consequente ad decretum Dei, quo statuit semper dare pluribus auxilia congrua ad fidem, Neg. Cons. Necessitas consequens non obstat merito fidei, imo modo daretur libertas contradictionis ad definiendum, vel non definiendum, ad credendum, vel non credendum, haec jam ad merendum sufficeret, neque per hoc, quod omnes actum fidei praeceptum omitterent, Ecclesia proprie circa fidem erraret. Ad Conf. Omitt. Ant. Neg. Cons. Si antecedens verum est, tunc quia Ecclesiae immunitas a peccato non est ita promissa, sicut immunitas ab errore in fide, & licet Christus Luc. 22 v. 32 ad Petrum dixerit: *Rogabo, ne deficiat fides tua*, non dixit, ne deficiat 361

charitas tua, quamquam ne quidem gravis error voluntatis reſpectu omnium videatur dari poſſe, eo quod Eccleſia Chriſti ſemper debeat eſſe ſancta. Cæterum etiam Moyſes, Prophetæ, & Apoſtoli de ſe erant homines fallibiles, & multo magis Lutherus, Calvinus, Præcones: cur ergo ſectarii credunt, illos purum Dei verbum propoſuiſſe.

362 Dices 2. Chriſtus in ſua Eccleſia permittit multos alios defectus, eaque diu ignoravit plures articulos, qui primum poſtea definiti fuerunt: ergo non eſt ratio, quare nequeat permittere errorem univerſalem in fide. Imo Eccleſia in ſuis decretis, & definitionibus ſæpe jam erravit. Conf. Tempore Chriſti erravit tota ſynagoga, quando Chriſtum non tantum non agnovit, ſed tanquam malefactorem ad crudeliſſimam mortem condemnavit: ergo a pari. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Defectus alii non ſunt tam pernicioſi, ſicut eſſet error in doctrina fidei, & morum, non enim ob alios defectus homines ſunt deſtituti neceſſario ad ſalutem remedio, modo Eccleſiam magiſtram audire, eique obedire velint. Neque obſtat ignorantia quorumdam articulorum, quia nihilominus credebantur implicite; imo nullus eſt articulus fidei, qui non ſemper aliquo modo in Eccleſia creditus fuit, licet poſtea aliqui clarius fuerint declarati, & propoſiti. Quod vero Eccleſia actu aliquando in fide erraverit, nunquam adhuc probarunt ſectarii; neque hic locus eſt omnes illorum criminationes confutandi. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Deus ſynagogæ non tam luculenter promiſit infallibilitatem, & indefectibilitatem perpetuam ſicut Eccleſiæ Chriſti, neque fides ſynagogæ erat tam neceſſaria ad ſalutem, quam vera fides

des christiana, præsertim tempore Christi, quando lex vetus cœpit abrogari, & in melius mutari substituta lege gratiæ, quam non pauci ex Judæis jam receperant, Christo per seipsum Ecclesiam administrante.

Obj. 4. Scriptura potestatem, & infalli- 363
bilitatem in judicandis causis fidei tantum promisit Apostolis; ad hos enim textus a nobis citati dirigebantur: ergo ex Scriptura non satis probatur infallibilitas Ecclesiæ. Conf. Quando Apostolus Ecclesiam vocat columnam, & firmamentum veritatis, loquitur de Ecclesia particulari Ephesina, in qua erat Timotheus, neque columnam sumit active, sed passive, in quantum Ecclesia a veritate sustentatur, vel certe plus non vult, quam quod Ecclesia fideliter custodiat prædicationem verbi Dei scripti, ut argutantur Calvinus, Gerardus, aliique sectarii. Resp. Neg. Ant. Cum Apostoli non semper fuerint exstituri, non potuit ipsis promitti assistentia Christi *usque ad consummationem sæculi*, & Spiritus veritatis, *qui maneat vobiscum in æternum*; nempe ut S. Augustinus in Psalm. 47 ait: *Illis (Apostolis) loquebatur Christus, & nos significabat.* Quin aliqui textus expresse mentionem Ecclesiæ faciunt. Ad Conf. Neg. Ant. Nam 1 Apostolus loquitur de illa Ecclesia, quæ est domus Dei, & contra quam portæ inferi non prævalebunt; hæc autem est Ecclesia universalis, cui utique Deus non minus providit, quam particulari. 2. Illud, quod sustentatur ab altero, improprie columna vocatur. Quis enim dicit columnam pavimenti, quia a pavimento sustentatur. Est igitur Ecclesia columna active, quatenus fideles sustentat in fide, &, si vis, etiam passive, quatenus sustentatur in veritate a Christo, adeoque utroque modo infallibilis. 3. Inepte

prorſus dicitur columna idem ſignificare, ac cuſtos; columna ſiquidem eſt illud, cui aliquid innititur.

364 Dices 1. Chriſtus perpetuam infallibilitatem Eccleſiæ tantum promiſit ſub conditione, ſi videlicet firmiter adhæſerit verbo divino: vel ſi Scripturam ſacram diligenter, & pie tractaverit, ſanctèque vixerit: ergo. Conf. Si Chriſtus per Apoſtolos intellexiſſet fideles, quilibet deberet eſſe infallibilis; hoc falſum: ergo. Reſp. Neg. Ant. Si enim ſupponatur prima conditio, Chriſtus Eccleſiæ non plus promiſiſſet quam Turcis; quippe etiam de his verum eſt, quod non errent, ſi adhæreant puro verbo Dei; ſi vero ſecunda conditio ſupponatur, omnia erunt dubia, quæcunque Eccleſia in concilio definivit, quia non ſatis conſtat, an ſufficiens diligentia in tractanda Scriptura fuerit adhibita, & requiſita vitæ ſanctitas adfuerit, aut ſi contendas, hoc ſatis conſtare, hoc ipſo conſtabit de infallibilitate Eccleſiæ. Dein juxta adverſarios Deus non deſerit Eccleſiam, ſed illam ſemper regit, quamdiu ab illa non deſeritur, & Eccleſia Deum deſerere non poteſt, quamdiu ab illo regitur: ergo ſemper manebit infallibilis. Ad Conf. Neg. Maj. Chriſtus Apoſtolis promiſit infallibilitatem, quatenus repræſentabant Eccleſiam, non vero ſingulos fideles, & ſicut ex eo, quod aliqui fideles erraverint, non ſequitur, totam Eccleſiam erraſſe: ita ex eo, quod Eccleſia ſit infallibilis, non ſequitur, ſingulos fideles infallibiles eſſe, ſic Deus dedit jus gladii reipublicæ, ſed non ideo ſingulis civibus.

365 Dices 2. Poteſt dici, quod Deus Eccleſiæ ſolum promiſerit immunitatem ab errore culpabili, aut in iis, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria: ergo. Conf. Ex Scriptura non conſtat, an

an Deus infallibilitatem promiſerit Eccleſiæ viſibili, vel inviſibili ; huic vel illi ex pluribus Chriſtianis : ergo. Reſp. Neg. Ant. Modo Eccleſia poſſet incidere in hæreſin materialem, & inculpabilem, non amplius eſſet columna veritatis, Spiritus ſanctus non ſemper eſſet cum illa, non doceret illam omnem veritatem, ut promittitur Joann. 16 v. 13, ſed rurſus omnia incerta forent. Dein vel per neceſſaria ad ſalutem intelliguntur neceſſaria neceſſitate præcepti, vel medii? ſi primum, ſaltem implicite debent credi omnia, quæ Eccleſia credenda proponit: ſi ſecundum, Eccleſia falli poſſet in proponenda Scriptura, quæ non eſt neceſſaria neceſſitate medii ; ſic autem nulla amplius daretur regula credendorum. Ad Conf. Neg. Ant. Scriptura promittit infallibilitatem Eccleſiæ veræ, quam tenemur audire, & extra quam nulla eſt ſalus: ergo Eccleſiæ viſibili ; hanc autem eſſe ſolam Religionem Romano Catholicam, abunde demonſtravimus. Profecto ſi hæc non eſſet infallibilis, neque Eccleſia Lutherana, aut Calviniana eſſet infallibilis: quid ergo opus, ut ſectarii tanto tumultu Eccleſiam fallibilem pro fallibili obtruderent? cur Eccleſiæ negant, quod concedunt ſpiritui privato cujuslibet ruſtici, aut fœminæ?

Obj. 5. Si infallibilitas Eccleſiæ probatur ex Scriptura, committitur circulus vitioſus. Prob. Tali modo Eccleſia ideo 366
aſſeritur eſſe infallibilis, quia id habemus ex infallibili auctoritate Scripturæ: & ideo Scriptura aſſeritur eſſe infallibilis, quia id docet infallibilis auctoritas Eccleſiæ: ergo. Conf. Juxta nos Scriptura haberet ſuam auctoritatem ab Eccleſia aliunde cognita; hoc falſum, quia ipſa Eccleſia fundatur ſu-

pra doctrinam in Scriptura contentam. Resp. Dist. Ant. Si probaretur ex Scriptura sola nondum aliunde probata, aut ab adversariis admissa, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Ad Prob. iterum Dist. Ant. Quia id habemus ex sola auctoritate Scripturæ, Neg. Ant. etiam aliunde, vel ex Scriptura ab ipsis adversariis admissa, Conc. Ant. quoad hoc membrum, & eodem proportionaliter modo distincto altero membro, Neg. Conf. circulus vitiosus tunc committitur, quando ad aliquid probandum adhibetur id, quod non est notum nisi ex eo, ad quod probandum adhibetur; seu quando hoc probatur per illud, & illud per hoc, quin alterutrum aliunde constet, uti faciunt sectarii, quando Scripturam probant ex spiritu privato, & spiritum privatum ex Scriptura; aliter se res habet in nostris principiis; vel enim adversarii admittunt infallibilitatem Scripturæ, vel non? si non, illam prius probamus ex infallibilitate Ecclesiæ, hanc vero ex ratione, & motivis credibilitatis: si ita, infallibilitas Ecclesiæ tantum probatur ex Scriptura aliunde cognita, & admissa. Ad Conf. Dist. Maj. Haberet suam auctoritatem extrinsecam ab Ecclesia, Conc. Maj. intrinsecam, Neg. Maj. Scriptura jam antecedenter, & in se est infallibile Dei verbum; quod autem tale sit, per Ecclesiam certificamur, & sic Ecclesia optime supra doctrinam Scripturæ fundatur.

367 Dices. Tamen juxta nos multa cognoscuntur de Ecclesia ex Scriptura ab Ecclesia approbata, quæ aliunde non cognoscerentur: ergo adhuc committitur circulus. Conf. Si infallibilitas Ecclesiæ sine circulo potest probari ex Scriptura aliunde admissa, etiam spiri-

ritus privatus ex illa poteſt probari : ergo fruſtra ſectariis circulum objicimus. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quando infallibilitas Eccleſiæ aliunde eſt probata, & illa nobis Scripturam tanquam verbum Dei applicat; hoc infallibiliter nobis poteſt plura diſtincte proponere, & ipſius Eccleſiæ infallibilitatem clarius. Sic ſi Legatus per alia ſigna poteſt probare, ſe eſſe legatum, & ideo verum eſſe diploma Regium, quod affert, ex ipſo diplomate de illo Legato, & illius poteſtate plura poſſunt clarius cognoſci absque circulo vitioſo. Ad Conſ. Neg. Ant. Duplex inter nos, & ſectarios eſt diſparitas; nam 1 illi Scripturam ejusque infallibilitatem probant ex ſolo ſpiritu privato, & ſpiritum privatum ex ſola Scriptura, quin alterutrum poſſint aliunde ſufficienter oſtendere. 2. Si ipſis etiam permittatur exiſtentia Scripturæ, ex illa tam parum evincunt infallibilitatem ſpiritus privati, quam parum Deus poteſt revelare oppoſita. Sed neque poſſunt aſſignare aliam regulam, verum Scripturæ ſenſum a falſo diſcernendi, niſi ad auctoritatem Eccleſiæ confugiant. At vero Catholici ex Scriptura admiſſa facile oſtendunt infallibilitatem Eccleſiæ, & hac probata circa ſenſum Scripturæ per ipſam Eccleſiam certi redduntur.

Itaque in hoc negotio de infallibilitate Eccleſiæ ita procedimus. 1. Datur evidenter Religio vera, eaque revelata, & unica. 2. Inter omnes alias evidenter credibilis, & unice vera eſt Religio Romano-Catholica. 3. In Religione vera neceſſario debet dari infallibilis judex controverſiarum fidei, cujus ſententiæ fideles tuto poſſint acquieſcere, credendo, quidquid fides divina credendum proponit. 4. Hic judex non eſt alius, quam ipſa Eccleſia 368

ſia vera, ſimulque fide divina credendum proponit, dari ſacram Scripturam, quæ ſit verbum divinum, & infallibilem habeat auctoritatem. 5. Cum igitur hæc ipſa Scriptura juxta infallibilem interpretationem Eccleſiæ doceat, quod Eccleſiæ ſit promiſſa perpetua aſſiſtentia Spiritus ſancti, vi cujus nunquam falli, aut fallere poſſet, ex Scriptura rurſus legitime infertur, & fide divina credi debet, Eccleſiam in decidendis fidei controverſiis eſſe infallibilem. Si jam recolas, quomodo ſingulas iſtas propoſitiones probaverim, facile invenies, quod initio veritatem, & infallibilem auctoritatem Eccleſiæ oſtenderim ex ſolis motivis credibilitatis præſcindendo ab omni Scriptura. Dein ex iisdem motivis, & infallibilitate Eccleſiæ intuli, dari Scripturam ſacram, ſeu verbum divinum infallibile. Denique ex infallibili auctoritate Scripturæ, ita aliunde probata, rurſus de novo Eccleſiæ infallibilitatem ſtabilivi.

369 Allatus diſcurrendi modus procedit univerſaliter contra gentiles, & hæreticos, & paulo aliter, ac brevius ſic proponi poſſet. Sola Religio Romano-Catholica eſt evidenter credibilis, & vera: ergo præcipua ejus dogmata ſunt evidenter credibilia, & vera; atqui inter hæc ferme præcipuum eſt, quod detur ſacra Scriptura, quæ ſit verbum divinum, & proin infallibilem habeat auctoritatem: ergo cum hæc Scriptura multis in locis aſſerat, veram Eccleſiam in decidendis controverſiis fidei falli non poſſe, Eccleſia Romano-Catholica in iſtis controverſiis decidendis eſt infallibilis. Adhuc brevius res conficitur cum hæreticis, qui ipſimet infallibilem auctoritatem Scripturæ jam ſupponunt; contra tales enim ſta-

ſtatim argumento ad hominem recte ſic inferimus. Scriptura, quam vos admittitis, docet Eccleſiam veram eſſe infallibilem: ergo infallibilis eſt. Neque hic modus probandi eſt inuſitatus in Scripturis, & Patribus; nam quia Phariſæi admiſerunt Moyſem; Chriſtum autem negarunt, convicit eos Chriſtus his verbis Joan. 5 v. 40: *Si crederetis Moyſi, forſitan crederetis & mihi.* Econtra Manichæi admittebant Chriſtum, & Evangelium; Moyſem vero, & Prophetas negabant; hinc S. Auguſtinus ſimili argumentandi modo illos convicit libris contra Fauſtum, & lib. 1 de moribus Eccleſiæ cap. 1 & ſequentibus.

DISPUTATIO VI.

De ſacris conciliis.

TRes ſunt modi, quibus Eccleſia, quam in controverſiis fidei, & morum infallibilem judicem eſſe diximus, judicium ſuum exercere poteſt. 1. Per Epiſcopos in concilio generali congregatos. 2. Per eosdem extra concilium. 3. Per ſolum Pontificem Romanum. Duos priores modos in hac diſputatione examinabimus, tertio pro diſputatione ſequenti reſervato. Porro concilii nomine in Eccleſia idem ſignificatur, quod nomine comitiorum in regno. Nam quemadmodum, cum oritur controverſia in republica, in unum conveniunt Principes regni, vel Magiſtratus, & quid facto opus ſit, decernunt: ita in Eccleſia, quando oritur controverſia aliqua de Religione, nonnunquam convenire ſolent præſules Eccleſiarum, & ſimul collatis ſententiis ſtatuunt, quod bonum videtur. Sic Actor. 15 convenerunt Apoſtoli, & concilium celebrarunt, qui mos deiu

dein ex traditione apoſtolica ſequentibus ætatibus in Eccleſia fuit continuatus.

QUÆSTIO I.

De natura, & proprietatibus conciliorum.

371 Concilium in genere eſt Prælatorum Eccleſiæ congregatio ad fidei controverſias definiendas, vel fidelium mores reformandos a legitimo capite convocata. Dividitur in generale, & particulare. Concilia generalia dicuntur, quibus intereſſe poſſunt, ac ſuo modo debent Epiſcopi totius orbis catholici, præſidente regulariter ſummo Pontifice vel per ſe, vel per ſuos legatos. Si ejusmodi concilia ſunt legitima, vocantur œcumenica, ſi illegitima, dicuntur Pſeudo-Synodus ſive conciliabulum. Nam licet in ſenſu grammaticali generale, univerſale, & œcumenicum idem ſonent, in ſenſu tamen canonico, & ſecundum acceptionem eruditorum diverſa ſunt. Concilia particularia vocantur, quæ celebrantur ab Epiſcopis unius ſolum nationis, provinciæ, aut diœceſis. Unde

372 Ex conciliis particularibus alia ſunt nationalia, alia provincialia, alia diœceſana. Ad nationalia conveniunt Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi integræ alicujus nationis, præſide aliquo Patriarcha, vel Primate. Vocantur nonnunquam ab antiquis generalia, ſeu univerſalia, non quod talia ſint abſolute reſpectu totius orbis, ſed ſolum reſpectu totius nationis e. g. Germaniæ, Galliæ &c., a Gratiano etiam nominantur provincialia, quia certis provinciis continentur. Verum in ſenſu ſtricto concilia provincialia ſunt, quando conveniunt Epiſcopi tantum unius provinciæ, quibus præeſt

est Archiepiſcopus ſive Metropolitanus. Diœceſana denique ſunt, in quibus conveniunt Presbyteri tantum unius Epiſcopatus præſidente Epiſcopo. Hæc vix dici poſſunt concilia, cum in eis ordinarie nemo habeat requiſitam jurisdictionem præter Epiſcopum.

Ut concilium generale ſit legitimum, re- 373
gulariter debet eſſe convocatum a ſummo Pontifice; nam concilia generalia convocantur ad providendum bono communi totius Eccleſiæ: ergo debent convocari ab eo, cui Chriſtus univerſæ Eccleſiæ curam ac regimen commiſit; atqui commiſit Romano Pontifici S. Petri Succeſſori, cui tradidit paſcendas oves ſuas: *Paſce oves meas, paſce agnos meos*, Joan. 21 v. 16 & 17. Hinc in concilio Chalcedonenſi Act. 1 Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus extra ordinem Epiſcoporum ſedere debuit, quia Synodum convocare auſus fuerat ſine auctoritate Sedis apoſtolicæ; *Quod*, clamabant Patres, *nunquam factum, nunquam licitum fuit*; ſi tamen nullus certus Papa exiſteret, uti tempore ſchismatis, vel Papa antea legitimus, ac certus in notoriam hæreſin incideret, aut de ſtatu mentis dejiceretur, a collegio Cardinalium poſſet concilium convocari, ut Eccleſiæ provideretur de capite.

Porro concilium a Pontifice convocari di- 374
citur, etiamſi hoc fiat ab alio, modo Papa in convocationem conſentiat, aut illam poſtea ratam habeat. Sic Nicænum I convocatum eſt a Conſtantino Magno, & Sylveſtro Papa ut legitur act. 18 Synodi VI, Conſtantinopolitanum I a Theodoſio ex mente Papæ Damaſi, non contradicentis, vel potius exoptantis, ut indicant Patres in ſuis ad Damaſum litteris apud Theodoretum lib. 5 hiſtor. cap. 9. Ad convocandum concilium Epheſinum Cæleſtinus Papa

Papa uſus eſt auctoritate Theodoſii Junioris, ut colligitur ex relatione concilii ad Imperatorem miſſa act. 3. Viciſſim Martianus Imperator uſus eſt opera Leonis Magni ad congregandum concilium Chalcedonenſe, ut conſtat ex epiſtola Martiani ad Leonem data. Quando autem Conſtantius Imperator præter voluntatem Pontificis concilium indixit, ideo a S. Athanaſio Anti-Chriſtus appellatus eſt. Ratio quare primis temporibus Pontifices auctoritate Imperatoris uſi ſunt, potiſſima erat, tum quia lege imperiali prohibitum fuerat, fieri frequentes conventus ſine licentia Imperatoris, tum quia concilia generalia fiebant ex cenſibus publicis.

375 Quemadmodum Romanus Pontifex concilium generale convocare, ita eidem vel per ſe, vel per ſuos legatos præſidere debet, quia ſolius paſtoris eſt, præſidere ſuo gregi. Sic concilio Apoſtolorum cit. præfuit S. Petrus, Nicæno I Sylveſter per Oſium, Vitum, & Vincentium, Conſtantinopolitano I Damaſus Conſtantinopoli per Nectarium, vel potius ipſemet Romæ, ubi poſtea illud in concilio Occidentis approbavit. Epheſino præfuit Cæleſtinus per Cyrillum Alexandrinum, Chalcedonenſi S. Leo per Paſchaſinum, & Lucentium Epiſcopos, Bonifacium, & Baſilium Presbyteros. Conſtantinopolitano II ait Gisbertus præfuiſſe Vigilium per litteras, eoquod nihil in concilio definitum ſit, niſi ex prælectis Vigilii litteris, & præhabita illius ſententia. Alii cum Annato malunt, illum præſediſſe per Eutichium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui præſidentiam Vigilio ultro obtulit, & nihil ſine ejus conſenſu definiri paſſus eſt. Equidem etiam Imperatores conciliis generalibus quandoque interfuerunt, ſed ad ſummum habu-

buerunt prælationem honoris, non poteſtatis, ut dixi 359.

Convocari ad concilium generale de jure 376
debent omnes, & ſoli per orbem chriſtianum Epiſcopi, quantum fieri poteſt ita, ut nullus excludatur, qui diœceſin habet, & per excommunicationem ab Eccleſia non eſt ſeparatus. Nam ſicut ſoli Epiſcopi (quales utique etiam ſunt Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ) de jure habent jurisdictionem externam, vi cujus canones condere, & hæreticos condemnare poſſunt, ita omnes habent jus ſuffragii deciſivi, vi cujus tanquam judices ſententiam pronuntiant. Interim neceſſe non eſt, ut omnes omnino conveniant, id enim vix fieri poteſt, & ne quidem in concilio apoſtolico act. 15 factum eſt: ſufficit ergo, ſi ex variis chriſtiani orbis partibus tantus conveniat numerus, ut univerſam poſſit repræſentare Eccleſiam; qui numerus non eſt definitus, ſed poteſt eſſe varius pro varietate temporum, & circumſtantiarum. Præter Epiſcopos de facto in concilio generali ex conſuetudine munus judicis exercent Cardinales non Epiſcopi, & ex privilegio Abbates ac Generales Ordinum; alii vero ut Doctores ſolum habent votum conſultivum, vel præciſe concilio interſunt tanquam officiales, uti Notarii, Cuſtodes &c.

At vero laici nunquam fidei controverſi- 377
as legitime definierunt, aut de illis publicum judicium habuerunt; ſed quando Imperatores, aut illorum comites conciliis interfuerunt, id ſolum factum eſt, ut Synodum ſplendore majeſtatis ſuæ ornarent, aut fidem Patrum tuerentur, nec definitionibus ſubſcripſere ut definientes, ſed tantum ut conſentientes. Quod ſi coram laicis nonnunquam de fide diſputatum,

id contigit vel caufa neceſſitatis, quia pugna honeſte declinari non potuit, vel ſpe magni boni, & bonæ cauſæ fiducia. 2. Imperatores quandoque cauſam fidei cognoſcebant ex quadam prudenti condeſcendentia cum hæreticis id poſtulantibus, ut ipſis omnem querelarum prætextum tollerent, quo caſu Imperatoris ſententia valuit quidem ad confuſionem hæreſis, non tamen erat fidei definitio. 3. Quandoque ipſi Catholici ab injuſtis, & illegitimis conciliis ad Imperatores appellarunt, non tanquam ad fidei judices, ſed defenſores, quorum eſt providere, ne in eccleſiaſticis conciliis fraus, & violentia dominetur. 4. Si autem Principes laici plus aliquid ſibi arrogarunt, Eccleſia ſemper reclamavit, & injuſte acta irrita declaravit.

378 Denique ad concilium legitimum etiam requiritur, ut ſit a ſummo Pontifice approbatum, ut patebit ex dicendis quæſt. 5. Hinc concilia ulterius dividuntur, in approbata, reprobata, partim approbata, partim reprobata, & in nec approbata, nec reprobata. De hac approbatione Pontificis plura inferius dicenda erunt. Interea noto. Si Pontifex neque convocaſſet concilium, neque ei præſediſſet, utrumque ſuppleri poſſet per ſubſequentem approbationem Pontificis, præſertim ſedente adhuc concilio factam, tum quia ſic jam cum conſenſu Patris, & Paſtoris decernunt filii, & oves, tum quia nemo Catholicorum dubitat, quod prima octo concilia generalia Orientis a Pontifice approbata fuerint legitima, quin adeo certum ſit, an Pontifex omnibus per ſe, vel per ſuos Legatos præſederit. Certe Conſtantinopolitano II Vigilius nec per ſe, nec per legatos ab ipſo deputatos intereſſe voluit, quam-

quamquam, ut ſupra adverti, probabiliter dicatur illum præſediſſe per litteras, vel Eutichium Conſtantinopolitanum.

Concilia generalia approbata, & ab universa Eccleſia recepta præter concilia Apoſtolorum hucusque numerantur octodecim. Nicænum I anno Chriſti 327 ſub Sylveſtro contra Arium, Quartodecimanos, & Meletium epiſcopum Nicopoleos. Conſtantinopolitanum I anno circiter 381 ſub Damaſo contra Macedonium, & Macedonianos. Epheſinum anno circiter 431 ſub Cæleſtino contra Neſtorium. Chalcedonenſe anno circiter 451 ſub S. Leone contra Eutichetem, & Dioſcorum. Conſtantinopolitanum II anno circiter 553 ſub Vigilio contra tria capitula, & Origenem. Conſtantinopolitanum III anno circiter 680 ſub Agathone contra Monothelitas. Nicænum II anno circiter 787 ſub Adriano I contra Iconomachos. Conſtantinopolitanum IV ſub Adriano II anno circiter 869 contra Photium Patriarcham ibidem intruſum. Concilia Lateranenſia quatuor: Primum circiter anno 1123 ſub Caliſto II: Alterum anno 1139 ſub Innocentio II: Tertium 1179 ſub Alexandro III: Quartum anno 1215 ſub Innocentio III. Lugdunenſia duo: Unum anno 1245 ſub Innocentio IV: Alterum anno 1274 ſub Gregorio X. Viennenſe anno 1311 ſub Clemente V. Florentinum anno 1438 ſub Eugenio IV Lateranenſe V anno 1512 ſub Julio II, & Leone X. Tridentinum anno 1545 ſub Paulo III, Julio III, & Pio IV. 379

Concilia generalia partim approbata, partim reprobrata ſunt quinque. Concilium Sardicenſe anno 347 a Julio I indictum, in quo Orientales ſe ab Occidentalibus ſepararunt, & conciliabulo Philipopoli celebrato ſemi-Arianam formulam fidei ſub nomine concilii Sardi- 380

 cen-

censis fabricarunt. Concilium Syrmiense anno 356 sub Liberio. In hoc tres formulæ fidei editæ dicuntur. In prima omissa voce consubstantialis damnatur Photinus: secunda erat aperte Ariana: in tertia filius dicitur Patri similis. Hoc concilium tantum quoad damnationem Photini receptum est. Concilium Trullanum sic dictum, quod anno 692 habitum sit Constantinopoli in secretario palatii, quod ob fastigium concameratum Trulli, sive Trullæ appellabatur. Dicitur etiam Synodus quini-sexta, quasi appendix quintæ, & sextæ œcumenicæ Synodi, in quibus nulli canones editi sunt. Canones autem Trullani partim fuerunt approbati, partim reprobati. Concilium Constantiense anno 1414 sub Martino V quoad priores sessiones, in quibus agitur de potestate concilii supra Papam, reprobatum est a concilio Florentino, & Lateranensi ultimo, quoad ultimas sessiones, quibus interfuit Martinus, item quoad damnationem Wiclefi, & Huss, ab omnibus recipitur. Concilium Basileense anno 1431. In hoc nihil est approbatum, quam dispositiones quædam circa beneficia ecclesiastica.

381 Concilia omnino reprobata sunt. Antiochenum celebratum anno 345, in quo damnatus est Athanasius, & via patefacta ad eversionem concilii Nicæni. Mediolanense, in quo anno 355 ab Arianis rursus saltem oblique fides catholica impugnata. Ariminense, in quo anno 359 sublatum est de symbolo nomen Homousios. Hujus quasi pars quædam fuit Seleuciense in Oriente, quæ omnia tempore Constantii Imperatoris Ariani habita sunt. Ephesinum II anno 449 tempore Theodosii Junioris. In hoc factione Dioscori occisus est Flavianus Epi-

Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Legati Papæ Leonis fugati, & hæreſis Eutichiana confirmata. Conſtantinopolitanum V anno 730 tempore Leonis Iſaurici, & Conſtantinopolitanum VI circiter anno 754 a Conſtantino Copronymo contra ſacras imagines inſtitutum. Piſanum anno 1511 congregatum ab Imperatore, Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus contra Julium II, ſed paulo poſt reprobatum in concilio Lateranenſi. Aliud quoque concilium Piſanum jam anno 1409 celebratum fuerat ad tollendum ſchisma inter Gregorium XII, & Benedictum XIII. Sed electo Alexandro V ſchisma potius auxit, quam extinxit, & inter illa numerandum videtur, quæ nec manifeſte approbata, nec reprobata ſunt, ad quæ etiam pertinent plurima concilia particularia, quorum vel nomina recitare nimis longum foret.

QUÆSTIO II.

An concilium œcumenicum ſit infallibile in definiendis rebus fidei & morum?

CUm concilia particularia nec totam Eccle- 382
ſiam repræſentent, nec fideles omnes ad credendum obligare valeant, facile concedimus, illa non eſſe infallibilis auctoritatis, niſi vel a concilio œcumenico, vel ſummo Pontifice confirmentur; hinc quæſtio tantum procedit de conciliis generalibus, & quidem legitimis, an ſint infallibilia in rebus fidei, & morum ita, ut toti Eccleſiæ nihil poſſint præcipere, quod per ſe malum, & inhoneſtum eſt, & nihil tanquam malum prohibere, quod per ſe bonum, honeſtum, aut ad ſalutem neceſſarium eſt, quia alias deficeret ſanctitas Ec-

clesiæ, eaque in doctrina erraret. Tale incommodum non sequeretur, etsi Ecclesia aliquid præciperet, vel prohiberet, quod per se neque bonum, neque malum est, e. g. si nimium multiplicaret leges, si adderet pœnam forte nimis magnam, si articulos definitos declararet falsis rationibus; nam tali modo tantum erraret circa modum, & circumstantias, ad quos proin casus conclusio nostra se non extenderet. Porro tunc concilia juxta Canum de loc. theolog. lib. 5 cap. 5 aliquid definiunt tanquam spectans ad fidem, 1. Si contrarium asserentes dicuntur hæretici. 2. Si in contradicentes dicitur anathema, vel sententia excommunicationis fertur. 3. Si aliquid dicitur firmiter credendum tanquam dogma.

383 Dicendum. Concilium œcumenicum est infallibile in definiendis rebus fidei, & morum. Ita certa fide tenent omnes Catholici. Prob. 1. Debet dari in Ecclesia infallibilis judex circa res fidei, & morum, & hic judex est ipsa Ecclesia: ergo concilium œcumenicum est infallibile. Ant. patet ex disputatione præcedente. Conf. Prob. Ex una parte moraliter impossibile est congregari omnes Presbyteros, & fideles, eorumque sententiam exquirere, tum ob ingentem illorum numerum, tum ob plurimorum incapacitatem ad judicandum: ex altera parte concilium œcumenicum repræsentat totam Ecclesiam, eamque ad credendos articulos a se definitos potest obligare, cum non sit major in Ecclesia potestas, quam omnium pastorum collectorum, de quibus Christus dicit: *Qui vos audit, me audit &c. Qui Ecclesiam non audierit &c.* Ergo tale concilium debet esse infallibile: alias tota Ecclesia posset falli. Imo reliqui fideles agerent laudabiliter, si errorem amplecterentur, quia sic se confor-

marent suis pastoribus, quod certe honeste facere possent, dato etiam, quod non obligarentur. Conf. Prælati in concilio generali congregati sunt Doctores, & Pastores, quos Deus posuit regere Ecclesiam, reliqui fideles sunt oves, & discipuli: ergo infallibilis definitio circa fidem, & mores pertinet ad Prælatos Ecclesiæ cum Pontifice Romano tanquam universali capite in concilio congregatos.

Probatur conclusio 2 ex perpetua tradi- 384
tione; quippe Ecclesia christiana decreta, & definitiones conciliorum legitimorum semper religiosissima submissione tanquam indubitatas acceptavit, illos vero, qui se pertinaciter opposuerunt, damnavit tanquam hæreticos, quorum pestilentes doctrinæ pleræque iterum resuscitari, nec unquam satis profligari possent, si concilia œcumenica non essent infallibilia; hinc Apostoli act. 15 definitionis suæ formulam statim ita exorsi sunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Quibus verbis indicarunt, concilia Ecclesiæ regi infallibili assistentia Spiritus sancti, eo quod hoc sit necessarium ad veræ fidei conservationem, quæ ipsa ratio etiam pugnat pro aliis conciliis, quorum infallibilitatem apertissime adstruunt SS. Patres. Gregor. lib. 1 epist. 21 de primis quatuor conciliis generalibus ait: *Sicut S. Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, & venerari me fateor, - quintum quoque concilium pariter veneror - quisquis ergo aliud sapit, anathema sit*; S. Ambrosius epist. 32: *Sequor tractatum Nicœni concilii, a quo me nec mors, nec gladius poterit separare.* Videatur Bellarm. de auctoritate conciliorum lib. 2 cap. 3, ubi pro hac veritate etiam citantur Tertullianus, Basilius, Athanasius, Leo, Gregor. Nazianz. Augustinus &c.

Objectiones.

385 OBj. 1. Isaiæ 56 v. 10 pastores vocantur: *Speculatores cæci, canes muti, & dormientes, qui ignorant intelligentiam :* ergo pastorum judicium non est infallibile. Conf. S. Gregorius Nazianz. epist. ad Procopium ait: *Se fugere omnem conventum Episcoporum, quoniam nullius concilii finem lætum & faustum viderit ;* & S. Leo epist. 54 & 55 reprehendit concilium chalcedonense, quod ambitione, & inconsulta temeritate peccaverit : ergo. Resp. Conc. Ant. Dist. Cons. Si pastores considerentur seorsim, Conc. Cons. si in concilio generali sint congregati, Neg. Cons. Scriptura bi loquitur de Sacerdotibus veteris testamenti, non de omnibus, & multo minus de illis in concilio congregatis, sed tantum de multis, qui modus loquendi non est infrequens in Scriptura. Interim Deus ipse sæpe jussit, ut Judæi a sacerdotibus legem addiscerent. Ad Conf. S. Gregorius agit de conciliis particularibus, in quibus suo tempore ob copiam Episcoporum Arianorum, aut alias male Catholicorum bonus exitus non erat sperandus; hinc negat se venturum ad tale concilium, ad quod a Procopio nomine Imperatoris invitabatur. Postea hic ipse Gregorius interfuit, & subscripsit secundæ synodo generali, & concilium Nicænum mire deprædicavit. S. Leo infallibilitatem conciliorum manifeste defendit epist. 77 & 78, quæ igitur de Chalcedonensi scribit, intelligi debent de sess. ultima absentibus, & postea contradicentibus suis legatis habita, nec a Leone confirmata, uti etiam quoad prælationem Patriarchæ Constantinopolitani supra Alexandrinum, & Antiochenum.

Dices

Dices 1. S. Isidorus apud Gratianum distinct. 50 can. Domino sancto ait: *Inter duo concilia discordantia sequendum esse illud, cujus antiquior aut potior est auctoritas*; S. Augustinus lib. 2 de Baptis. cap. 3: *Concilia particularia absque dubio cedere auctoritati conciliorum plenariorum, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento verum capitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat.* Resp. S. Isidorus, ut ex cit. canone patet, non loquitur de quæstione fidei, sed an Clerici post delictum pœnitentes restituendi sint in pristinam dignitatem. Præterea tantum agit de conciliis particularibus nimirum de Ancyrano, & alio quodam innominato, quæ inter se pugnare videbantur Masiano Episcopo, ad quem scripserat. S. Augustinus juxta aliquos per concilia plenaria intelligit concilia nationalia: juxta alios solum vult concilia plenaria emendari posse secundum quæstiones puri facti, aut decreta morum, quatenus hæc pro diversitate temporum, & circumstantiarum mutari possunt; nam dicit ea emendari, *Quando experimento aperitur veritas*, & cap. sequenti valde commendat conciliorum auctoritatem. Equidem quæstio cum Donatistis fuerat de errore Cypriani circa Baptismum hæreticorum, qui spectabat ad fidem, & in aliquibus conciliis provincialibus fuit approbatus: at argumentatio Augustini talis erat: Concilia tam particularia, quam plenaria possunt errare, hæc in quæstionibus facti, illa etiam in quæstionibus fidei; cum igitur concilia Cypriani tantum fuerint particularia, & in fide erraverint, illa emendari debent, nec amplius par est conditio inter Donatistas, & Cyprianum, eoquod Donatistæ errorem suum adhuc tueantur, cau- 386

ſa per plenarium concilium jam deciſa, quod non fecerat Cyprianus, ut advertit S. Doctor lib. 1 de Baptiſmo cap. 7.

387 Dices 2. S. Auguſtinus lib. 3 contra Maximinum cap. 14 ait: *Non ego Nicænum, neque tu debes Ariminenſe tanquam præjudicium proferre concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris &c.* Ergo aperte ſupponit auctoritatem concilii Nicæni non eſſe infallibilem. Conf. Ipſa Eccleſia ſuam infallibilitatem in judicio fidei, & morum nunquam definivit, aut hæreticis objecit: ergo illam non agnoſcit. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. S. Auguſtinus hic non loquitur aſſertive, ſed permiſſive. Cum enim Maximinus concilio Nicæno opponeret Ariminenſe, & S. Auguſtino nimis prolixum eſſet oſtendere Nicænum, legitimum, Ariminenſe vero illegitimum eſſe, breviori via voluit uti, quaſi diceret: Omittamus nunc concilia, & veniamus ad Scripturas. Interim quanti faceret concilium Nicænum oſtendit verbis præcedentibus, dicens: *Hoc eſt illud Homouſion, quod in concilio Nicæno adverſus hæreticos Arianos a Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum eſt.* Ex quibus vides, quando Patres auctoritatem concilii negligere videntur, illos ſolum loqui de conciliis non approbatis, vel permiſſive ad illos hæreticos, qui legitimorum auctoritatem aſpernabantur, & ideo aliunde convinci debuerant. Ad Conf. Diſt. Ant. Hoc non definivit explicite, & conceptis verbis, Tranſ. Ant. non oſtendit re ipſa, uſu, & praxi, quando anathemate percuſſit reſiſtentes, Neg. Ant. & Conſ. Ut Eccleſia ſuam infallibilitatem expreſſe definiret, non erat neceſſarium, ſufficiunt namque verba Chriſti, Matth.

18

18 v. 17: *Si quis Eccleſiam non audierit &c.* Adde, quod ex dictis de implicite revelatis ſatis conſtet, fide divina credi poſſe, hoc determinatum concilium œcumenicum eſſe infallibilem regulam fidei.

Obj. 2. Concilia generalia conſtant hominibus non ſolum de ſe fallibilibus, ſed nonnunquam etiam parum doctis, Pontifici, vel Principibus ſæcularibus obſtrictis, vel omnino malis, & turbulentis: ergo non ſunt infallibilia. 388
Conf. Quia alias eſſent paris auctoritatis cum Scriptura. Reſp. Tranſ. Ant. quod nimium exaggerare ſolent hæretici, Diſt. Conſ. ergo non ſunt infallibilia, ſi ſpectetur ſola auctoritas humana, Conc. Conſ. ſi ſpectetur aſſiſtentia divina, Neg. Conſ. Quamvis Deus permittat Epiſcopos eſſe quandoque homines ignorantia, aliiſque defectibus laborantes, nunquam tamen permittet, ut in ſuam Eccleſiam derivetur univerſalis error, quod neceſſario fieret, ſi concilium œcumenicum errare poſſet. Hinc S. Auguſtinus in verba Chriſti: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ &c.*; Epiſt. 166 ita commentatur: *De malis etiam præpoſitis plebem ſecuram faciebat, ne propter illos doctrinæ ſalutaris cathedra deſereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere: neque enim ſua ſunt, quæ dicunt, ſed Dei, qui in cathedra unitatis doctrinam poſuit veritatis.* Ad Conf. Diſt. Ant. Eſſent paris auctoritatis quoad certitudinem, Tranſ. Ant. quoad alia, Neg. Ant. Imprimis Scriptura ne in minimis quidem poteſt fallere, ſed quæcunque in illa aſſeruntur, fide divina credi debent: at in conciliis multa proferuntur, quæ infallibilem auctoritatem non habent. Dein ſcriptoribus ſacris Deus non tantum aſtitit, ſed novas revelationes, & dogmata illis inſpiravit, concilia autem juxta communem Theologo-

logorum ſententiam novas revelationes non accipiunt.

389 Dices. Ut Spiritus ſanctus Eccleſiæ aſſiſtat, res debet agi humano, & meliori modo; ergo ad concilium etiam vocari deberent Laici, vel ſaltem Presbyteri, quandoque doctiores, quam multi ex Epiſcopis. Conf. Ut concilium ſit legitimum, judicari debet ex ſola Scriptura, Epiſcopi abſolvi a juramento fidelitatis, quod præſtant ſummo Pontifici: ipſe vero Pontifex tanquam pars litigans omnino excludi, ut prætendunt Lutherani. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. Debent vocari tanquam judices, Neg. Conſ. tanquam conſultores, Tranſ. Conſ. Votum deciſivum per ſe non competere clericis Epiſcopo inferioribus, & multo minus laicis, oſtendit continua praxis Eccleſiæ, & ratio eſt, quia ex tanta multitudine potius oriretur confuſio, ac per ſe indignum videtur negotia Eccleſiaſtica publica tractari a perſonis profanis, aut ſacris quidem, ſed privatis, nullam publicam jurisdictionem habentibus. Nihilominus alii viri docti in concilio poſſunt habere votum conſultivum, eſtque omnino decens, quamvis non videatur abſolute neceſſarium, ut aliqui vocentur, idque Eccleſiaſtica quoque conſuetudo obſervavit, ut clarum exemplum habemus in concilio Tridentino, cui eximii Theologi, & Juris periti interfuerunt, diligentiſſime a Patribus auditi. Ad Conf. Neg. Ant. Nam 1. Solam Scripturam non eſſe regulam fidei, ſatis oſtendimus. 2. Illud juramentum fidelitatis nihil obeſſe libertati in proferenda ſententia, demonſtrant acta conciliorum, præſertim Tridentini. 3. Pontificem velle excludere a concilio, idem eſſet, ac legitimum Imperatorem velle excludere a comitiis Imperii, & caput a corpore ſeparare. Accedit quod non tam cauſa Pontificis, quam Eccleſiæ in conciliis agatur.

Obj.

Obj. 3. Non poteſt nobis legitime conſtare, an unquam celebratum ſit concilium œcumenicum: ergo Deus fruſtra illi contuliſſet infallibilitatem, Ant. Prob. Non poteſt nobis conſtare, an qui concilio interfuerunt, fuerint veri fideles, Epiſcopi, legitime vocati &c. Conf. Utrum aliquod concilium fuerit legitimum, ſolum conſtat ex fide Hiſtoricorum, quæ eſt fallibilis & mere humana, adeoque non ſufficit, ut dogmata a tali concilio propoſita poſſint credi fide divina. Reſp. Neg. Ant. ad Prob. Diſt. Ant. Ita tamen ut Deus hunc defectum alio modo ſuppleviſſet, Conc. Ant. aliter Neg. Ant. & Conſ. Cum juxta promiſſiones divinas Eccleſia nunquam poſſit induci in errorem univerſalem circa fidem, & mores, unum ex his duobus certum eſt, vel 1 ad infallibile, & legitimum concilium non requiri indiſpenſabiliter, ut illi, qui ſententiam dicunt, ſint veri fideles, Epiſcopi &c., ſed ſufficere, ſi tales ſint communi hominum æſtimatione: Vel 2. Deum debere facere, ut Eccleſiæ innoteſcat, Epiſcopos tantum fuiſſe apparentes, & legitima ad judicandum poteſtate caruiſſe. Ad Conf. Quod hæc requiſita ſaltem juxta communem hominum æſtimationem adfuerint, non tantum conſtat ex hiſtoria unius, & alterius, ſed ex communi narratione, & tot omnium teſtimoniis, ut faciant evidentem credibilitatem, & certitudinem moralem ſtricte talem, quam ſufficere ad hoc, ut poſt ſe trahat fidem divinam, in prima diſputatione docui. 390

Dices. Ad legitimam definitionem requiritur, ut Epiſcopi in examinanda quæſtione propoſita, & indaganda veritate debitam induſtriam adhibuerint, cum utique per ſe abſurdum ſit dicere, infallibiles eſſe conciliorum de- 391

definitiones, etiam temere, & inconſulto, & velut inter pocula effuſas; atqui de hac diligentia non poſſumus eſſe certi, ne quidem fide hiſtorica. Quis enim Hiſtoricorum taxavit induſtriam a Patribus adhibitam, vel adhibendam? Conf. Non conſtat, cui promiſſa ſit infallibilitas, an concilio, vel Pontifici ſeorſim, an utrique ſimul ſumpto? ergo. Reſp. ut ſupra, videlicet certam eſſe hanc propoſitionem disjunctivam, quod vel Patres concilii debitam diligentiam adhibuerint, vel Deus defectum illius ſuppleverit, vel eundem Eccleſiæ manifeſtaſſet. Dein Neg min. de diligentia Patrum nos certos reddunt, conſultationes, colloquia, diſputationes, quæ in conciliis præmitti ſolent formandis fidei decretis, cumque Deus omnia ſoleat provide, ac ſuaviter diſponere, credendum eſt, nunquam permiſſurum, ut in concilio, quod ab Eccleſia legitimum habetur, conveniant Epiſcopi majorem partem non legitimi, aut infideles, & temere ſolum aliquid definiant, quod certe foret illicitum, & hactenus nunquam factum eſt. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Id ſolum hic defendimus, & omnino certum eſt, concilio œcumenico Eccleſiam univerſam repræſentanti promiſſam eſſe a Chriſto infallibilitatem, ſaltem ſi conſentiat cum capite, & confirmatio Pontificis acceſſerit.

De prætenſis erroribus conciliorum.

392 NE hæretici rationibus convicti infallibilitatem conciliorum admittere cogantur, varios errores in illis detegere conantur, ſed ſi non mala, ſaltem fide non bona. Nam 1 ſæpe tanquam errores objiciunt, qui revera errores non ſunt, ſed quandoque etiam articuli fidei.

fidei. 2. Sæpe illos tantum corradunt ex conciliis illegitimis, aut particularibus a Sede apostolica nunquam approbatis. 3. Vel si concilia sunt approbata, tamen non fuerunt approbata quoad omnia, etiam illa, in quibus est error. 4. Sæpe tanquam conciliorum definitiones citant privatas Patrum opiniones, aut argumenta, & prævias rationes ad probandum ante definitivam sententiam in concilio adhibitas. 5. Errores sæpe tantum fuere circa factum particulare, vel decreta morum quoad circumstantias. 6. Non raro ipsa verba conciliorum depravant, aut in alienum sensum detorquent. Nos sinceram præcipuarum rerum, quæ in aliis tractatibus ex instituto examinari non solent, seriem referemus, unde facile ad sectariorum objectiones responderi potuerit.

In concilio Apostolorum act. 15 (hoc enim primo allatrant heterodoxi quidam) duplex agitabatur quæstio; prima, ac præcipua ad fidem pertinebat, utrum nempe circumcisio, aliaque legalia qua talia fidelibus, ac præsertim gentibus conversis sint necessaria ad salutem? quam cum Petro totum concilium resolvit in partem negativam. Quia tamen Jacobus Apostolus censuit iisdem gentilibus ad fidem conversis imponendam esse abstinentiam ba sanguine, & suffocato, etiam in hoc illi consensit synodus: at hæc quæstio solum pertinebat ad morum disciplinam. Neque hæc abstinentia Christianis fuit imposita, ut ceremonia veteris legis, sed ut res ab ipsis Apostolis sapientissime pro illo tempore præcepta, tum ut Judæi, qui a sanguine, & suffocato vehementer abhorrebant, facilius ferrent societatem gentilium, tum ut omnis idololatriæ, ac paganismi suspicio a gentibus conversis averte- 393

me-

rentur. Nam, ut observant antiqui Scriptores, esus sanguinis, & suffocati tunc erat certissimum signum Paganismi; quamvis hoc præceptum postea cessantibus istis rationibus, & mutatis circumstantiis fuerit abrogatum, quæ omnia fieri potuerunt, quin inde sequatur minima contradictio, ut cuivis facile patet.

394 Concilium Nicænum I can. 12 non damnat militiam, sed gravem pœnitentiam imponit illis, qui cingulum militare, apud gentiles tunc honoris insigne, catholicæ fidei causa deposuerunt, postmodum vero tentationibus victi, ut ad militiam redire liceret, illud cingulum iterum resumpserunt, & vel fidem Christo datam abjurarunt, vel saltem gravi periculo illam abjurandi se exposuerunt. In eodum concilio can. 19 merito jussi sunt rebaptizari Paulianistæ, quia non solum graviter errarunt circa mysterium Trinitatis, Christum habentes pro puro homine, sed etiam formam baptismi corruperant. Contra eosdem Paulianistas egit concilium particulare Antiochenum anno 272, quando rejecit vocem Homousion, sed in alio sensu acceptam, quam in concilio Nicæno. Nam Nicænum hanc vocem definivit, prout illam negavit Arius contendens Patrem, & Filium non esse ejusdem substantiæ; Antiochenum vero eam vocem damnavit, prout illam affirmavit Paulus Samosatenus, docens Filium, & Spiritum sanctum non posse dici Deum ab æterno, nisi sint consubstantiales Patri, id est, nisi dentur tres in Deo substantiæ numero distinctæ, sicut in creatis: cætera concilia, quæ consubstantialitatem negarunt in eo sensu, in quo a Nicæno fuit definita, non fuerunt legitima, sed ex Arianis Episcopis conflata.

Con-

Constantinopolitanum I tribuit quidem can. 5 Episcopo Constantinopolitano locum ante Patriarcham Alexandrinum, & Antiochenum, Episcopum Cæsariensem, & Patriarcham Hierosolymitanum, quibus concilium Nicænum primum post Romanum Pontificem honorem adjudicaverat: verum hoc non ad fidem, & mores, sed ad disciplinam Ecclesiæ pertinet, neque Ecclesia Latina hunc canonem unquam recepit, ut patet tum ex epistola 31 Gregorii Magni libr. 6, tum ex epistola 51 Leonis, qua acerrime redarguit Anatolium, quod in concilio Chalcedonensi eundem canonem furtive confirmaverit. Unde licet Episcopi Constantinopolitani Imperatorum potentia freti ob dignitatem regiæ urbis primam a summo Pontifice sedem usurparint, id nunquam approbavit Papa, donec tandem Innocentius III pacis studio in concilio Lateranensi IV can. 5 hunc honorem ipsis concessit. Multo minus ullum concilium legitimum alicui tribuit primatum supra sedem Romanam; imo canon 6 concilii Nicæni in codicibus genuinis ita incipit: *Ecclesia Romana semper habuit primatum; antiquitus igitur consuetudo servetur.* Quando autem Græci in concilio Chalcedonensi Episcopo Constantinopolitano paria cum Romano privilegia concedere voluerunt, Legati Pontificis reclamantes discesserunt, & tota illa actio reprobata fuit. Si dicant, constitutionem concilii Chalcedonensis approbatam fuisse per canones Synodi VI, jam supra adverti, synodum VI nullos edidisse canones, sed illos fuisse adjectos a conciliabulo Trullano. 395

Majores lites contra concilium Chalcedonense excitarunt Eutichiani, & Nestoriani. Occasionem dedere tria, ut vocari solebant, ca- 396

 pitula.

pitula. Primum erat ipſa perſona Theodori Mopſueſtiæ Epiſcopi, cum his, quæ contra Incarnationem impie ſcripſerat. Secundum erant Commentarii Theodoreti Epiſcopi Cyrenenſis contra S. Cyrillum, cujus anathematiſmi adverſus Neſtorium in illis Commentariis oppugnabantur. Tertium erat epiſtola, quæ dicebatur Ibæ Edeſſeni Epiſcopi ad Marim Perſam, in qua S. Cyrillus ut Appollinariſta traducitur, ejus anathematiſmi ut impii rejiciuntur, Synodus Epheſina I contemnitur, excuſatur Neſtorius, Epheſinum II Joannis Antiocheni conciliabulum laudatur, Theodorus Mopſueſtenus effertur velut prædicator veritatis: cum itaque hæc capitula a ſynodo Chalcedonenſi non fuerint damnata, imo Theodoretus & Ibas in communionem recepti, Neſtoriani inferebant, a concilio Epheſino injuſte damnatum eſſe Neſtorium; Eutichiani vero horum capitulorum damnationem urgebant, ut inde minueretur auctoritas concilii Chalcedonenſis, a quo ipſi damnati fuerant. Et vero Juſtinianus Imperator ſuaſu Theodori Cæſarienſis fecit edictum contra tria capitula, compulſis quatuor Sedium Patriarchis, ut illi ſubſcriberent. Vigilium quoque Romanum Pontificem Conſtantinopolim vocatum tamdiu vexavit, donec anno 548 habito 70 Epiſcoporum concilio decretum edidit (Judicatum vocabant) in quo tria capitula damnavit, *ſalva Synodi Chalcedonenſis reverentia*.

397 Juſtinianus hoc judicato ob additam clauſulam non contentus de novo Vigilium urgere incipit, ut tria capitula abſolute ſine mentione concilii Chalcedonenſis damnet: recuſat Papa ſe id facturum, niſi convocaretur ſynodus generalis non ſolum Orientalium, ſed etiam Occidentalium Epiſcoporum, quorum mul-

multi tria capitula acriter defendebant. At Imperator moræ impatiens publice edictum suum contra tria capitula proponit, reclamantem vero Vigilium primo ad Basilicam S. Petri, tum Chalcedonem fugere compellit, unde non antea Constantinopolim rediit, quam dum Imperator illius constantia victus suum edictum sustulit. Sed neque post reditum suum Synodo V, quæ tunc Præside Eutichio Patriarcha Constantinopolitano cœpta est, licet bis invitatus, interesse voluit, partim corporis ægritudinem, partim paucitatem præsentium Episcoporum Occidentalium causatus; spopondit tamen, se privatim suam sententiam de tribus capitulis scripto oblaturum Imperatori, quod & fecit, prolato constituto quodam, in quo 60 capita ex libris Theodori Mopsuesteni extracta, uti etiam perversam Theodoreti doctrinam damnavit, simul autem prohibuit, ne quid contra ipsum Theodorum, Theodoretum, & Ibam, aut Ibæ epistolam decerneretur. Interea Synodus pergebat examinare tria capitula, & post octo collationes in illa, & Theodori personam sententiam damnationis protulit. Noluit initio Vigilius illam confirmare; at postquam ideo ex mandato Justiniani in exilium deportatus, per sex circiter menses omnia acta Synodi mature, & diligenter inspexit, illius judicium ratum habuit, uti referunt Evagrius, Photius, aliique scriptores Græci, & patet ex epistola, quam Vigilius dedit ad Eutychium Constantinopolitanum.

In hac epistola duas potissimum causas 398
suæ approbationis affert Vigilius, nempe quod in damnationem trium capitulorum sibi jam consentientes habeat Episcopos Africanos, Il-

liricos, & Dalmatas, qui prius suo judicato graviter fuissent offensi, & quod Patres Synodi V nihil statuissent, quod Chalcedonensi concilio præjudicare posset, sed potius illius auctoritatem de novo confirmassent. Nam 1 quamvis concilium Chalcedonense tria capitula positive non reprobaverit, adeo tamen illa nunquam canonice probavit, ut Theodoretum, & Ibam non antea in communionem admiserit, quam anathema Nestorio dixere, per quod uterque sua contra Cyrillum scripta ipso facto damnavit. Imo Ibas constanter negavit, hanc epistolam esse suam, nec de illa convinci potuit. Quando igitur actione 10 Legati apostolici Ibam etiam relectis ipsius chartis, & epistola pronuntiarunt innoxium, & orthodoxum, ideo factum est, quoniam tunc consensit, & subscripsit sacro concilio, & epistolæ S. Leonis, ut advertit Vigilius in constituto ad Imperatorem misso; ipsam vero epistolam Ibæ catholicam esse solus judicavit Joannes Antiochenus. 2. Theodoretus, & Ibas neque in Chalcedonensi, neque in Constantinopolitana synodo damnati sunt. Theodoro Mopsuestensi Patres Chalcedonenses pepercerunt quidem, quia jam fuerat mortuus, & Joannes Antiochenus in epistola ad Proclum illum laudavit, non ut ab erroribus excusaret, sed ne publice tanquam hæreticus damnaretur propter egregiam Ecclesiæ in aliis navatam operam. Cum vero ejus auctoritate Nestoriani abuterentur, Patres Constantinopolitani judicarunt, eum publice tanquam hæreticum esse denuntiandum, quamvis hæc excommunicatio utique non amplius illius animam, sed tantum illius memoriam, & nomen afficere potuerit. 3. Licet synodus V initio erraverit, quod contra vo-

voluntatem Vigilii judicium inſtituerit, tamen poſt illius approbationem etiam ab Occidentalibus fuit recepta tanquam legitima, exceptis Liguriæ, Venetiæ, & Iſtriæ Epiſcopis, qui ſchiſma fecere usque ad tempora Gregorii Magni.

Vigilium ipſum, quod attinet, ſynodo ſe 399
non oppoſuit ideo, quaſi tria capitula agnoſceret innoxia, & orthodoxa, ſed quia tunc temporis nec neceſſarium, nec utile videbatur illud judicium committere Epiſcopis Orientalibus, tum ne occaſio offenſionis præberetur Occidentalibus, tum ne auctoritas concilii Chalcedonenſis in diſcrimen adduceretur ſub Imperatore Eutichiano, qui edictum ſuum merito credebatur hunc in finem promulgaſſe, ut tria capitula damnarentur, tanquam concilio Chalcedonenſi conſentanea. 2. Ex hac ipſa ratione cum videret Vigilius multos Epiſcopos ſuum judicatum in malam partem accipere, edito novo conſtituto, tria capitula rurſus quodammodo defendit, non materialiter ſumpta, & prout erant in ſe, ſed accepta formaliter, & reduplicative ad proceſſum concilii Chalcedonenſis. 3. Quod in ſuo conſtituto prohibuerit, ne epiſtola Ibæ damnaretur, hanc reddit rationem, quia *quamvis quædam in illa reprobanda ſint, ea potius per errorem intelligentiæ, quam hæretico animo dicta ſunt.* 4. Neque obſtat, quod in ſua ad Euthychium epiſtola modeſte fateatur, *Se veritatem antea non ſatis aſſecutum fuiſſe, nec erubeſcere debere, ſi exemplo S. Auguſtini ſua dicta retractet*; nam hic loquitur de errore meri facti, quo ex damnatione capitulorum timuit, ne concilium Chalcedonenſe labefactaretur, aut majora ſchismata orirentur, quo errore agnito ſuam mentem mutavit, & ſynodum V non ſolum approba-

 vit;

vit; sed etiam ob sinceram fidem maxime dilaudavit.

400 Quid circa concilium Constantinopolitanum III in causa Honorii I sentiendum sit, ipsi Catholici non conveniunt. Synopsin hujus historiæ dedi in tract. de Incarnat. a num. 196, ubi exposui, quomodo Honorius a Sergio Patriarcha Constantinopolitano deceptus gravem suspicionem incurrerit, quasi hæresi Monothelitarum consenserit, vel saltem nimium faverit. Quamvis autem Papa Joannes IV pro mortuo Honorio ad Constantinum Imperatorem dederit epistolam apologeticam, nihilominus contra illum postea multa statuit synodus generalis V, seu Constantinopolitana III. Nam act. 13 ejus epistola ad Sergium dicitur *Omnino aliena ab apostolicis dogmatibus, & sequi falsas doctrinas hæreticorum;* Dein postquam nomina Cyri, Pyrrhi, Petri, ac Theodori Pharonitani a Dei Ecclesia projecta sunt, ita habetur: *Cum his vero simul projici a S. Dei Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus, & Honorium, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit;* act. 16 universi Patres in has voces erupere: *Sergio hæretico anathema, Cyro hæretico anathema, Honorio hæretico anathema, Pyrrho hæretico anathema.* Idem repetitur act. 18, in ipsa vero definitione fidei dicitur: *Dæmonem per organa sua Theodorum, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Honorium, & Cyrum erroris scandala suscitasse orthodoxæ plebi novissime disseminando hæresim.*

401 Equidem Bellarm. Baron. aliique censent, acta concilii corrupta fuisse a Theodoro vel Georgio Patriarchis Constantinopolitanis. Sed

The-

Theodorus jam fuerat depositus, & primum 3 annis post finitam synodum, & mortuum Georgium in suam sedem fuit restitutus, nec in synodo unquam accusatus legitur; Georgius vero ejus successor non est, cur æmulo suo Honorium voluerit substituere, cum ex actis ne quidem expunxerit ea, quibus ipsemet perstringebatur. Neuter sane potuit corrumpere omnia exemplaria ad Patriarchas missa, præsertim illud, quod Legati Apostolici secum Romam asportaverant, qui postea hanc fraudem facile detexissent. Hinc Leo II, synodus VII, & Hadrianus II Honorium inter illos numerant, qui a synodo VI anathematizati sunt. Alii cum Joanne Baptista Bartholi SS. canonum antea Patavii professore, & postea Episcopo Feltriensi volunt, non quidem acta synodi, attamen epistolas Honorii ad Sergium adulteratas fuisse, & primam quidem a Macario Antiocheno, qui 12 annis ante Synodum varios corruptos codices Imperatori tradidit. Verum hæc a Patribus intacta mansit. Alteram vero ajunt primum anno 43 post mortem Honorii sedente jam concilio fuisse protractam ex Patriarchio Constantinopolitano, in quo plures codices supposititios exstitisse ipsa synodus act. 14 fatetur. Sed quis credat, quod nec ullus Patrum, nec Legati apostolici, nec ipsi Pontifices successores Honorii ad hanc fraudem advertissent, si pro ipsius epistola paris adulterationis, vel suppositionis suspicio afferri potuisset. Hinc

Cabassutius, du Messnil, Alexander Natalis 402
&c. contendunt Honorium a synodo VI vocatum hæreticum, damnatumque fuisse, non quod vere fuerit hæresis auctor, sectator, & defensor, sed quia Monothelismo non satis se opposuit, sed silentio, dissimulatione, ac incon-

fulta œconomia hæreticis nimium indulfit; nam 1 concilium fæpe affirmavit, fe judicaffe juxta mentem B. Agathonis, ejusque epiftolam ad illud concilium datam, a Spiritu fancto effe dictatam; atqui in hac epiftola aperte fcribit Agatho neminem fuorum prædecefforum in vera fide aberraffe. 2. Pariter Nicolaus Pontifex epift. *Propofueramus quidem*, ad Michaelem Imperatorem fcripfit, neminem Romanorum Pontificum vel tenui rumore hærefis fuiffe afflatum, quod ad Græcos fcribere non potuiffet, fi hærefis nota Honorio fuiffet inufta. 3. Hinc quamvis ipfi Pontifices poft fynodum VI anathema dixerint Honorio, quod Ecclefiam maculari permiferit, nunquam tamen dicunt, concilium injufte Honorium damnaffe, cum tamen paulo ante in fynodo V ad condemnationem trium Epifcoporum totus ferme Oriens, & Occidens collifus fuerit. 4. Quando Patriarcha Conftantinopolitanus concilio fupplicavit, ne nominatim Petrus & reliqui anteceffores fui Monothelitæ damnarentur, refponfum eft, illos jam ante a facris dypticis, five tabulis fuiffe ejectos; jam vero pro Honorio nemo fupplicavit, ejusque nomen in facris dypticis femper fervatum fuiffe teftantur Theodorus Conftantinopolitanus, & Macarius Antiochenus; ideo ipfi Scriptores Græci Theophanes, Ifaurus, Zonaras, Photius Conftantinopolitanus &c Honorium non numerant inter Hæreticos.

403 Verum verba fynodi fupra citata clariora videntur, quam ut fine gravi tortura folum pro hærefis fautore accipi poffint. Hinc Turrecremata apud Bellarm. lib. 4 de Rom. Pont. cap. 11 fatetur, fynodum in damnando Honorio erraffe, at in quæftione puri facti, quafi ve-

vero ſermo tantum fuerit de facto perſonali, & non de facto dogmatico, ac ipſo ſenſu epiſtolarum Honorii. Melius igitur reſpondet Laurentius Lucheſinus in Polemica hiſtoria Janſeniſmi part. 3 lib. 1, & Pater Simonet tract. 10 de Incarnatione diſp. 1 art. 14, ubi docet, judicium ſynodi VI nullam vim habere, eo quod hac in parte non fuerit approbatum a ſummo Pontifice. Quippe Leo III in epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum, qua acta ſynodi confirmavit, luculentum facit diſcrimen inter Monothelitas, quos propter hæreſin, & inter Honorium, quem ob ſolam damnat conniventiam; enumeratis enim omnibus hæreticis antiquioribus, quos Eccleſia damnat, ita proſequitur: *Pariter anathematizamus novi erroris inventores, id eſt, Theodorum Pharonitanum Epiſcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubſeſſores magis, quam præſules, nec non, & Honorium, qui hanc apoſtolicam Eccleſiam non apoſtolicæ traditionis doctrina luſtravit, ſed profana proditione immaculatam maculari permiſit, & omnes, qui in ſuo errore defuncti ſunt.* Idem diſcrimen facit Leo in epiſtola, quam cum profeſſione fidei, a VI ſynodo edita, miſit ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Ubi ait, omnes hæreticæ aſſertionis auctores condemnatos eſſe, nempe Theodorum, Cyrum, Sergium &c., & *cum eis Honorium, Romanum, qui immaculatam apoſtolicæ traditionis regulam maculari conſenſit.*

Opponit quidem Baronius epiſtolam Leonis ad Imperatorem eſſe ſuppoſititiam, & Bellarminus illam eſſe corruptam. At ſi hæc epiſtola ſuppoſititia eſt, non habetur alia, in qua ſynodus VI fuiſſet confirmata, eaque ita ex- 404

 acte

acte cum actis ſynodi conſpirat, ut prorſus incredibile ſit, illam in omnibus exemplaribus eſſe corruptam. Neque obſtat 1, quod dicatur data nonis Maji indictione 10, cum tamen Leo in ea reſcripſerit ad epiſtolam Conſtantini primum menſe Julio ejusdem indictionis acceptam. Nam teſte Pagio in Crit. tom. 3 ad annum Chriſti 683 hæc temporis conſignatio in Græco non exprimitur, & loco indictionis 10 legendum eſt undecimæ, ut ipſe Pontifex indicat, dum in ſua epiſtola ait: Legatos apoſtolicæ ſedis per nuper elapſam decimam indictionem menſe Julio cum ſynodalibus geſtis a ſe ſuſceptos fuiſſe. Neque obſtat 2, quod Leo primum fuerit factus Pontifex menſe Augusto indictionis 11mæ, quippe licet tunc primum fuerit conſecratus, tamen jam ante, nempe menſe Julio indictionis 10 fuerat electus. Neque obſtat 3, quod in eadem epiſtola dicat, *Se anathematizare omnes, qui in ſuo errore defuncti ſunt.* Gratis namque dicitur, quod his verbis voluerit comprehendere Honorium, quem nunquam dicit in errore Monothelitarum fuiſſe, ſed præciſe dicit, quod imprudenti œconomia immaculatam fidem maculari permiſerit. Neque obſtat 4, quod in textu latino legatur: *Nec non & Honorium, qui immaculatam fidem ſubvertere conatus eſt.* Nam in Græco textu habentur verba, prout a nobis citata ſunt, licet dein verſor latinus illa male reddiderit. Cæterum Honorius in templo S. Petri publico funere fuit ſepultus, eique a Romana Eccleſia in omnibus ut catholico Pontifici parentatum.

405 Quippe Honorius proprio animi judicio ne quidem in hæreſim privatam lapſus eſt. Quanquam enim in epiſtola ad Sergium aſſerat, ſe idem cum ipſo loqui, & ſentire, quia pu-

putaverat Sergium esse catholicum, & solum quærere concordiam inter orthodoxos, tamen Honorius duas in Christo voluntates, & operationes credidit, & ab aliis credi voluit, ut ostendunt hæc illius verba: *Utrasque in Christo naturas unione naturali copulatas, & cum alterius communione operantes, & operationes confiteri debemus, & divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem, & humanam, quæ hominis sunt, exsequentem.* Unde affirmando unam voluntatem tantum voluit a Christo removere duas voluntates contrarias, quia ut seipsum post verba: *Unam voluntatem fatemur*, explicat: *A divinitate assumpta est nostra natura, non culpa.* Item: *Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura, quæ repugnat legi mentis.* Ex quo vides Honorium, & Sergium unam, & duas voluntates in sensu longe diverso accepisse; nam Sergius tantum admittebat voluntatem divinam, & per voluntates contrarias intelligebat divinam, & humanam, in eodemque sensu etiam duas operationes rejiciebat: Honorius vero solum loquebatur de voluntate humana, & solum rejiciebat operationes humanas contrarias. Ita mentem Honorii explicavit Joannes Abbas, qui nomine illius ad Sergium, & postea nomine Joannis Papæ ad Constantinum scripsit. Equidem Honorius adhuc aliam epistolam ad Sergium dedit, cujus fragmenta quædam citantur act. 13 synodi 6tæ; sed nihil in illa contineri, quod cum fide orthodoxa conciliari nequeat, supra jam adverti.

Quando synodus VIII, seu Nicæna II definiens sacrarum imaginum cultum, adhibuit vocem adorationis, illam accepit latius pro quacunque veneratione duliæ; nam in professione 406

ſione ſidei ita habet : *Omnes illis (ſacris imaginibus) ſalutationem, & honorariam adorationem exhibeant, non ſecundum fidem noſtram veram Latriam, quæ ſolum divinæ naturæ competit ;* utrum vero hæc ſynodus poſtea a concilio Francofordienſi damnata ſit, dubium eſt. Affirmant Ado, Aimonius, Abbas Urſpergenſis, Platina, & libri Carolini ex canone 2 Patrum Francofordienſium, qui proin erraſſent errore facti, quia Græcæ linguæ, & æquivoca adorationis voce decepti exiſtimaverunt, in ſynodo VII definitum eſſe ſacris imaginibus cultum latriæ ; ipſam vero ſynodum non fuiſſe œcumenicam, ſed concilium particulare Græcorum, quod tunc temporis nondum erat in Occidente receptum. Aliis tamen probabilius videtur Francofordii non fuiſſe damnatam ſynodum Nicænam in ſe, ſed prout ejus acta ad Patres ſunt perlata, in quibus error de cultu latriæ, quia erat privati cujusdam Epiſcopi, videlicet Conſtantini Conſtantiæ Cypri, per fraudem, vel inſcitiam fuit inſertus. Nam concilio Francofordienſi præſentes erant Legati Hadriani Papæ, qui ſynodo VII præfuit, & ſtatim poſt concilium Francofordienſe libros Carolinos ſcripto confutavit, quod in ſynodum ſeptimam invecti ſint, quin tamen Patrum Francofordienſium ullam mentionem faciat ; libri autem Carolini non ſunt conſcripti a Carolo Magno, ſed a quodam impoſtore nullius auctoritatis. Porro concilium Francofordienſe tantum approbatum eſt quoad damnationem Elipandi, & Felicis aſſerentium, Chriſtum eſſe filium Dei adoptivum.

407 Synodus VIII, ſeu Conſtantinopolitana IV decernit quidem, Photium intruſum, & ſedis Patriarchalis Conſtantinopolitanæ invaſorem, nusquam vere Epiſcopum fuiſſe, & ideo or-

ordinationes, & consecrationes ab ipso factas esse irritas. Hadrianus quoque II in epistola ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum Photium, & quos ordinavit ab Episcoporum numero, & dignitate sequestrat, dicens, Photium nec habuisse aliquid, nec dedisse. At per hæc non volunt declarare Photium non fuisse vere Episcopum, quoad dignitatem, & characterem, ideoque ordinationes ab ipso factas fuisse invalidas; sed quod nunquam fuerit vere Episcopus quoad jurisdictionem, & potestatis episcopalis usum; hinc ordinationes ab ipso factas non fuisse licitas, & legitimas, nec quidquam ab ipso ordinatis licite dari potuisse. Quippe Photius a Gregorio Syracusano jam deposito, & exauctorato, & quidem intra sex dies sine interstitiis ordinatus fuerat; nihilominus postea Joannes VIII eundem Photium sine nova ordinatione suæ sedi restituit. Eodem modo intelligi debet canon 6 concilii Lateranensis I, & canon 30 Lateranensis II, quorum priore irritæ declarantur ordinationes factæ a Burdino Antipapa, posteriore ordinationes factæ a Petro Leone Antipapa, aliisque schismaticis.

Ordo Templariorum cœpit anno Christi 1118 ab Hugone de Paganis, & Godefrido quodam a S. Audemaro, qui omnium primi cum septem aliis sociis vota Religionis emisere, & simul habitare cœperunt in domo communi juxta templum Hierosolymitanum sita, unde Templarii, sive Equites militiæ templi vocati sunt. Postea sub Honorio II certa vivendi regula ipsis præscripta fuit, & inter alia præceptus albi coloris habitus, cui postea super pallium addi crucem rubeam jussit Eugenius III. Floruit hic ordo multos in annos, donec tandem 408

dem ob gravissima scelera publica infamia laborare cœpit; orta inde suspicio crevit ex delatione prioris Montisfalconis, Noffi Florentini, & alterius Equitis Templarii Clementis V Cubicularii, qui visa, factaque referebant. Postmodum in inquisitionibus testium duorum fere millium depositione, & multiplici ipsorum reorum confessione probata est, in qua confessione multi ad mortem usque perseverarunt. Merito igitur a Clemente V per viam provisionis, seu ordinationis apostolicæ in concilio Viennensi totus ordo extinctus est. Neque obstat auctoritas conciliorum particularium Salmanticensis, & Moguntini; nam teste Mariana a Salmanticensi summa totius rei deliberatio ad Papam rejecta fuit. Patres vero Moguntinos Hugo quidam comes, qui cum 20 aliis armatis Templariis subito in illorum consessum venit, ita terruit, ut pro illorum innocentia pronuntiarent. Quod si etiam Templarii harum provinciarum innocentes fuissent, non sequitur, pariter innocentes fuisse alios multo plures e Gallia, Hispania, Anglia, Italia &c., qui in jus vocati se reos confessi sunt.

QUÆSTIO III.

An corpus Pastorum cum summo Pontifice consentientium etiam extra concilium generale sit infallibile?

469 Status quæstionis est, an, si Pontifex loquens ex cathedra aliquid circa fidem, & mores extra concilium generale definit, vel a concilio particulari definitum approbat, & reliqui per orbem christianum Episcopi consentiunt, talis definitio æque sit infallibilis regula fidei, ac si in concilio œcumenico facta esset: cen-

se-

ſetur autem Romanus Pontifex loqui ex cathedra, quando aliquid univerſæ Eccleſiæ ad credendum fide divina, aut agendum proponit, ſive quando univerſam Eccleſiam vult obligare, & pro hæreticis haberi illos, qui oppoſitum pertinaciter ſuſtinent. Si vero aliquid ſine intentione obligandi totam Eccleſiam tantum aſſerit, vel etiam editis libris docet, dicitur loqui ut homo, vel doctor privatus. Sic locutus eſt S. Gregorius in ſuis Homiliis. Innocentius III, & Hadrianus VI in ſuis theologicis, vel canoniſticis lucubrationibus, quibus nemo infallibilem auctoritatem tribuit. Porro Epiſcopi poſſunt conſentire vel expreſſe definitionem Pontificiam approbando, vel tacite non reclamando publico judicio, quod vel a ſolo Pontifice, vel a ſynodo particulari ab ipſo approbata fidelibus ad credendum proponitur.

Dicendum. Corpus Paſtorum cum ſupremo capite conſentientium etiam extra concilium generale eſt infallibile in definiendis rebus fidei, & morum. Prob. 1 ex perpetuo uſu, & praxi Eccleſiæ, quæ definitiones Romani Pontificis cum conſenſu cæterorum Epiſcoporum factas ſemper habuit pro judicio finali, & irreformabili. Nam imprimis ante concilium Nicænum I nullum generale fuit habitum, & tamen variæ hæreſes a Romano Pontifice fuerunt damnatæ, ut hæreſis Montaniſtarum, Marcioniſtarum, Novatianorum. Dein poſt concilium Nicænum rurſus absque concilio generali damnati ſunt Priſcillianiſtæ, Pelagiani, Semi-Pelagiani &c., & noviſſimis hiſce temporibus propoſitiones Baji, Janſenii, Michaelis Molinos &c., quas definitiones Eccleſia ſemper agnovit tanquam infallibiles, reclamantibus ſolis novatoribus, quorum pertinacia tam parum 410

parum ipfis prodeffe potuit, quam Arianis, Neftorianis, Eutichianis, Lutheranis, & Calviniftis profuit, quod conciliis œcumenicis pertinaciter fe oppofuerint. Conf. Ex graviffima auctoritate Theologorum apud Thyrfum Gonzalez in manuduct. adverfus Mahumetanos part. 1 lib. 3 cap. 6, ubi oftendit noftram fententiam ab omnibus nationibus, familiis Religiofis, Univerfitatibus, ipfaque Sorbona faltem majore ex parte defendi, opponentibus fe pauculis Doctoribus Parifienfibus; quorum opinionem Duvalius ait pertinere ad claffem illarum, quæ præcife tolerantur; Toletus vero, Bellarm. Valent. Suarez illam gravibus cenfuris perftringunt.

411 Probatur conclufio 2. Paftores Ecclefiæ in fynodo generali congregati, & Romano Pontifici confentientes infallibiliter definiunt res fidei, & morum: ergo etiam extra concilium generale; quippe concilium generale fuam infallibilitatem non obtinet a loco, in quo congregatur, fed ex eo, quod univerfam Ecclefiam repræfentet, & quia illo errante tota Ecclefia errare poffet. Atqui Papa, & Epifcopi etiamfi non fint congregati in eodem loco, modo fint conjuncti quoad fidem, & animum, totam Ecclefiam repræfentant, & fideles ipfis credere, ac obedire tenentur, vel certe honefte poffunt: ergo illis errantibus tota Ecclefia poffet errare. Conf. Non eft credibile, quod Chriftus Ecclefiæ folum profpexerit de tali judice, qui difficillime conveniri, controverfias dirimere, & graffantes errores fupprimere poteft; atqui talis judex effet concilium generale, cujus congregatio fæpe infuperabilibus difficultatibus obnoxia eft, præfertim nunc, dum Ecclefia præter Impera-

ratorem tot Reges, & Principes ſupremos complectitur, neque Oriens, & Occidens eidem, ut olim, Domino paret. Cæterum ex his patet, infallibile eſſe judicium Pontificis cum conſenſu Epiſcoporum; utrum autem hic conſenſus ſit neceſſarius, inferius examinabimus.

Objectiones.

OBj. 1. S. Auguſtinus lib. 4 contra duas epiſtolas Pelagian., cap. ult. ait: *Aliquando ſaltem ad damnandas hæreſes neceſſarium fuiſſe concilium generale: cum potius rariſſime inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis exſtiterit:* ergo conſenſus Paſtorum extra concilium non eſt infallibilis. Conf. S. Doctor libr. 1 contra Donatiſtas ſupponit, controverſiam de Baptiſmo hæreticorum non fuiſſe finitam, niſi generali totius Eccleſiæ concilio: ergo. Reſp. Diſt. Ant. hoc fuiſſe neceſſarium per ſe, & neceſſitate abſoluta, Neg. Ant. per accidens, & ſecundum quid, Conc. Ant. & Neg. Conſ. S. Auguſtinus non docet, quod aliqua hæreſis ſine concilio generali abſolute nequeat infallibiliter, & legitime damnari, ſed quod nonnunquam per accidens e. g. ob potentiam hæreticorum, & fautorum detur magna difficultas hæreſin ſine auctoritate concilii generalis extirpandi. Ad Conf. Diſt. Ant. Supponit, illam controverſiam non fuiſſe finitam ſine concilio generali, & etiam ſupponit, illam finiri non potuiſſe, Neg. Ant. hoc poſterius non ſupponit, Conc. Ant. & Neg. Conſ. S. Auguſtinus ibidem dat duplicem diſparitatem inter Donatiſtas, & Cyprianum, quod videlicet Donatiſtæ reſpuendo Baptiſmum hæreticorum unitatem Eccleſiæ ſcindant, & ſuo errori adhæreant, poſtquam res plenario concilio 412

lio definita fuit, quorum neutrum fecit Cyprianus, qui ſemper in Eccleſiæ unitate permanſit, nec ejus error tunc fuerat a concilio generali damnatus. Hinc S. Doctor lib. 2 de Baptiſ. cap. 3 Donatiſtas ita compellat: *Cur auctoritatem Cypriani pro veſtro ſchismate aſſumitis, & ejus exemplum pro Eccleſiæ pace reſpuitis?* & lib. ad Bonifacium cap. ult. ait: *Pelagianos iniquiſſime expectare ſynodi generalis ſententiam, poſtquam tot aliæ hæreſes extra ſynodum generalem damnatæ fuerunt.*

413 Dices. Clerus Gallicanus in conventu Pariſienſi anno 1682 poſuit hanc propoſitionem: *In fidei quæſtionibus præcipuas ſummi Pontificis eſſe partes, ejusque decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.* Conf. Si conſenſus Paſtorum extra concilium eſſet infallibilis, fruſtra concilia generalia convocarentur: ergo. Reſp. Diſt. Ant. Niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit intra, vel extra concilium, Omitt. Ant. neceſſario intra concilium, Neg. Ant. Quod ſi aliqui Galli recentiores plus vellent, neutiquam præferri deberent Gallis antiquioribus, qui cum Doctoribus catholicis omnium reliquarum nationum nobiſcum ſentiunt. Ad hæc conventus ille Pariſienſis immerito dicitur clerus Gallicanus, cum in illo pauci reſpective Epiſcopi fuerint congregati, & illas propoſitiones emiſerint aliis nec mandantibus, nec probantibus, dum econtra 80 Epiſcopi Galliæ judicium Innocentii X de quinque propoſitionibus Janſenii tanquam divina auctoritate nixum acceptari debere profeſſi ſunt, & adductis ex antiquitate exemplis demonſtrarunt, ut patet ex genuina epiſtola, quam ad Innocentium X dederunt. Ad Conf. Neg. Ant. Con-

Concilia generalia plurimum prosunt tum tempore schismatis, tum alias, ut in præsentia Episcoporum ex omni natione ad examen revocentur ea, quæ ad morum reformationem, & publicam disciplinam, pertinent. Item ut definitiones fidei fiant cum majori solemnitate, atque ora contradicentium efficacius obstruantur. Denique ut communi consilio conferatur de efficaci decretorum exsecutione.

Obj. 2. Est moraliter impossibile, ut obtineatur consensus omnium, vel saltem plerorumque Episcoporum per totum orbem dispersorum, cum sæpe nec tempus, nec causæ ratio, nec aliæ circumstantiæ patiantur, ut omnes consulantur, aut sententiam suam aperiant: ergo fidei controversiæ sine concilio generali non possunt terminari. Conf. Non potest determinari, quantum temporis spatium requiratur, ut constitutio dogmatica Papæ ad omnes Episcopos pervenisse, & ab illis approbata censeri possit. Resp. Dist. Ant. est moraliter impossibile, ut obtineatur consensus expressus, Trans. Ant. partim expressus, partim tacitus, Neg. Ant. Modo Episcopi per orbem dispersi in definitionem dogmaticam tacite consentiant, hic consensus jam est infallibilis; alias posset errare tota Ecclesia. Sic extra Galliam vix unam reperies Ecclesiam, quæ expresso, & publico decreto receperit bullas Innocentii X, & Alexandri VII, in quibus damnatur hæresis Janseniana, & tamen has bullas totius Ecclesiæ consensu receptas esse, soli negant Jansenistæ, nullus Catholicus. Ad Conf. Neg. Ant. Licet non possit statui idem tempus respectu omnium constitutionum, circumstantiarum, & locorum, requiritur tamen, & sufficit tale, quo moraliter certo constare potest, sententiam de fide latam Ecclesiis etiam longe 414

diffitis innotefcere potuiffe. Quod fi elapfo hoc tempore Ecclefiæ non reclament, hoc ipfo tacite confentire, & definitionem approbare cenfentur.

415 Dices 1. Ex una parte tacere, vel non reclamare, non eft confentire: ex altera parte multæ filentii caufæ haberi poffunt, quæ nullo modo arguunt tacitum confenfum e. g. reverentia populi, & tanta fides erga Romanum Pontificem, quæ epifcopis non permittit ejus decretis obloqui, metus tribunalis facræ inquifitionis, gratia a fede Romana obtinenda, præoccupatio de infallibili auctoritate Papæ. Conf. Ex eo, quod Ecclefia non damnet fententias quasdam theologicas, non fequitur, quod illas approbet, ut clare docet Alexander VII per damnationem propofitionis 27 & Clemens XI in conftitutione Unigenitus: ergo a pari. Refp. Dift. Ant. quoad 1mum membrum, nifi detur obligatio loquendi, & reclamandi, Conc. Ant. fi datur, Neg. Ant. Qui errori non refiftit, & vi officii refiftere deberet, eundem approbat, ut bene ex communi fenfu ait Canus. Hinc 2dum membrum fimpliciter Nego. Quamvis enim ejusmodi rationes humanæ aliquos Epifcopos poffent permovere, ficut etiam in concilio generali, femper tamen firmum, ac ratum ftat, Spiritum veritatis nunquam permiffurum, ut Ecclefia aliquem in fide errorem quoquo modo approbet, uti fieret, fi pluralitas Epifcoporum contra errorem a Pontifice propofitum non reclamaret, cum tamen nulla fufficiens ratio tacendi detur, ubi filentium cederet in præjudicium fidei. Ad Conf. Neg. paritatem. Si hærefis tanquam dogma fidelibus proponeretur, Epifcopi vi officii tenerentur tantam perniciem pro viribus amoliri; Eccle-

fia

ſia autem non tenetur ſingulas propoſitiones & Theologorum libros, qui in dies prodeunt, excutere, vel etiam damnare errores, ex quibus nullum ſcandalum, vel periculum timetur.

Dices 2. Epiſcopi, qui præconcepta Pontificiæ infallibilitatis opinione tenentur, conſtitutiones dogmaticas ſine prævia diſcuſſione tantum cæco quodam impetu recipiunt: ergo illorum conſenſus parum valet. Conf. Conſenſus ex Pontificiæ infallibilitatis opinione proveniens nititur motivo falſo: ergo. Reſp. Neg. Ant. Qui judicat, dogmaticas Romani Pontificis conſtitutiones eſſe infallibilis auctoritatis, non agit cæco modo, & inconſulto impetu, ſed debitum iisdem mentis obſequium exhibet, cumque Epiſcoporum ſit de rebus fidei, & Religionis judicare, ſi conſtitutionem dogmaticam ampleĉtantur tanquam veram, ſuum & ipſi judicium interponunt, ac munus judicis exercent in cauſa, quam a ſede apoſtolica ſatis diſcuſſam eſſe merito ſupponunt. Ad Conf. Neg. Ant. Vel etiam transmiſſo interim antecedente, Neg. Conſ. Sicut lex ipſa, non motivum legislatoris eſt regula obſequii, quod ſubditi legi, & legislatori præſtant; alias quilibet pro vario, quod ſibi fingeret, legislatoris motivo pro libitu poſſet ſuum obſequium præſtare, vel negare; ita in cauſa fidei unice attendi debet Epiſcoporum conſenſus, non autem motivum privatum, quo ducuntur, ut conſentiant. Cæterum circa errores, quos hæretici conciliis particularibus cum Pontifice conſentientibus objicere ſolent, generatim notanda ſunt, quæ dixi num. 392. Ex plurimis pauca ſpecialiter annotaſſe ſufficiat. 416

Quando concilium Laodicenum cap. 1 ſtatuit, ut ſecundum indulgentiam reddatur com- 417

munio iis, qui secundis nuptiis juncti sunt, agit contra quosdam Episcopos particulares, qui ex zelo non secundum scientiam negarunt communionem bigamis, quorum errorem concilium corrigit, neque illud secundum indulgentiam significat condonationem peccati, sed tantum indicat, quod nuptiæ sint minus bonum, quam viduitas, in quo sensu etiam S. Paulus 1 ad Cor. 7 ait, se usum conjugii non imperare, sed indulgere. 2. Quando concilium Gangrense receptum a Leone IV can. de libellis di-stinct. 20 excommunicat eos, qui nolunt interesse sacrificio, quod offertur a presbytero conjugato, agit de presbyteris, qui antea fuerunt uxorati, & contra Manichæos, qui putabant esse nuptias malas, & ideo abominabantur Sacerdotes, qui aliquando matrimonio juncti fuerant. 3. Quando concilium Neocæsareense, pariter a Leone IV, & ab ipsa Synodo Nicæna I receptum jubet secundis nuptiis pœnitentiam tribuere, vel loquitur de eo, qui simul duas uxores habet, ut exponit Glossa causs. 31 q. 1 can. de his, qui frequenter, vel dici potest, quod non prohibeat secundum matrimonium, sed ejus solemnitatem, cui proprie nomen nuptiarum convenit, & quæ tantum semel in Ecclesia fieri consuevit, nimirum quando virgines conjunguntur, ut testatur Isidorus lib. 2 de offic. cap. 19.

418 Marcellus Ancyranus tam a concilio Sardicensi, quod partim approbatum partim reprobatum esse dixi, quam antea a Julio Pontifice in Romano concilio fuit absolutus ab erroribus Sabellii, & Pauli Samosateni, quorum suspicio merito in ipsum ceciderat. Nihilominus S. Athanasius illum postea æquissime a sua communione exclusit, quia novo errore ad Photinum declinare videbatur. 2. Concilium Ariminense celebratum sub Libe-

rio Papa initio fidem Nicænam generoſe confirmavit; verum poſtea multi Patres fraudibus Arrianorum circumventi, minisque Conſtantii Imperatoris territi lapſi ſunt. Quippe Arriani ipſis propoſuerant formulam, in qua fatebantur, Filium non eſſe *Creaturam cæteris creaturis ſimilem*, & Arrio anathema dixerunt; itaque Patres exiſtimantes, Arianos reipſa fateri, Filium Dei abſolute non eſſe creaturam, ſed conſubſtantialem Patri, ſubſcripſerunt. Obtenta hac ſubſcriptione Ariani præſertim Valens, & Urſacius conclamarunt, ſe non dixiſſe Filium Dei non eſſe creaturam abſolute, ſed non eſſe creaturam cæteris ſimilem, neque faſſos eſſe conſubſtantialem, ſed ſolum ſimilem in ſubſtantia. Interim hoc concilium a Liberio reprobatum eſſe, num. 381 adverti. 3. Concilium Romanum ſub Nicolao II non definivit, quod corpus Chriſti poſſit frangi, & dentibus teri in ſeipſo, de quo nulla fuerat quæſtio mota, ſed quod poſſit frangi in ſigno: agebat enim contra Berengarium aſſerentem, Evchariſtiam eſſe merum ſignum, ideo concilium juſſit, ut profiteretur frangi, ac dentibus teri ſignum habens realiter conjunctum Chriſti corpus.

Quod tam Stephanus VI communiter dictus VII, quam Sergius in cauſa Formoſi graviter quidem, ſed tantum privato errore facti erraverint, dum ille in conciliabulo Romano ordinationes a Formoſo factas irritas declaravit; hic vero denuo retractavit ſententiam a Joanne IX in concilio Romano & Ravennatenſi latam, qua acta Stephani reſcidit, ordinatosque a Formoſo in ſuum gradum reſtituit, dictum eſt in tract. de Sacrament. in genere a num. 257. Hic ſolum addo, neque Stephanum, neque Sergium tunc ab Eccleſia jam fu- 419

iſſe acceptatum, ſed utrumque in Sedem Pontificiam intruſum. Unde neceſſarium non fuit, ut ſententia Sergii denuo reformaretur. Neque de valore ordinum a Formoſo collatorum potuit eſſe dubium; fuerat enim antea Epiſcopus Portuenſis a Religione, morum integritate, & doctrina laudatiſſimus, a Nicolao I ad Bulgaros fide orthodoxa imbuendos miſſus, & quamvis poſtea Joannes VIII Formoſum (qua de cauſa incertum) degradarit, & ad ſortem laicorum redactum ab urbe relegarit, ſimulque jurare coegerit, ſe nunquam epiſcopatum ſuum repetiturum, illum tamen Marinus Joannis ſucceſſor ab hoc juramento vi, metuque extorto mox iterum abſolvit, & priſtinæ dignitati reſtituit. Tandem poſt Stephanum V a populo cleroque Romano in Papam electus, & a tota Eccleſia acceptatus fuit, jam tunc fruſtra renitente Sergio, quem aliqui in Sedem pontificiam intrudere conati ſunt.

QUÆSTIO IV.

Qualis conſenſus Epiſcoporum requiratur, ut judicium Pontificis ſit infallibile, & finale?

420 Controverſia ſtat in eo, quanta ſuffragiorum unanimitas requiratur, ut definitio Pontificis ſive in, ſive extra concilium facta ſit irrefragabilis? Qua in re certum eſt, non requiri unanimitatem phyſicam, ſeu talem, qua omnes omnino Epiſcopi nullo excepto in eandem ſententiam conſpirent; alias vix unquam controverſia aliqua finiri, aut hæreſis utut pernicioſa legitime damnari poſſet, quia pauci quidam Epiſcopi errore, paſſione, præjudiciis abrepti facile non ſolum ferendæ, ſed etiam latæ a cæ-

cæteris Patribus definitioni repugnarent. Sed neque requiri poteſt unanimitas moralis Epiſcoporum adeo multorum, ut illorum ſuffragia medietatem valde notabiliter excedant, & reſpective pauci, contradicant; nam etiam hac ratione variis tricis, & cavillationibus via aperiretur, ut adeo hic modus definiendi ad terminandas lites non ſatis ſit idoneus, & minus conveniens providentiæ, & bonitati Chriſti, Eccleſiæ ſuæ optime proſpicere volentis. Supereſt igitur decidendum, an ſufficiat pluralitas ſuffragiorum ſimpliciter talis; utrum enim requiratur, hic non diſputamus.

Dicendum. Definitio fidei a Romano Pontifice facta eſt infallibile, & finale judicium, ſi accedat pluralitas Epiſcoporum conſentientium ſimpliciter talis. Prob. 1. Definitio fidei a pluralitate Epiſcoporum in concilio generali præſentium facta, & a Papa confirmata eſt judicium ſuprema Eccleſiæ auctoritate latum; atqui quando Eccleſia aliquid ſuprema auctoritate definit, ejus judicium eſt infallibile, & finale: ergo. Maj. patet, tum quia pluralitas Epiſcoporum cum Romano Pontifice in concilio generali congregatorum repræſentat totam Eccleſiam, tum quia ferme omnium tribunalium recepta lex, & regula eſt, ut ex majore ſuffragiorum numero ſententia feratur, præſertim conſentiente illo, qui cæterorum caput eſt, & ſupremam inter reliquos auctoritatem obtinet. Prob. 2. Definitio facta a ſummo Pontifice cum pluralitate ſuffragiorum in concilio generali eſt infallibile, & finale judicium: ergo etiam definitio facta extra concilium. Quippe, ut quæſt. præced. dixi, concilium ſuam infallibilitatem non habet a loco, & etiam tale judicium fit a ſumma au- 421

ctoritate Ecclesiæ, etsi major pars Episcoporum solum tacite consentiat, quia tamen est verus consensus extrinsece manifestatus per non reclamationem. Conf. ex praxi Ecclesiæ. Sic in concilio Nicæno damnatus est Arrius, in Ephesino Nestorius, extra concilium generale Jansenius, Bajus, &c. licet aliqui Episcopi se opposuerint.

Objectiones.

422 OBj. 1. Exodi 23 v. 2 dicitur: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies:* ergo non est necesse, sed potius periculosum in negotio fidei, & salutis episcoporum quantumvis plurium judicio inhærere. Conf. Si multitudini semper foret inhærendum, non peccassent, qui in necem S. Stephani, aut ipsius Christi consenserunt; sequebantur enim multitudinem. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quæ non nisi ab hominibus spiritu phanatico abreptis ex hoc textu deduci potest. Quippe nos contendimus, adhærendum esse multitudini Pastorum Romano Pontifici conjunctorum, quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, contra quam portæ inferi non prævalebunt ; Scriptura vero negat sequendam esse multitudinem hominum sceleratorum, aut corruptorum testium. Ad Conf. Neg. Sequelam. Judæi apertissimæ veritati splendidissimis miraculis coram se confirmatæ restiterunt, ac immani tandem furore, ac invidia perciti Christum turpissima morte condemnarunt, Stephanum quoque ex odio erga Christum lapidarunt, quam duritiem, & crudelitatem merito ipsis exprobravit S. Levita Act. 7 v. 51: *Dura cervice, & incircumcisis*

ſis cordibus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis &c.

Dices. Sæpe contingit, ut pars major vincat meliorem, & ſaniorem; hinc S. Auguſtinus lib. 3 de Baptiſmo cap. 4 clare ſupponit, quod unus vel pauci melius ſentire poſſint, quam alii longe plures. Idem docet S. Athanaſius in ſpeciali tractatu adverſus eos, qui ex ſola multitudine veritatem metiuntur. Conf. Quando aliqui ſe oppoſuerunt damnationi hæreſum, illi reſpective tantum fuerunt pauci: ergo ex praxi Eccleſiæ non probatur, quod ad infallibile judicium non requiratur unanimitas ſuffragiorum ſaltem moralis. Reſp. Diſt. Ant. In cœtibus mere humanis, Conc. Ant. in iis, quibus præſidet, & infallibiliter aſſiſtit Spiritus ſanctus, Neg. Ant. S. Auguſtinus loquitur de re valde obſcura, & Eccleſiæ judicio nondum determinata. S. Athanaſius de multitudine non bene ordinata; imo hic tractatus non eſt S. Athanaſii, ſed Theodoreti, vel alterius cujusdam. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. In quonam conſiſtat unanimitas moralis, dependet ab æſtimatione hominum, nec facile poteſt determinari, qualis numerus ſufficiat: cum igitur ex praxi Eccleſiæ conſtet, infallibilitati judicii non obeſſe, etſi aliqui Epiſcopi diſſentiant, ſequitur unanimitatem moralem non ſatis eſſe idoneam ad terminandas tricas, & lites, dum econtra pluralitas ſuffragiorum ſimpliciter talis longe facilius cognoſcitur. 423

424 Obj. 2. Quando Honorius Papa in litteris ad Sergium Conſtantinopolitanum aſſeruit, in Chriſto tantum unam dari voluntatem, omnes ferme Epiſcopi expreſſe vel tacite conſenſerunt, nullus enim in Occidente, aut Oriente illis litteris reſtitit, quamdiu vixit Honorius. Conf. Litteras Honorii expreſſe rece-

pe-

perunt Orientales cum tribus Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, & Antiocheno: ergo. Resp. Quod Honorius in sua epistola nullum novum dogma saltem ex cathedra proposuerit, satis colligitur ex eo, quia suam epistolam non ad totam Ecclesiam direxit, sed ad unum Sergium, quin illius promulgationem unquam præceperit, quod tamen fieri solet, si epistola dogmatica ad aliquos nominatim, & in particulari dirigitur. Sed neque Episcopi vivente Honorio illius litteris resistere potuerunt, eoquod illis fuerint incognitæ, & primum aliquot annis post mortem Honorii a Pyrrho protractæ, ut patet ex apologetico Joannis IV ad Imperatorem. Cum enim Sergius adverteret hanc epistolam Monothelismo potius obfuturam, maluit illam occultare, eique suam Ectesin substituere, adeo, ut in suo conciliabulo, quod Constantinopoli coegit, ne levissimam quidem mentionem de Honorii epistola faceret. Ad Conf. Tres Patriarchæ non sunt omnes, aut plerique Orientis Episcopi, quamquam de Antiocheno nihil memoret historia.

425 Dices. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus contra epistolam Honorii reclamavit, & S. Maximus in suis ad Petrum illustrem litteris testatur, Cyrum, & Sergium epistola Honorii abusos fuisse ad stabiliendam Ectesin: ergo epistola Honorii fuit publicata. Conf. Saltem maxima pars Orientalium consensit in ipsam Ectesin; ei enim subscripsit synodus Constantinopolitana sub Sergio, & Alexandrina sub Cyro: ergo. Resp. Quamquam Sophronius hæresi Monothelitarum invicto animo semper restiterit, nunquam tamen epistolæ Honorii, sed pravæ dundaxat Cyri doctrinæ se opposuit; postquam autem ejus legati cum Romanis habue-

buerunt colloquium, & mentem Papæ ſilentium imponentis cognoverunt, acquievit voluntati Pontificis, modo etiam Sergius, & Cyrus ſilerent. S. Maximus non loquitur de abuſu aperto, & publico, ſed clam, & occulte facto; quippe in nullo publico inſtrumento, concilio, vel Epiſcoporum conventu epiſtolæ Honorii mentio facta eſt. Ad Conf. Neg. Ant. Contrarium teſtatur Stephanus epiſcopus Dorenſis in concilio Lateranenſi ſub Martino I act. 1, ubi narrat, ſe juſſu Sophronii Patriarchæ, & ſupplicatione omnium fere Orientalium Epiſcoporum Romam contendiſſe, ut Papa hæreſi graſſanti frænum injiceret. S. Maximus quoque cit. epiſt. ait, non tantum Pontifices Romanos Severinum, Joannem, Theodorum, ſed totum Occidentem, & Orientem impiis Cyri, & Sergii conatibus reſtitiſſe; illorum vero conciliabula vocat ſynodos latrocinales, & concurſus epiſcoporum, non voto convenientium, ſed violentia contractorum.

Obj. 3. Cum Vigilio Papa ferme omnes 426
Occidentales Epiſcopi defenderunt tria capitula poſtea in ſynodo V damnata. 2. Tempore Liberii Papæ ferme omnes Epiſcopi Occidentales in concilio Ariminenſi ſubſcripſerunt formulæ hæreticæ. 3. Idem fecerunt Orientales in concilio Seleucienſi. Reſp. ad 1. Diſt. Ant. defenderunt tria capitula ſecundum ſe, & materialiter ſpectata, Neg. Ant. formaliter ſpectata, & relate ad proceſſum a concilio chalcedonenſi inſtitutum, Conc. Ant. Quamvis aliqui Epiſcopi Occidentales putaverint, tria capitula eſſe in ſe innoxia, & orthodoxa, plerique tamen ſolum defenderunt, quod concilium Chalcedonenſe circa illa non erraverit, in quo ſenſu illa etiam defendit Vigilius. Ad

2. Neg.

2. Neg. Ant. Licet ex ducentis, vel juxta aliquos etiam quadringentis Patribus, qui Arimini convenerant, plerique formulæ ab Arianis positæ subscripserint; hæc tamen formula in se non fuit hæretica, & Liberius Papa, ut num. 418 dixi, tunc neutiquam consensit. Ad 3. In concilio Seleuciensi ex 160 Episcopis novendecim tantum Arriani antesignano Acacio Filium Dei blasphemarunt esse creaturam: ex reliquis 36 fuere Homousiani consubstantialitatem Filii profitentes, 105 fuerunt Homiusiani, qui licet vocem Homousion respuerent, quod existimarint, illam non nisi rebus corporalibus, & mutabilibus convenire, nihilominus recte de divinitate Filii sentiebant; hi omnes Arianis constanter se opposuerunt, quod si etiam in utroque concilio omnes Patres lapsi fuissent; neutiquam confecissent majorem partem Episcoporum, quorum S. Augustinus lib. 3 contra Cresconium cap. 3 jam suo tempore plura millia numeravit, & S. Dalmatius ad Theodosium post concilium Ariminense 6000.

427 Obj. 4. Quamvis Stephano I, postquam definivit non esse iterandum Baptisma, & Cyprianum ejusque asseclas a sua communione removit, plerique Episcopi jam consentirent, tamen S. Augustinus censuit; per hunc consensum necdum esse finitam controversiam, sed exspectandum finale judicium a concilio generali. Conf. Ipsum Tridentinum non est ubique a Catholicis receptum: ergo. Resp. Neg. suppositum, quod Stephanus hoc dogma definierit, aut Cyprianum a sua communione removerit. Cum enim videret, hac ratione multos doctrina, & moribus cæteroquin præclaros Episcopos a corpore Ecclesiæ fore separandos, inter quos eminebat Cyprianus, magnis

gnis erga Sedem apoſtolicam meritis ob navatam contra Novatianos operam illuſtris; Stephanus prudenti œconomia ſatis eſſe exiſtimavit, ſi primum prohiberet, ut circa Baptiſmum hæreticorum aliquid innovaretur, niſi quod traditum eſt; & innovantibus excommunicationem minitaretur, poſtea ubi in rem Eccleſiæ foret, definitivam ſententiam prolaturus, & pertinaciter errori adhærentes excommunicaturus. Unde reliqui Epiſcopi ſententiæ Stephani conſenſerunt quidem ut re ipſa veræ, nondum tamen ut a Sede Apoſtolica jam definitæ. Sic totus ferme orbis chriſtianus de facto cum Eccleſia Romana tenet, B. Virginem eſſe fine labe conceptam, quin hoc teneat tanquam dogma fidei. Ad Conf. Tridentinum quoad dogmata fidei ubique eſt receptum, quoad diſciplinam plerisque in provinciis, deberetque ab omnibus recipi, niſi Eccleſia pia Mater infirmitati filiorum quidquam indulgeret.

QUÆSTIO V.

An concilium generale, & conſenſus Epiſcoporum ſit infallibilis ſine approbatione Pontificis?

EGi hucusque de conciliis, & conſenſu Pa- 428
ſtorum, auctoritate Pontificia confirmatis, inquirendum nunc, quantæ ſint auctoritatis ſine ſummi Pontificis approbatione; agam autem principaliter non tam contra hæreticos, qui Vicariatum Chriſti Petro, ejusque ſucceſſoribus ſimpliciter negant, ſed contra quosdam Catholicos, qui licet fateantur Papam jure divino in Vicariatu Chriſti D. Petro ſuccedere, & tanquam caput Eccleſiæ primatum honoris, ac præeminentiæ ſuper omnes Epiſcopos & Eccleſias ſeorſim ſumptas habere; eundem tamen

men auctoritati concilii generalis, & Epiſcoporum ſimul acceptorum ſubjiciunt ita, ut concilium juxta ipſos ſit ſupra Papam, & jam ante ejus approbationem in definiendis rebus fidei, & morum infallibile. Pro auctoritate Pontificis ſtetere omnes ferme Catholici usque ad concilium Piſanum anno 1408 celebratum, in quo teſte Maimbourg plurimi theologi auctoritatem conciliorum ſupra Papam propugnarunt. Idem poſtea contigit in concilio Conſtantienſi, & Baſileenſi, adeo, ut Gerſon dixerit, ſententiam oppoſitam eſſe hæreticam, quam nullus theologus ſanctus aſſeruerit. In concilio poſtmodum Tridentino Ferrerius Orator Gallicus apud Pallavicinum lib. 19 Hiſt. Concil. Trident. cap. 14 teſtatus eſſe dicitur, Eccleſiam Gallicanam hunc articulum tamquam neceſſarium profiteri; hinc clerus Gallicanus anno 1682 decreta concilii Conſtantienſis, quæ ſeſſ. 4 & 5 habentur, non ſolum rata eſſe voluit, ſed etiam addidit: *Non probari a Gallicana Eccleſia, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, ac minus approbatæ, robur confringant, aut ad ſolum ſchismatis tempus concilii dicta detorqueant.*

429 Verum Theologi in concilio Piſano, & potiſſima ſaltem illorum pars in Conſtantienſi loquebantur de Papa dubio, & tempore ſchismatis, quale tunc erat; qui vero concilio Baſileenſi interfuerunt, ut plurimum ſententiam ſuam revocarunt, atque cum Eugenio IV in gratiam redierunt; nos vero hic agimus de Papa certo, & notorie non hæretico, in quo caſu fere nemo concilia generalia ſupra Pontificem extollit, quam recentiores Galli, qui tamen ſuam ſententiam varie limitant, & explicant, & Duvallius inſignis Doctor Sorbonicus de poteſtate Papæ parte 4 docet, quod totus

totus orbis exceptis pauculis teneat, Papam esse supra concilium. Certe dictum Gersonis falsum esse patet ex auctoritate S. Thomæ, Bonaventuræ, Antonini, aliorumque Theologorum incomparabiliter plurium. In concilio autem Tridentino teste Pallavicino lib. 24 cap. 14 ex decem partibus Patrum novem, & amplius convenerunt ad dandum pro definienda auctoritate Papæ suffragium: nimium ergo dixit Ferrerius, quod etiam inde colligitur, quia ut Odoricus Raynaldus narrat, Episcopus Meldensis a Carolo Franciæ Rege ad Eugenium IV Florentiam missus Regis, & regni nomine detestatus est acta Basileensia contra dignitatem Pontificis, addens, illos pestilentem inducere doctrinam, qui illam non in uno, sed in multitudine collocant. Pariter propositiones conventus Gallicani anno 1682 in præjudicium Romani Pontificis factæ, post aliquot annos approbante Rege, Clero, & Episcopis Galliæ sub Innocentio XII revocatæ dicuntur: neque hic conventus totum Clerum, aut Ecclesiam Gallicanam repræsentare potuit, ut adverti num. 413. Econtra Alexander VIII damnavit hanc propositionem: *Futilis ac toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

Dicendum. Concilium generale in definiendis rebus fidei, & morum absque consensu Romani Pontificis non est infallibile, nec supra Papam. Prob. 1. Ex una parte Christus concilio generali non approbato infallibilitatem nullibi promisit, neque id est necessarium ad bonum Ecclesiæ, cum tamen ad hoc detur sufficiens regula fidei, scilicet concilium & consensus Episcoporum a Papa approbatus: ex al- 430

tera parte summus Pontifex est fundamentum Ecclesiæ, supremum caput, & pastor omnium fidelium: ergo concilium non est supra Papam, nec ante ejus consensum infallibile, alias Pontifex definitionibus concilii deberet se submittere, caput a membris regi, pastor pasci ab ovibus, & Ecclesia non amplius esset fundata supra Pontificem, sed Pontifex supra Ecclesiam; cum tamen Christus Matth. 16 v. 18 ad Petrum dixerit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*; Luc. 22 v. 32: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; Joan. ult. v. 16 & 17: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quæ verba de omnibus ejus successoribus intelligi debere, alibi ostendi. Certe Papa a conciliis, & Patribus passim vocatur summus Ecclesiæ pastor, Petri successor, supremus Christi Vicarius, omnium Ecclesiarum caput, & Doctor. Hinc Leo X in concilio Lateranensi sess. II merito dicit, quod Scripturæ, Patrum, & conciliorum confessione manifeste constet, Romanum Papam super omnia concilia auctoritatem habere, & in bulla *Exurge Domine* ibidem edita damnat propositionem 25 Lutheri: *Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias a Christo in beato Petro institutus.* Conf. Vel Pontifex in concilio amittit suam supremam potestatem, vel non? si non? ergo concilium manet inferius; si ita? debet ostendi, quis eum hac potestate dejiciat.

431 Probatur 2. Concilia generalia juxta constantem Ecclesiæ praxim petierunt approbationem Romani Pontificis, quæ vero ab illo approbata non fuerunt, graviter errarunt, & ab Ecclesia rejecta sunt: ergo. Ant. quoad 1mum mem-

membrum rurſus conſtat ex concilio Lateranenſi ſeſſ. cit., ubi id probatur adductis pluribus exemplis ex ſynodo Nicæna, Epheſina, Chalcedonenſi, & ipſo Conſtantienſi. Idem de aliis conciliis habemus ex Turrecremata lib. 6 cap. 6 & ſeqq., & de Tridentino ex ultima ejus ſeſſione. Neque concilia ſolius honoris, aut majoris concordiæ cauſa hanc approbationem petierunt; quippe Nicænum in epiſt. ad Sylveſtrum expreſſe petit: *Ut illorum conſtitutiones confirmentur, & ipſorum regula fixos poſſit habere gradus*; Concilium Chalcedonenſe in epiſt. ad Leonem: *Ad eorum, quæ ab ipſis geſta ſunt, firmitatem, & conſonantiam*; Synodus 7 Act. 6 ait: *Non eſſe legitimum decretum generalis concilii, quod ſine Romano Pontifice aut ejus legato ſit.* 2 Membrum Ant. probari ſolet exemplis concilii Ariminenſis, Conſtantinopolitani ſub Copronymo &c. nobis ſufficiat Epheſinum II, quod licet certo fuerit generale, Leone conſentiente congregatum, & per ſuos Legatos præſidere volente, nihilominus hæreſim Eutichianam approbavit, & licet ex metu id feciſſet, tamen id etiam poſſet contingere ex aliis rationibus, ſiquidem concilium ſine Papa errare poteſt. Conf. Concilium generale V nunquam ab Eccleſia fuiſſet acceptatum, niſi Vigilius illud approbaſſet, idem dic de generali II, quod ſolum conſtabat ex Epiſcopis Orientalibus, & Ægyptiis, quin Pontificem præſentem habuerit, ſed ab illo coacta Romæ alia ſynodo receptum eſt, ut œcumenicum, in quantum erat cum ſynodo Romana moraliter unum.

Probatur 3. Poteſtas infallibiliter definiendi res fidei, & morum illi ſoli convenit, qui habet ſupremam in Eccleſia auctoritatem, & 432

omnes alios poteſt obligare ; alias penes ipſum non eſſet poteſtas ſuprema ; atqui Papa habet ſupremam in Eccleſia auctoritatem, & omnes alios poteſt obligare, ut oſtendit Petitidier, Leytam, Raſsler &c. ex plurimis ſacris canonibus ab Eccleſia receptis, in quibus dicitur, nihil eſſe majus auctoritate Sedis Apoſtolicæ, primam ſedem a nemine poſſe judicari, Papam habere ſupremam ordinariamque in Eccleſia jurisdictionem, concilia nullum habere vigorem niſi a Romano Pontifice approbata. Sic cap. ſignificaſti de electione Paſchalis dicit: *Cum omnia concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas*; Julius I diſtinct. 17 can. regula ait: *Nullum ratum eſſe, aut fore unquam concilium, quod non fultum fuerit Romanæ Eccleſiæ auctoritate*; Gelaſius can. confidimus cauſ. 25 q. 1: *Primam ſedem unamquamque ſynodum ſua auctoritate confirmare.* Ex quibus patet, non poſſe cum Gallis dici, quod Chriſtus reliquerit ſummam auctoritatem Eccleſiæ in conciliis congregatæ, ſed exercendam per Papam, quando concilium congregari non poteſt. Adde, quod tali modo Papa non eſſet Vicarius immediatus Chriſti, ſed concilii, in quo ſi major pars contra ipſum conſentiret, concilium jam poſſet ferre ſententiam definitivam, & Papam ad illam amplectendam obligare; hanc vero ſequelam neſcio, an ipſi Galli libenter admittant.

Objectiones ex auctoritate.

433 OBj. 1. Chriſtus Matth. 10 v. 20 ait: *Ubi fuerint duo, aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*: ergo Patres in con-

concilio generali congregatos non ſinit falli in rebus fidei, & morum, cumque etiam Pontifex ſit frater cæterorum fidelium, ſubjici poteſt judicio Eccleſiæ; nam ibidem Chriſtus ait v. 17: *Si peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſiæ.* Conſ. Act. 20 v. 28 jubentur Epiſcopi attendere univerſo gregi, utpote quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei: ergo regimen univerſæ Eccleſiæ convenit Epiſcopis. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. & ſuppoſitum, quod ſine auctoritate Pontificis concilium ſit congregatum in nomine Chriſti. Textus allatus potius loquitur de efficacia orationis a pluribus facta, quam de infallibilitate judicii, quamquam etiam de hac ſatis verificaretur, ſi Chriſtus concilio ita adeſſet, ut ejus doctrina a Pontifice vel confirmaretur, ſi vera fuerit, vel ſi falſa fuerit, per eundem corrigeretur, alias ex hoc textu inferam, etiam concilia particularia eſſe infallibilia. In altero textu juxta S. Chryſoſtomum, Theophilactum, Euthymium &c. apud Cornelium a Lapide per Eccleſiam intelligitur Eccleſia particularis, vel Epiſcopus, apud quem communiter fieri denuntiatio ſolet. Quod ſi etiam Eccleſiam univerſalem velis intelligere, dic ſermonem eſſe de tali fratre, qui non ſimul ſit pater pollens ſuprema in ipſam Eccleſiam auctoritate. Ad Conſ. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo regimen Eccleſiæ univerſæ convenit Epiſcopis, quatenus quilibet poteſt regere ſuam diœceſim, & utilitas cujuslibet partis cedit in bonum totius, Conc. Conſ. quaſi ſine Papa poſſint immediate regere totam Eccleſiam, Neg. Conſ. ſuppoſito, quod certus Papa exiſtat.

Dices 1. Actorum 15 v. 27 decreto con- 434
cilii generalis præmiſſa eſt hæc formula: *Vi-*

 ſum

sum est Spiritui sancto, & nobis; nulla facta mentione Petri: ergo non in Petro, sed in concilio erat summa potestas. Hinc Act. 8 v. 14 Petrus & Joannes a collegio apostolico missi leguntur in Samariam. Conf. In textibus a nobis citatis intelligitur nomine Petri tota Ecclesia per illum repræsentata; quippe, ut plures Patres docent, Petrus est tantum fundamentum secundarium, Christus autem primarium, & a Christo Ecclesia firmitatem accipit. Resp. Dist. Ant. Nulla facta explicita mentione Petri, Conc. Ant. implicita, Neg. Ant. & Conf. cum Petrus fuerit pars concilii, & quidem caput nominato concilio sufficiens mentio de ipso facta est, præsertim, quia ejus nomen paulo ante fuit expressum, & ipse primus sententiam dixerat. Porro non omnis missio denotat præceptum superioris, sed fieri potest etiam per preces, consilium, allegationem, rationem. Certe licet Filius divinus dicatur esse missus a Patre, ideo non est Patre inferior. Ad Conf. Neg. Ant. Ridiculus foret sensus: Super Ecclesiam fundabo Ecclesiam. Tu Ecclesia pasce Ecclesiam. Adde, quod Petrus non aliter Ecclesiam repræsentarit, nisi tanquam illius caput, & quod Ecclesia per Petrum repræsentata esse sine Papa nequeat. Interim non negamus, Christum esse fundamentum primarium, & lapidem angularem, sed hoc non impedit, quo minus supra Petrum tanquam fundamentum secundarium Ecclesiam suam superstruxerit.

435 Dices 2. Antequam Christus ad Petrum dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.*, Petrus nomine omnium Apostolorum confessus est divinitatem Christi, ut docet S. Augustinus serm. 13 de verbis domini, aliique Patres: ergo etiam Christus nomine Petri intellexit omnes

nes Apoſtolos. Hinc rurſus SS. Patres apud Bellarm. de Summ. Pontif. lib. 1 cap. 11 docent, Eccleſiam ſupra omnes Apoſtolos eſſe fundatam. Conf. Quidam ex Patribus hunc textum ita exponunt, ut Eccleſia fundata dicatur ſupra fidem Petri; atqui fides Petri æque datur in aliis Epiſcopis, quam in Romano: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Petrus profeſſionem de divinitate Chriſti non edidit nomine aliorum Apoſtolorum, velut ab ipſis delegatus, ſed quatenus tanquam caput reliquos aliquo modo repræſentabat: & quamvis etiam illi ſint fundamenta Eccleſiæ, atque a Chriſto acceperint poteſtatem ligandi, & ſolvendi, ſunt tamen fundamenta magis ſecundaria habentia poteſtatem Petro ſubordinatam; unde Petro ſolum erant æquales quoad poteſtatem, & honorem ordinis, non item jurisdictionis. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. In ſolo Petro, ejusque ſucceſſoribus fides Chriſti ita datur, ut nunquam poſſit deficere. Hinc ad Petrum ſpecialiter dictum eſt: *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Cæterum Eccleſia eatenus dicitur ſundata ſupra fidem Petri, quatenus Petrus propter illam fidem factus eſt petra, & fundamentum Eccleſiæ.

Dices 3. Chriſtus omnibus Apoſtolis dedit poteſtatem clavium, ut docent S. Hilarius lib. 6 de Trinit. & Hieronymus lib. 1 in Jovinian. nam Matth. 18 v. 18 ad omnes dixit: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram &c.*; ergo etiam illa verba: *Paſce oves meas*, ad omnes Apoſtolos debent extendi, vel ad ſummum probatur, quod Petrus habeat ſuperioritatem in ſingulas Eccleſias particulares. Conf. S. Auguſtinus tract. 50 in Joan. docet, quod claves in Petro fuerint traditæ Eccleſiæ, quo- 436

modo enim alias potuisset absolvi, nisi Ecclesia jurisdictionem in illum habuisset. Resp. Dist. Ant. si per potestatem clavium intelligatur potestas ordinis, Conc. Ant. si intelligatur potestas supremæ jurisdictionis, Neg. Ant. quod textus: *Pasce oves meas &c.* non debeat extendi ad reliquos Apostolos, satis patet, tum ex ipsis verbis, tum quia Christus Petrum antea specialiter interrogavit: *Simon diligis me?* Hinc Christus ad reliquos Apostolos nunquam dixit: *Vobis dabo claves regni cœlorum*; ut ostendatur illorum potestas limitata. *Ex duodecim*, inquit S. Hieronymus lib. 1 contra Novatianum, *unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Ad Conf. Claves datæ sunt Ecclesiæ in Petro tanquam in capite, ut hoc modo in bonum Ecclesiæ cederent, & in ea etiam moriente Petro non perirent. Quod autem Petrus sacramentaliter potuerit absolvi, neutiquam probat, quod sit subditus Ecclesiæ, aut illius, a quo absolvitur, nisi in ordine ad absolutionem; alias omnes sæculares essent subditi Religiosorum absolventium, & Episcopi suorum confessariorum in ordine ad decreta fidei, & morum.

437 Obj. 2. Concilium Pisanum sæculo XV deposuit Gregorium XII, & Benedictum XIII, simulque sancivit, concilium generale universam Ecclesiam repræsentans esse superius Papa. 2. Concilium Constantiense sess. 4 & 5 expresse definit, quod generale concilium potestatem a Christo immediate habeat, cui *quilibet cujuscunque status, & dignitatis obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem, & exstirpationem schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & membris*: ergo. Resp. Transf. Ant. Dist. Conf. ergo concili-

cilium generale habet ſupremam auctoritatem in Eccleſiam tempore ſchismatis, & in Pontificem dubium, vel inſimulatum hæreſis, Tranſ. Conſ. in Pontificem certum, Neg. Conſ. concilium hoc Piſanum non eſſe certo legitimum, jam adverti num. 381, quia poſt illud non ſolum magna chriſtiani orbis pars adhuc Gregorio, & Benedicto adhæſit, ſed etiam Concilium Conſtantienſe poſtea Joannem neutiquam pro indubitato Papa habuit. Dein concilium Piſanum tantum judicavit de Papis dubiis, & ſchismata foventibus, quos ideo etiam dixit hæreticos. Unde ex ipſis circumſtantiis conſtat, quod non ſit intelligendum de Papa certo; ſi enim Papa certus exiſtit, ſine illo non poteſt repræſentari tota Eccleſia. Pariter concilium Conſtantienſe tantum egit de Pontificibus dubiis, ut colligitur tum ex ipſis verbis, quibus utriusque ſeſſionis decreta ſunt concepta, tum ex fine, cujus gratia hoc concilium fuit coactum, nempe ad tollendum ſchisma inter nominatum Gregorium, Benedictum, & Joannem XXIII Alexandri V ſucceſſorem.

Dices 1. Concilium Conſtantienſe non tan- 438
tum loquitur de extirpatione ſchismatis, ſed etiam de iis: *Quæ pertinent ad fidem, & reformationem generalem Eccleſiæ in capite & membris*: ergo. Conf. Seſſ. 17 ditat Gregorium XII multis privilegiis, quod papatui ſponte renuntiaverit, addens, non poſſe illum his privilegiis privari, nec a futuro concilio, nec a Papa: ergo &c. Reſp. Diſt. Ant. de iis, quæ pertinent ad fidem circa ipſum Papam dubium, Conc. Ant. circa alia dogmata a concilio definita, Neg. Ant. concilium tantum voluit decernere, quod tempore ſchismatis, vel quando Papa de hæreſi poſtulatur, ſuprema auctoritas in cognitione cauſæ, ferendaque ſen-

 ten-

tentia sit penes concilium generale, cui & talis Pontifex, & alii eidem adhærentes credere, & obedire teneantur. Verba: *Et reformationem generalem Ecclesiæ in capite, & in membris*, leguntur quidem in actis concilii Constantiensis, quæ jussu synodi Basileensis edita fuerunt, & in decreto 4 sessionis; at Leytam in impenetrabili clypeo pontif. dignit. disceptat. 5 ostendit, ea in sessione 4 non esse promulgata, sed addita in sessione 5, quæ incertæ admodum, & adhuc minoris auctoritatis est quam sessio 4. Porro tunc nullus erat certus Pontifex, ipsumque concilium necdum fuit generale, præsente dundaxat tertia parte Prælatorum, quæ adhærebat Joanni XXIII. Ad Conf. Hoc concilium solum statuit per modum directionis non præcepti; nam in eadem sessione futuro Pontifici certo tribuit potestatem disponendi de iis, quæ in concilio decreta sunt. Cæterum libet concilium generale haberet supremam & infallibilem potestatem, quando nullus certus Pontifex existit, inde necdum sequeretur, quod eandem potestatem etiam in rebus fidei, & morum habeat Pontifice certo existente.

439 Dices 2. Quamvis concilium postea Joannem XXIII deposuerit ob clandestinum secessum, & alia crimina ipsi imposita, non tamen illum deposuit propter schisma: ergo tunc illum agnovit pro Papa indubitato. Conf. Defectum universalitatis in concilio Constantiensi satis supplevit Martinus V, qui ultima sess. ejusdem concilii approbavit omnia decreta, circa fidem etiam tempore schismatis facta. Item concilium Basileense sess. 2. Resp. Transl. Ant. Neg. Conf. Sed Patres erant divisi, & alii adhuc pro Gregorio, alii pro Benedicto, alii

alii pro Joanne decertarunt, unde ex quibuscunque motivis Joannes fuerit depositus, semper verum manet, quod fuerit Papa dubius. Ad Conf. Neg. Ant. Martinus expresse protestatur se solum confirmare ea, quæ a concilio decreta sunt in materia fidei, & quidem conciliariter, id est, re diligenter examinata more aliorum conciliorum; jam vero decretum 5 sessionis factum est admodum tumultuarie, importunitate quorumdam schismaticorum etiam laicorum, & ut bene observat Cajetanus, illa sunt proprie decreta in materia fidei, quæ fiunt adversus hæreticos, ut in concilio Constantiensi contra Wicleffum, & Huss, quæ tamen ipsa suum robur primum a Martino acceperunt. Concilium Basileense initio quidem legitime inchoatum fuit, sed quia ab obedientia certi Pontificis Eugenii IV recessit, reprobatum est a Lateranensi ultimo. Profecto si superioritas concilii supra Papam legitime fuisset definita, & de fide, contrarium non statim postea docuissent tot auctores apprime catholici, neque hanc veritatem Patres Tridentini de novo in quæstionem vocassent.

Dices 3. Concilium Basileense non solum sess. 2 definit, concilium esse supra Pontificem etiam certum, sed in reliquis sessionibus multa contra Eugenium IV statuit, pœnasque non obtemperanti decernit; atqui tunc istud concilium fuit legitimum, tum quia primum in sess. 3 fuit dissolutum, tum quia sess. 16 Eugenius per bullam *dudum sacram* dissolutionem a se factam declarat irritam. Conf. Eugenius concilium Basileense sæpe vocat generale, ejus decretum de transferendo concilio sess. 25 editum approbat, & in concilio Florentino sess. 1 declaratum est, illud esse continuatio- 440

tionem Basileensis. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Bulla dissolutionis Romæ promulgata est anno 1431 18 Decembr. sessio secunda autem primum habita anno 1432 25 Februarii. Bulla *dudum sacra*, vel subreptione, & dolo decumbente, ac inscio Eugenio confecta, vel certe metu schismatis, aliorumque gravissimorum malorum invito per vim expressa est; adeoque non potuit prævalere iis, quæ antea, & post illam libere ab Eugenio contra concilium sancita sunt, ut ostendit Eugenius Lombardus in regali sacerdotio lib. 2 §. 16. Certe acta concilii nunquam ab Eugenio fuerunt approbata, neque ejus Legati ad illa approbanda speciale mandatum habuerunt; hinc Ecclesia Græca, & Latina nunquam illud recepit, sed statim ejus decisionibus se opposuere Doctores catholici, ac declarationi concilii Florentini adhæsere. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Aliud est concilium generale, aliud legitimum, & approbatum, & ex eo, quod Eugenius approbaverit translationem concilii, quam ipsemet expetebat, non sequitur, quod etiam approbaverit acta reliqua, postmodum a Lateranensi V reprobata.

441 Obj. 3. Sacri canones passim subjiciunt Papam concilio generali: sic can. contra caus. 25 q. 1 Zosimus ait: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas*; Can. confidimus caus. & q. eadem Gelasius statuit: *Sedem primam, quæ unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, præ omnibus aliis exequi debere constituta conciliorum generalium*; quibus consonat canon Sicuti Sancti, distinct. 15, ubi de conciliis generalibus dicitur: *Se & non illa destruere, quisquis præsumit, aut solvere, quos liga-*

ligarunt, aut ligare, quos solvunt. Conf. can. Si Papa dist. 40 afferitur, quod etiam Pontifex, si peccet, & maxime si contumax sit, & incorrigibilis, possit denuntiari Ecclesiæ, & accusari. Resp. Neg. Ant. Isti canones solum probant, quod Pontifex non amplius possit mutare decreta conciliorum generalium, quæ a Sede Romana fuerunt confirmata, & pertinent ad fidem, jus naturale, & divinum, vel in quibus judicatum est de personis propter hæreses, de quibus loquitur can. Sicut Sancti. Aliud est decretis factis Sede Romana contradicente, vel non consentiente, item de decretis juris ecclesiastici: his Pontifex, licet approbata fuerint, ad summum obligatur vi directiva, non vero coactiva, ut docet S. Thom. 1 2 q. 96 art. 5 ad 3. Ad Conf. Dist. Ant. Potest denunciari, & accusari in causa hæresis, Conc. Ant. in aliis, Subdist. ut auctoritate concilii interposita admoneatur, Conc. Ant. ut in illum feratur sententia, Neg. Ant. *Aliorum hominum causas*, inquit Symachus can. Alienum caus. 9 q. 3, *Deus voluit per homines terminari, sed Sedis Romanæ Præsulem suo reservavit arbitrio.* Similia habentur can. Nemo, can. Facta, can. cuncta, eadem caus. & quæst.

Dices 1. Certum est Ecclesiam, universa- 442
lem non posse errare in fide, ut habetur can. a recta, & memor. caus. 24 q. 1; potest autem Pontifex, ut supponitur can. Nemo, & can. Si Papa, numero superiore citatis: ergo Papa debet esse subjectus Ecclesiæ. Conf. Ipsi Pontifices quandoque noluerunt aliquid decidere absque auctoritate concilii, ut probat Alexander Natalis ex epistola Siricii Papæ ad concilium Capuanum, & ex epistola Innocentii III, in qua ait se nolle respondere in quæ-

quæſtione de matrimonio, an impedimento aliquo intercedente, cujus veniam indulgere poſſit Papa, vel divortium permittere, id etiam poſſit, matrimonio conſummato? Reſp. Conc. Ant. quoad 1mum membrum, Diſt. quoad 2dum. In his canonibus ſupponitur, Papam poſſe errare in fide errore publico, & quando loquitur ex cathedra, Neg. Ant. errore privato, Tranſ. Ant. Quippe canon nemo expreſſe habet: *Primam ſedem a nemine judicari.* Can. Si Papa: *Cunctos ipſe judicaturus a nemine judicatur, niſi deprehendatur a fide devius.* Ad Conſ. Pontifices Romani hoc non fecerunt, quia non potuiſſent, ſed quia propter alias circumſtantias e. g. offenſionem Principum conſultius videbatur rem decidendam relinquere concilio etiam provinciali, quale fuit illud Capuanum, quod juxta ipſos adverſarios non eſt infallibile. Ad decidendam quoque illam cauſam matrimonialem, de qua Innocentius ſcripſiſſe dicitur, certo opus non fuit concilio generali.

443 Dices 2. Gregorius Papa can. Ecce diſt. 99 recuſat delatum ſibi titulum Papæ univerſalis tanquam nimis ſuperbum, ac aliorum Epiſcoporum dignitati repugnantem, & can. Primæ ſedis eadem diſtinct. concilium Africanum decidit, *Primæ ſedis Epiſcopum nec ſummum Sacerdotem, nec Sacerdotum Principem eſſe nuncupandum.* Conf. S. Hieronymus can. Legimus diſtinct. 93 docet, non eſſe ſervandum morem peculiarem Romæ, ſed univerſalem Eccleſiæ, *eo quod, ſi auctoritas quæritur, orbis major ſit urbe.* Addit, Epiſcopos tamquam Apoſtolorum ſucceſſores omnes eſſe æqualis dignitatis. Reſp. Gregorius per univerſalem Papam idem intellexit, ac unicum Epiſco-

ſcopum, ait enim: *Si univerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum.* Concilium vero Africanum per primam ſedem intellexit ſuum Metropolitanum, vel Primatem, non Epiſcopum Romanum, cui nec voluit, nec potuit aliquid præſcribere, cum tantum fuerit concilium nationale. Ad Conf. S. Hieronymus ibi non tractat quæſtionem, de qua hic controvertimus, ſed reprehendit faſtum quorumdam Eccleſiæ Romanæ diaconorum, qui quia fuerant præfecti adminiſtrationi bonorum Eccleſiæ, ſe ipſis presbyteris vel æquabant, vel omnino anteponebant, cum tamen totus orbis majorem honorem presbyteris exhibere ſoleat. Epiſcopos tanquam Apoſtolorum ſucceſſores ſolum aſſerit Papæ æquales eſſe quoad dignitatem ordinis. Vid. num. 436.

Objectiones ex ratione.

OBj. 4. Concilium generale repræſentat Eccleſiam, præſertim ſi adſint, & conſentiant Papæ Legati: ergo antecedenter ad confirmationem Pæpæ eſt infallibile; alias tota Eccleſia poſſet errare. Conf. Major eſt auctoritas plurium, quam unius: ergo non eſt prudentis uni præ pluribus adhærere. Reſp. Diſt. Ant repræſentat Eccleſiam imperfecte, Conc. Ant. perfecte, Subdiſt. ſi Papa aliquo modo conſentiat, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ. Sic enim Legati non repræſentant Papam infallibilem, cum hic poſſit eſſe contrarius, neque Papa antecedenter ad omnem ſuum conſenſum poteſt legatis, quos ſcit fallibiles eſſe, infallibilitatem a Chriſto acceptam delegare, aut rata habere omnia etiam ſuæ menti contraria, in quæ illi ſunt conſenſuri. Multo minus deſi- 444

definitiones concilii præſcindendo a confirmatione Pontificis ſunt de fide ; nam licet approbatio Papæ non requireretur ad dandam infallibilitatem, requireretur ad declarandum, deciſiones concilii eſſe infallibiles ; alias non procederent a tota Eccleſia ut ſuo capiti ſubjecta, neque fideles tenerentur illas definitiones ſequi, & ideo, etiamſi concilium erraret, non erraret tota Eccleſia, imo nec ipſi Patres, quia Pontificiæ auctoritatis gnari non judicant ſuis decretis ante ejus confirmationem certam fidem deberi, & proin eandem illis nondum adhibent. Ad Conf. Diſt. Ant. Si ille unus relinquatur ſuo ingenio, & induſtriæ humanæ, Tranſ. Ant. Si uni, non autem pluribus ab ipſo ſejunctis promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritus ſancti, Neg. Ant. & Conſ.

445 Dices 1. Ex una parte Papa eſt tantum pars concilii Eccleſiam repræſentantis. Ex altera parte habet ſuam infallibilitatem ab ipſa Eccleſia, a qua eligitur: ergo. Conf. Auctoritas Eccleſiæ eſt indefectibilis : ergo non poteſt reſidere in Papa, qui deficere, & mori poteſt. Reſp. Diſt. Ant. quoad 1mum membrum, eſt pars principalis, & quidem concilii cum Papa uniti, Conc. Ant. pars qualiscunque, aut concilii a Papa ſejuncti, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & ſimpliciter quoad alterum. Cum Papa ſit Vicarius Chriſti, ab ipſo Chriſto immediate ſuam poteſtatem accipit, vi illius voluntatis, qua ſimul hanc poteſtatem tradidit Petro, & Petri ſucceſſoribus voluit eſſe communem, Eccleſia autem per electionem tantum deſignat perſonam. Unde auctoritas ſolius Papæ quidem non eſt major, imo extenſive minor, quam auctoritas concilii cum Papa ; at major eſt quam auctoritas con-

concilii a Papa ſejuncti. Ad Conf. Diſt. Ant. Auctoritas Eccleſiæ eſt indefectibilis vel formaliter, vel radicaliter, Conc. Ant. ſemper formaliter, Neg. Ant. Indefectibilitas iſta mortuo Papa datur radicaliter, quatenus Eccleſia habet poteſtatem eligendi Papam, in quo definiendi poteſtas formaliter datur, non item in Eccleſia acephala. Quod ſi definitiones conciliorum etiam antecedenter ad conſenſum Papæ eſſent infallibiles, & Papa illas credere teneretur, ideo concilium nondum eſſet ſuperius; quippe obligatio tales definitiones credendi non proveniret ex ſubjectione erga Eccleſiam, ſed erga Deum mediante concilio veritatem manifeſtantem. Sic S. Petrus tenebatur ſtare ſcriptis S. Pauli, quin fuerit illius ſubditus.

Dices 2. Patres in concilio ſunt veri judices, & judicium ſuum exercent ex auctoritate divina: ergo illorum judicium ſufficit ad determinandas cauſas fidei. Conf. Concilia jam antecedenter ad confirmationem pontificiam dicunt anathema hæreticis, aliisque, qui contrarium ſuis decretis tenuerint: ergo. Reſp. Diſt. Ant. exercent ſuum judicium auctoritate divina, id eſt, judicant ex poteſtate a Deo ſive immediate, ſive mediate per Papam ſibi collata, Conc. Ant. id eſt, poſſunt fideles reliquos ad credendum obligare, Subdiſt. accedente Papæ conſenſu, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ. Patres in concilio non tantum ſunt conſiliarii, ſed veri judices, at inferiores Papa, & ſubordinati, ita ut non teneatur ſequi illorum vota; licet enim pluralitatem votorum debeat ſequi præſes, illa non tenetur ſequi Princeps ſupremus, qualis eſt in Eccleſia Pontifex Romanus. Sic quando in concilio aulico fertur aliqua ſententia,

verum exercetur judicium, quin illa ſtare obligetur princeps. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quando concilia ſuis deſinitionibus addunt anathema, vel id faciunt, quia Papa jam per litteras, aut ſuos Legatos ſpecialiter inſtructos conſenſit, ut juxta aliquos contigit in concilio Tridentino, vel quia per futuram confirmationem ſperant robur addendum, & hinc ſtrictam obligationem fidelibus volunt efficacius proponere, quin illos jam velint obligatos ante omnem conſenſum Pontificis.

447 Obj. 5. Quantacunque ſit auctoritas Papæ, ſemper tamen manet membrum, & miniſter Eccleſiæ: ergo ipſum jus naturæ concedit, ut, ſi criminoſus ſit, & Eccleſiæ nocivus, Eccleſia hoc membrum nocivum poſſit abſcindere, Papamque obligare, ut definitiones concilii generalis ſequatur. Conf. Si princeps ſit nocivus regno vel principatui, poſſunt ſe ſubditi ab illo liberare: ergo a pari. Reſp. Diſt. Ant. Manet membrum, & miniſter Eccleſiæ, quatenus in hujus bonum a Chriſto eſt iuſtitutus, ut illam regat, Conc. Ant. quaſi ipſi Eccleſiæ eſſet ſubjectus, aut ab illa poteſtatem acceperit, Neg. Ant. Papa non eſt Vicarius Eccleſiæ, ſed Chriſti, qui illum conſtituit tanquam caput, a quo reliqua membra regantur; ſicut ergo nec caput, nec aliud membrum morbidum poteſt abſcindi, ſi vita corporis inde non periclitatur, ita Pontifex criminoſus non poteſt abſcindi ab Eccleſia, cujus vita ideo non periclitatur, cum illam in nullum errorem circa fidem, & mores poſſit inducere. Quodſi tamen notorius eſſet hæreticus, poſſet illum ut talem concilium declarare, & tunc a Deo papatu ſpoliatus haberetur. Ad Conf. Neg. Ant. & Conſ. Nam ſi verum eſſet antecedens, tunc quia ipſi ſubditi poteſta-

ſtatem regendi contulerunt principi, & per ipſum totius communitatis bonum, ac quaſi vita periclitatur; at tale periculum Eccleſiæ non imminet a Pontifice criminoſo, neque ille, ut ſæpius notavi, ſuam poteſtatem accepit ab Eccleſia.

Dices 1. Chriſtus inſtituit Eccleſiam meliore modo; atqui melior modus eſt, ſi concilium habeat poteſtatem deponendi criminoſum Pontificem; ſic enim ille habebit majorem ſtimulum bene fungendi ſuo officio, & alias Eccleſiæ nullum ſupereſſet remedium ipſum corrigendi. Conf. Papa eſt filius Eccleſiæ; atqui filius eſt minor matre, & illi ſubjectus: ergo. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Eccleſia habet alia remedia corrigendi Pontificem, in quantum illum poteſt admonere, vel per preces ad Deum confugere, qui illam non deſeret. Ad hæc poteſtas deponendi Pontificem longe majora incommoda poſt ſe traheret; quippe Epiſcopi a Pontifice offenſi facile ad illum deponendum poſſent progredi; unde orirentur ſchismata, & ipſe Pontifex ex hoc metu ab exequendo fortiter ſuo munere poſſet abſterreri, ejusque decreta minus forent efficacia, cum ſtatim ad concilium generale poſſet appellari. Porro ſi Pontifex injuſte aliquem aggrederetur, non negamus illi naturale jus defenſionis, quo manifeſtæ injuſtitiæ reſiſteretur, ſed ad hoc non requiritur major auctoritas. Ad Conf. Diſt. Maj. Eſt filius Eccleſiæ, ſi conſideretur præciſe ut homo privatus, Conc. Maj. ſi ut Pontifex, Neg. Maj. tunc enim eſt Pater omnium Chriſtianorum, & ſupremum Eccleſiæ caput. Minor quoque non ſemper eſt vera: ſic Chriſtus non fuit minor divina matre ſua.

448 appears in right margin beside "Dices 1." line.

449 Dices 2. Ipsi Pontifices se Episcoporum judicio submiserunt. Sic Marcellinus in concilio Sinuesano ab Episcopis damnatus, & depositus est, eoquod idolis thus adoleverit, & postquam Melchiades causam Donatistarum jam deciderat, ea de novo a concilio & Episcopis Galliæ jussu Constantini Imperatoris judicata fuit, ut testatur S. Augustinus epist. 162 ad Glorium, & Eleusium, ubi addit: *Quod post judicium Romani Pontificis adhuc restet concilium generale, ubi si male judicasse convictus esset, ejus sententiæ solverentur.* Resp. Dist. Ant. Se submiserunt aliorum judicio arbitrario, Conc. Ant. coactivo, Neg. Ant. si vera essent, quæ de Marcellino narrantur, nihil probarent contra nos, quia fuisset accusatus de infidelitate, & Patres illum primum damnassent, postquam semetipsum pontificatu abdicasset. Antea sæpe clamasse dicuntur: *Prima sedes a nemini judicatur: tu reus, tu judex; noli a nobis judicari.* Causa Donatistarum iterum fuit judicata, non quia oportebat, sed quia Imperator speraverat, illos facilius fore compescendos, si in pluribus judiciis se condemnatos viderent. Imo teste Labbeo Episcopis Galliæ præcepit, ut sine scitu, & consensu Papæ nihil statuant. S. Augustinus non comparat Papam sine concilio cum concilio sine Papa, sed concilium particulare cum generali, cui utrique Papa præsidet; posse autem causam in concilio particulari a Papa judicatam rursus ob justas causas ab eodem judicari non negamus, præsertim circa quæstiones meri facti, qualis erat quæstio tunc agitata; utrum nempe Cæcilianus Episcopus Carthaginensis sit reus de crimine traditionis librorum sacrorum, & a Felice Aptungitano traditore fuerit ordinatus.

Ex hactenus disputatis colliges, definitiones conciliorum non esse infallibiles, 1. Si Pontifex per se ipsum, aut suos Legatos reclamat. 2. Si Pontifex nec per se, nec per suos Legatos consentiat, quin tamen positive reclamet. 3. Si Legati absente Pontifice quidem consentiant, sed contra, vel præter mentem Pontificis, cum ad hunc consensum præstandum nullam habuerint specialem instructionem; sic enim non agunt illius nomine; hinc concilia confirmationem petierunt, etsi Legati illorum decretis jam subscripserint, quod etiam fecit Tridentinum, ut patet ex sessione ultima, & confirmatione Papæ adjuncta. E contrario definitiones conciliorum generalium statim infallibiles, & fide divina credendæ sunt, 1. Quando ipse Pontifex concilio interfuit, & consensit; quia Papa non magis infallibilis est in confirmatione, quam in primo consensu cum concilio. 2. Quando absente Pontifice consentiunt Legati juxta instructionem specialem ab illo acceptam, qua scilicet Legatis circa controversias in concilio definiendas suam sententiam aperuit, mandavitque, ut illam curarent definiri, & oppositæ sententiæ reclamarent; tunc enim confirmatio fuit quasi anticipata, & decisio fit consentientibus Papa, & Episcopis. 450

Quæres adhuc. Quid dicendum, si solus Papa omnibus omnino Episcopis reclamaret, vel omnibus reclamantibus aliquid definiret. Resp. Circa hoc non convenire ipsos patronos nostræ sententiæ. Quidam apud Eugenium Lombardum, & Panormitanum existimant, in hoc casu Pontificem fore habendum pro docto-re privato, assistentia Spiritus sancti destituto, cujus definitio habenda esset pro temeraria. 451

Verum an Pontifex loquatur ex cathedra, non desumitur ex eo, an solus loquatur, vel cum aliis, sed an obligare velit totam Ecclesiam; alias Pontifex posset etiam pro doctore privato haberi, si plures ipsi repugnarent, sicque via sterneretur ad negandum, quod ex cathedra sit locutus, etsi aliquid definierit in concilio. Itaque judico, solo Pontifice reclamante definitiones conciliorum non fore infallibiles; infallibilem autem fore definitionem Pontificis, etsi reclamarent omnes Episcopi; id namque probant omnes rationes, quas pro conclusione nostra attulimus excepta illa, quam deduximus ex praxi Ecclesiæ, eoquod casus hic positus nunquam adhuc contigerit, nec unquam credo continget. Si tamen aliunde certo constaret, quod Pontifex reclamasset prorsus temerarie non præmissa ulla deliberatione; tunc sicut non esset infallibilis definitio concilii; sic neque infallibilis esse videretur definitio Papæ, saltem ita, ut de ejus infallibilitate sufficienter constaret, & talis definitio posset haberi pro regula fidei.

DISPUTATIO VII.

De summo Pontifice.

452 QUod S. Petrus a Christo acceperit primatum & jurisdictionem in omnes fideles tam laicos, quam clericos, etiam Episcopos, est de fide contra Græcos Schismaticos, Lutherum, aliosque hæreticos; nam Joannis 21 Christus Petro universaliter, & illimitate commisit omnes oves pascendas, & Matth. 16 supra illum specialiter fundavit Ecclesiam, illique soli commisit claves regni cælorum; per traditionem clavium autem intelligi primatum, seu supremam potestatem, patet ex aliis Scri-

pturæ locis. Sic quando Isai. 22 v. 22 dicitur: *Dabo claves domus David super humerum ejus*, exprimitur futura institutio Eliacim in summum Sacerdotem. Hinc primatum Petri supra Ecclesiam, & reliquos Apostolos semper agnovit Ecclesia, ut passim testantur Patres Græci, & Latini. S. Basilius sermon. de judic. Dei inquit: *Ille beatus, qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claves regni cælestis commissæ*; S. Chrysost. Homil. 11 in Matth.: *Hunc universo orbi proponit*; S. Ambros. epist. 2: *Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* Similia habent S. Hieronym., Cyprianus, Augustinus, Leo, Gregorius Magnus &c. apud Bellarm. de summo Pontif. lib. 1 cap. 25.

Et vero statim post ascensionem Christi ad 453
cælum Petrus se gessit tanquam caput Ecclesiæ, & summus omnium Pastor; etenim Act. 1 jussit fieri electionem novi Apostoli, die Pentecostes primus Christum annuntiavit Judæis, fratrumque defensionem suscepit; dein primitias gentium Deo consecravit in Cornelio, & Actor. 15 in concilio Apostolorum præsidem egit. Post mortem Christi quinque ferme annis mansit in Judæa, tunc migravit Antiochiam, tandem supremam cathedram Romam transtulit, ibique tanquam Romanæ urbis, & orbis Episcopus mortuus est, ubi adhuc ejus sepulchrum visitur. Certe Petrum Romanum Episcopum fuisse, ibique mortuum testatur unanimis consensus omnium Patrum, Historicorum, ac Christianorum per 13 sæcula usque ad Wiclefum, qui primus apertissimam hanc veritatem effronter negare ausus est. Wiclefum postea secuti sunt Calvinus, & Lutherus in colloquiis mensalibus de Antichristo ita ex tripode pronuncians: *Omnes historiæ testantur, Petrum fuisse primum Romæ Episcopum, sed*

meræ sunt fabulæ. Rationem dant, tum quia in Scriptura nihil legitur de Romana profectione Petri, & de tempore, quo illa contigerit, variant historici, tum quia S. Paulus longissimam scripsit epistolam ad Romanos, quod necessarium non fuisset, si Petrus sedisset Romæ, aut saltem Paulus in hac epistola illum salutasset.

454 Sed argumenta hæc negativa tanta non sunt, ut innumeris totius orbis testimoniis præjudicium afferre valeant. Quis enim fidem aliorum Evangelistarum in dubium trahit ex eo, quia S. Matthæus nihil de circumcisione Christi meminit? Quis audet negare divinitatem Christi, & miracula ab ipso patrata, præcise ideo, quia nihil de illis legitur in Scriptoribus gentilibus? æque parum Novatoribus prodest, quod auctores non conveniant de tempore, cum sæpe certo constare possit de ipsa re, quamvis non constet de aliqua ejus circumstantia. Sic nihil certius est morte Christi, & tamen litigant auctores, utrum anno 16 vel 18 Tiberii contigerit. Quod epistolam S. Pauli attinet, potuerunt esse graves causæ silendi de Petro, quamvis eas ignoremus, & forte Petrus tunc Roma aberat constituens varias Ecclesias, ut sæpe fecit. Certe Paulus non negat, Petrum Romæ sedisse, & epistolam suam probabilius scripsit tempore Claudii Imperatoris, quo Petrus fuit Roma expulsus. Adde, ex epistola Petri colligi, quod Romæ fuerit, & ibidem illam scripserit; ait enim: *Salutat vos Ecclesia, quæ in Babylone collecta est.* Ubi per Babylonem intelligitur urbs Romana, tunc ethnicis superstitionibus plena, ut testatur Papias Apostolorum discipulus apud Euseb. lib. 2 histor. cap. 15.

Con-

455 Contra eosdem Novatores pariter de fide eſt, quod primatus Eccleſiæ a Petro tranſierit ad omnes ejus ſucceſſores, & quidem determinate ad Epiſcopos Romanos. Quippe Chriſtus ſupra Petrum voluit fundare Eccleſiam ſtabilem, ac perpetuam; cum igitur Petrus utpote moriturus non potuerit eſſe perpetuum Eccleſiæ fundamentum in ſe ipſo, vi promiſſionum Chriſti debuit eſſe fundamentum Eccleſiæ etiam in ſuis ſucceſſoribus; atqui Romani Pontifices ſunt ſucceſſores Petri. Nam Petrus nullibi fuit Epiſcopus, quam Antiochiæ, & Romæ; Antiochenam autem Eccleſiam adhuc vivens, & primatum in omnes fideles tenens reliquit, proin Epiſcopus Antiochenus ſolum in particulari epiſcopatu, non autem in primatu totius Eccleſiæ Petro ſuccedere potuit; hinc nunquam habitus eſt paſtor univerſalis Eccleſiæ. At ut talem agnoverunt Epiſcopum Romanum omnes Patres, ipſaque concilia generalia, Nicænum I can. 16, Conſtantinopolitanum I in epiſt. ad Damaſum, Epheſinum in ſententia depoſitionis Neſtorii, Chalcedonenſe act. 2 & 3. Conſtantinopolitanum III in ſynodica ad Agathonem epiſtola. Concilium Lateranenſe IV can. 5, Lugdunenſe I cap. Ubi periculum de electione in 6to. Denique Florentinum, cujus verba citavimus num. 100, ubi etiam Græci poſt diuturnum ſchisma primatum Romani Pontificis in definitione fidei iterum profeſſi ſunt.

456 Quare apud omnes Catholicos teſte Antoine tract. de fide q. 5 a 5 certum eſt 1, quod Romanus Pontifex habeat omnem illam auctoritatem & poteſtatem, quæ juxta Chriſti inſtitutionem convenit Patri, Doctori, & Capiti totius Eccleſiæ, proin ab omnibu Chriſtianis illi debetur obedientia, & reverentia,

quæ ſecundum canones capiti univerſæ Eccleſiæ tribuenda eſt. 2. Quod jure divino habeat primatum honoris, & jurisdictionis ſupra omnes alios Epiſcopos, & Eccleſias particulares. 3. Quod omnes Chriſtiani teneantur ejus definitionibus, & decretis de rebus ad fidem, & mores ſpectantibus religioſe obſequi, ſaltem quamdiu Eccleſia non contradicit. 4. Quod decreta ſummi Pontificis in materia fidei, & morum ſint infallibilia, ſi accedat expreſſus, vel tacitus conſenſus univerſitatis Epiſcoporum. 5. An autem Pontifex ex cathedra loquens etiam ſit infallibilis antecedenter ad conſenſum Eccleſiæ, ex Catholicis ferme ſoli controvertunt recentiores illi Galli, qui auctoritatem Pontificis generalibus conciliis ſubjicere conantur; dum econtra hæretici pontificiis definitionibus infallibilitatem etiam accedente conſenſu Epiſcoporum abnegant.

QUÆSTIO I.

An ſummus Pontifex in definiendis rebus fidei & morum ſit infallibilis ante conſenſum & acceptationem Eccleſiæ?

457 Quidam auctores Galli faciunt diſcrimen inter Romanam Eccleſiam, & Romanum Pontificem; hunc dicunt in fide errare poſſe, illam vero non poſſe. Si per hanc diſtinctionem ſolum vellent, quod Papa poſſit errare tanquam perſona privata, non vero ut loquens ex cathedra, nobiſcum convenirent; ſi vero ad infallibilitatem Pontificis requirunt ſaltem conſenſum Eccleſiæ particularis Romanæ, in quo complexo juxta P. Simonet Sedes Apoſtolica adæquate ſumpta conſiſtit, hæc diſtinctio ho-

hodiernæ Ecclesiæ Gallicanæ parum placebit, quæ ad infallibilitatem Pontificis requirit consensum totius Ecclesiæ, postquam Sorbona propositionem conventus Gallicani num. 413 citatam adoptavit, & regio mandato præceptum est, ut nullus Baccalaureus ad Licentiam, aut Doctoratum admittatur, qui non prius juraverit, se nihil velle docere propositionibus in illo conventu statutis contrarium. At nobis multum proderit, si infallibilitatem Pontificis ante consensum Ecclesiæ solidis momentis probare poterimus; sic enim uno quasi ictu rescindentur variæ lites, ut lis de numero, seu quot Episcoporum consensus requiratur, ut definitio Pontificis evadat infallibilis; lis de tempore, seu quantum temporis intervallum sit necessarium, ut constitutio Ecclesiis innotuisse, atque ab illis approbata censeri possit; lis de ipso silentio, an nempe non reclamatio universim obtineat vim taciti consensus, & approbationis.

458 Dicendum. Pontifex ex cathedra loquens in definiendis rebus fidei, & morum est infallibilis etiam ante consensum, & acceptationem Ecclesiæ. Prob. 1. Summus Pontifex a Christo constitutus est supremus omnium Christianorum rector, pastor, doctor, fundamentum, ac petra, cui ita inædificata est Ecclesia, ut portæ inferi contra illam nunquam possent prævalere: ergo in definiendis rebus fidei debet esse infallibilis; alias errante Pontifice, etiam errarent fideles, & corruente fundamento rueret tota Ecclesia; non enim intelligi potest, quo pacto fundamentum labatur, & domus non corruat. Neque infallibilitas Pontificis potest dependere a consensu Ecclesiæ, alias potestas rectoris dependeret a subditis, judicium pastoris a judicio ovium, firmitas

mitas ſententiæ magiſtri a conſenſu diſcipulorum, & ſoliditas fundamenti a firmitate ædificii, imo tali modo Eccleſia non eſſet inædificata petræ, ſed potius ſtabilitas petræ eſſet inædificata Eccleſiæ. Conf. Chriſtus non ſolum pro Petro, ſed etiam pro ejus ſucceſſoribus Lucæ 22 v. 32 oravit, ne illorum fides deficiat, juſſitque, ut alios in fide confirment: ergo illorum definitiones non primum ab aliis debent confirmari. Ant. patet, tum quia ea, quæ Chriſtus dixit Petro in ordine ad regendam Eccleſiam, etiam dicta ſunt ejus ſucceſſoribus, tum quia ſingulæ aliæ Eccleſiæ poſſunt errare, & in fide deficere. Sic in cathedra patriarchali Conſtantinopolitana ſedit Macedonius, Neſtorius, Sergius, in Antiochena Paulus Samoſatenus, Petrus Eutichianus, Macarius Monothelita, in Alexandrina Gregorius, & Lucius Ariani, Dioſcorus Eutichianus, in Hieroſolymitana Joannes Origeniſta, Irenæus, & Hilarius Ariani.

459 Probatur 2 auctoritate conciliorum. In Chalcedonenſi act. 1, cum recitata fuiſſet epiſtola S. Leonis Papæ, acclamarunt Patres univerſi: *Hæc Patrum fides, hæc Apoſtolorum fides; omnes ita credimus, orthodoxi ita credimus, anathema, qui ita non credit: Petrus per Leonem ita locutus eſt.* Ergo faſſi ſunt Petrum per ſuos ſucceſſores loqui, eosque ante aliorum conſenſum eſſe infallibiles. Pariter in concilio Conſtantinopolitano III Patres act. 8 ſuggeſtiones ab Agathone Papa directas *Tanquam a Spiritu ſancto dictatas per os ſancti, ac beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri* receperunt, & act. 18 litteras ejusdem Agathonis agnoverunt *A ſummo Apoſtolorum vertice divinitus ſcriptas.* Denique ut alia

ta-

taceam, concilium Florentinum in professione fidei absolute definivit, Papam omnium Christianorum patrem, & doctorem esse, cui tradita sit plena potestas gubernandi universam Ecclesiam: ergo in suo regimine non dependet a consensu aliorum. Conf. Ex sacris canonibus, qui multis in locis, præsertim caus. 24 q. 1 & distinct. 12, ac 19 nostram sententiam satis clare indicant. Nec obest, quod plerique ab ipsis Pontificibus sint conditi; cum enim fuerint tam multi, iique etiam Martyres, & Sancti, non possunt esse suspecti de ambitione. Dein canon. Hæc est fides caus. 24 q. 1, est ex S. Hieronymo, canon Si quis caus. 25 q. 2 ex concilio Romano, canon unicus de summa Trinitate in 6 ex concilio Lugdunensi II.

Probatur 3 auctoritate SS. Patrum. Ex his S. Hieronymus epist. 57 ad Damasum scribit: *Ego beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicunque extra hanc divinum agnum comederit, profanus est.* S. Augustinus lib. contra duas epist. Pelagian. cap. 3 de litteris Innocentii Papæ ait: *Quibus de hac re* (peccato originali) *dubitatio tota sublata est.* Et sermone de verbis Apostoli cap. 10 asserit, per rescripta Sedis Apostolicæ causam cum Pelagianis esse finitam, nec ulteriori dubitationi, vel appellationi locum esse. Petrus Chrysologus in epist. ad Eutichetem sic eum alloquitur: *Hortamur te, ut his, quæ a beato Papa Romanæ urbis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Plura ejusmodi testimonia exhibet Bellarminus 460

lib.

lib. 4 de Romano Pontific. cap. 2, & 3. Profectò si ad infallibile judicium Pontificis requireretur consensus Ecclesiæ, per illud causa nondum esset finita, neque omnis dubitatio sublata; sed posset contingere, ut quærentibus non præstaret fidei veritatem. Conf. Quia fideles statim tanquam hæreticos fuerunt aversati, quorum doctrinam a Pontifice damnatam esse intellexerunt.

461 Probatur 4 ratione. Si Pontifex non esset infallibilis ante consensum Episcoporum, suprema ejus potestas facile posset eludi, nec satis prospectum esset bono Ecclesiæ; si enim extra concilium generale, quod sæpe convocari nequit, aliquid definiret, vel hæresim repente exortam damnare vellet, ejus definitioni, & damnationi facile se possent aliqui Episcopi opponere, & consensus reliquorum non nisi post longum tempus authentice innotesceret, cumque insuper non facile posset determinari, quanta pars Episcoporum consentire debeat, diutissime nihil certo constaret, sed refractarii semper adhuc possent prætendere, nondum sufficientem Ecclesiarum numerum consensisse, præsertim quia in hoc casu omnes Episcopi per orbem dispersi haberent jus suffragii, secus ac contingit in concilio generali, in quo soli præsentes Ecclesiam repræsentant. Interea hæreses plurimum invalescerent, & fideles diutissime suspensi hærerent, donec de rebus definitis firmam fidem elicere valerent. Conf. Vel ad infallibilitatem Pontificis requireretur consensus totius Ecclesiæ, vel tantum alicujus partis? si primum, Pontifex non magis esset infallibilis, & consundamentum Ecclesiæ, quam quivis alius Episcopus, qui etiam infallibiliter non errat, si sentit cum tota Ecclesia. Si secundum, non

satis

ſatis probatur, quod major pars Epiſcoporum non poſſit errare, ſicut erravit major pars concilii Epheſini: ergo major pars non poteſt definitionem Pontificis certo reddere infallibilem.

Objectiones.

OBj, 1. Omnes Apoſtoli fuerunt infallibiles, 462
& a Chriſto acceperunt poteſtatem in totam Eccleſiam; ergo ſucceſſores Petri non habent majorem poteſtatem, & infallibilitatem, quam reliqui Epiſcopi, qui aliis Apoſtolis ſuccedunt; atqui iſti ſine aliorum conſenſu non ſunt infallibiles: ergo. Conf. Chriſtus ad Petrum non dixit: paſce omnes oves meas: ergo. Reſp. Diſt. Ant. reliqui Apoſtoli fuerunt infallibiles, & habuerunt poteſtatem in univerſam Eccleſiam eodem modo, ſicut Petrus, Neg. Ant. diverſo modo, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Reliqui Apoſtoli habuerunt infallibilitatem, & poteſtatem in univerſam Eccleſiam tantum ut Apoſtoli, & Legati, Petrus inſuper ut Paſtor ordinarius, & reliquorum caput, ſupra quod Chriſtus ſpecialiter Eccleſiam fundaverat, in quo munere cum Pontifex Romanus Petro ſuccedat præter ſupremam jurisdictionem in univerſam Eccleſiam etiam participat privilegium infallibilitatis; at cæteri Epiſcopi Apoſtolis ſolum ſuccedunt in munere paſtorali alicujus Eccleſiæ particularis, proinde nec tanta jurisdictione, nec infallibilitatis privilegio neceſſario opus habent. Ad Conf. Diſt. Ant. Intellexit tamen omnes, Conc, Ant. aliter, Neg. Ant. ſicut Chriſtus, quando Joannis 10 v. 14 dixit: *Cognoſco oves meas*, intellexit omnes, ita omnes intellexit, quando ad Petrum dixit: *Paſce*

ſce oves meas; omnes enim, qui ſunt de Eccleſia, oves ſunt, & nullus hic excipitur.

463 Dices. S. Paulus ad Galatas 2 v. 7 ait, ſibi creditum fuiſſe Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis: ergo ſuprema poteſtas inter illos fuit diviſa; hinc ambo vocantur Principes Apoſtolorum, imo Paulus per antonomaſiam vocatur Apoſtolus; & in antiquis ſigillis Romanis illius imago cernitur ad dexteram imaginis Petri. Conf. SS Patres nonnunquam reſtiterunt Romano Pontifici, ut Cyprianus Stephano: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conf. Pauli verba ſolum indicant, quod ipſe fuerit principaliter deſtinatus ad prædicandum gentibus, ſicut Petrus ad prædicandum Judæis. Principes Apoſtolorum non vocantur eadem ratione, & modo, ſed Petrus, quia a Chriſto accepit primatum, Paulus quia plus omnibus ſcripſit, & laboravit, ob quod etiam per antonomaſiam Apoſtolus vocatur. Quando autem imago Pauli in ſigillis ponitur ad dexteram, id ita fit, ut imagine Petri ferme tegatur, quo Petri dignitas ſignificatur, qui in orationibus Eccleſiæ ſemper Paulo præponitur. Porro propoſitio aſſerens omnimodam æqualitatem inter Petrum & Paulum damnata eſt ab Innocentio X anno 1647, 24 Januar. Ad Conf. SS Patres Pontifici ſe tantum oppoſuerunt in rebus ad fidem non pertinentibus, vel ſaltem nondum definitis, & ſatis declaratis.

464 Obj. 2. Modo dicatur, quod definitioni Papæ non liceat contradicere, ſatis ſalvatur ejus ſuprema poteſtas, & eminentia ſuper reliquos Epiſcopos: ergo ex munere ſummi Paſtoris, doctoris &c. non probatur, quod ſit infallibilis, & ejus definitiones credi debeant. Conf. S. Ambroſius lib. 3 de Sacrament. cap. 1.

1, cum sibi opposuisset consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, inquit: *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam; sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus.* Resp. Neg. Ant. Tum quia nihilominus [illegible] modo pastor deberet regi ab ovibus, & potius Papa supra Ecclesiam, quam Ecclesia supra ipsum fundata esset: tum quia Pontifex ordinarie non tantum prohibet contrarium doceri, sed etiam obligat ad id, quod definit credendum. Imo si Episcopis non licet contradicere, omnes videbuntur definitionem Pontificis approbare: ergo hoc ipso illa debebit credi. Ad Conf. S. Ambrosius loquitur de consuetudinibus particularibus Ecclesiæ Romanæ, quæ aliis Ecclesiis non erant præscriptæ, uti ablutio pedum post Baptismum adultorum, de qua determinate S. Doctor ibidem agit.

Dices. S. Cyprianus lib. de Unitat. Ec- 465
clesiæ ait: *Hoc erant utique, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus tali consortio præditi, & honoris, & potestatis: si autem par fuit auctoritas Petri, aliorumque Apostolorum, par etiam erit Romani, & aliorum Episcoporum auctoritas.* Hinc in suis ad Romanos Pontifices litteris, eos non aliter, quam collegas, fratres, & coepiscopos appellat. In epist. vero 74 ad Pompejum acriter reprehendit Stephanum, & illius sententiam de Baptismo hæreticorum erroneam appellat. Conf. Lib. 2 epist. 1 ad Stephanum docet: *Quod unusquisque Episcopus in Ecclesiæ suæ administratione voluntatis suæ liberum arbitrium habeat, rationem actus sui Domino redditurus.* Resp. S. Cyprianus loqui censendus est tantum de apostolico munere, & dignitate ordinis; nam mox subjungit: *Sed exordium ab unitate proficisci-*

 tur,

tur, *& Petro primatus datur*. Porro cum etiam Pontifex Romanus sit Episcopus, vere reliquorum Episcoporum est collega, coepiscopus, & frater, communem cum ipsis habens patrem, nempe Christum, qui etiam suos Apostolos fratres appellavit. Quæ denique S. Doctor in epistola ad Pompejum scripsit, ex nimio disputationis fervore exciderant, nisi tamen ut aliqui apud S. Augustinum epist. 48 volunt, scripta Cypriani ab impostoribus corrupta fuerint. Ad Conf. Eo loco agit de Baptismo hæreticorum, quæ res tunc nondum erat plene definita. Quod si revera nobis contrarius esset, deberet cedere auctoritati aliorum Patrum longe plurium, præsertim quia ejus verba nude sumpta omnino viderentur negare primatum Papæ.

466 Obj. 3. Concilium œcumenicum V docet causas fidei ad exemplum Apostolorum per viam conciliorum terminandas esse. Imo concilium Africanum in epistola ad Cælestinum Papam plus tribuit auctoritatis concilio provinciali, quam Pontifici, dum ait : *N. si forte quisquam est, qui credat unicuilibet posse Deum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in concilium Sacerdotibus denegare.* Conf. Quamvis Cælestinus in concilio Ephesino sententiam tulerit in Nestorium, nisi intra 10 dies resipiscat ; hæc non fuit executioni data : ergo. Resp. Dist. Ant. docet causas fidei ita terminandas esse necessario, Neg. Ant. utiliter quandoque & convenienter, Conc. Ant. Hæc tamen doctrina non erat aliqua definitio ; epistola vero concilii Africani nunquam fuit a Pontifice approbata, neque agit de quæstionibus fidei, & morum, sed de quæstione facti particularis quorumdam Episcoporum,

rum, & presbyterorum, qui ſpreta conciliorum particularium auctoritate ad Papam recurrebant, ſæpe male informatum. Ad Conf. Quæ ipſum primatum Pontificis impugnaret, dico, ſententiam non fuiſſe datam executioni, quia S. Cyrillus ad Cæleſtinum litteras dedit, & ipſe annuit, ut ſententia tamdiu ſuſpenderetur, quamdiu ſpes eſſet Neſtorium reducendi.

Dices 1. Multa concilia ab Alexandro Na- 467
tali allegantur, quæ examinarunt doctrinam prius a Pontificibus Romanis approbatam; imo ipſi Pontifices dixerunt, adhibendum eſſe concilium, ſi ſuæ definitiones non proficerent. Hinc Aſiatici cum Polycrate Epheſino Epiſcopo non acquieverunt deciſioni Victoris I circa celebrationem paſcatis ante concilium Nicænum. Conf. Synodus VIII can. 21 docere videtur, quod poſſit etiam controverſias de Eccleſia Romana judicare. Reſp. Diſt. Ant. examinarunt ideo, quia hoc examen erat neceſſarium ad dandam infallibilitatem doctrinæ pontificiæ, Neg. Ant. ob alias rationes, ex quibus num. 413 oſtendimus utilitatem conciliorum generalium, Conc. Ant. S. Victor juſſit quidem, ut pacha die Dominico 14 lunam æquinoctii vernalis immediate ſequente celebretur, & Polycratem, atque Aſiaticos parere renuentes excommunicavit. At iſtam controverſiam non plene definivit, ferme ſicut num. 427 dixi de Baptiſmo ab hæreticis collato non iterando. Ad Conf. Canon ſynodi VIII potius nobis favet; ita enim habet: *Si facta fuerit de ſancta Romanorum Eccleſia quædam ambiguitas, & controverſia, oportet venerabiliter ſciſcitari, & ſolutionem accipere, non vero audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.*

 Di-

468 Dices 2. In concilio Chalcedonensi, & Constantinopolitano II relecta est epistola, quam Leo Papa consentiente clero Romano dederat ad Flavianum Constantinopolitanum in causa Eutichetis, & Dioscori, & Episcopi Illirici, ac Palestini quinque dierum inducias impetrarunt, ut illam diligentius expenderent, quod etiam apud Anatholium Patriarcham fecerunt: ergo Patres non judicarunt Papam esse infallibilem. Conf. Ipse Leo plurimum laboravit, ut sua epistola ab Episcopis Orientalibus, & Occidentalibus subscriberetur, & postea ad Theodoretum scripsit: *Gloriamur in Domino; qui nullum nos in fratribus nostris detrimentum sustinere permisit, sed quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu*: ergo fatetur suam epistolam potuisse retractari, & Episcopos subscripsisse tanquam judices. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Vix lecta fuerat Leonis epistola (prout lectum est symbolum Nicænum) sine ullo examine statim acclamarunt patres: *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides, omnes ita credimus, anathema, qui non ita sentit.* Episcopi vero tergiversantes teste Simonet addicti fuerant Dioscoro damnato; nec ipsi petierunt examen institui de veritate epistolæ, sed solum in privato colloquio discusserunt ejus sensum. Ad Conf. Leo subscriptionem Episcoporum urgebat ad firmandam magis concordiam, ac melius confundendos hæreticos, & ex eadem ratione epistolam potuerunt approbare patres, ut judices, ut sic duplici judicio solemnius damnaretur Eutiches. Porro quæ Leo ad Theodoretum scripsit, debent accipi relate ad conciliabulum Ephesinum, respectu hujus dicit definitionem concilii Cchalcedonensis esse irrefragabilem.

Di-

Dices 3. Quidam Pontifices expreſſe declararunt, quod in ſuis epiſtolis, vel conſtitutionibus non intendant aliquid contra fidem proferre. Alii ut Joannes XXII, & Gregorius XI in articulo mortis proteſtati ſunt, quod ſi quid contra fidem egiſſent, retractent: ergo. Conf. Gelaſius libro de vinculis anathematis ait: *Si præceſſit conſenſus Pontificum, doceatur, a quibus, & ubi ille ſit geſtus - - ubi procul dubio requirendum eſt, ſi ſynodali congregatione celebratus, quod in receptione damnati, & objectione Catholici, quia nova eſt cauſa, fieri debere certiſſimum eſt.* Reſp. Omitt. Ant. Neg. Conf. Etſi concilium generale declararet, ſe nolle quid contra fidem agere, ideo non profiteretur, quod in articulis fidei ſit fallibile: ergo neque hoc ſequitur ex declaratione Pontificum; qui vero ſuas ſententias retractarunt, hanc retractationem ſolum extenderunt ad illas opiniones particulares, quas tanquam Doctores privati defenderunt. Ad Conf. Gelaſius Papa ibi expreſſe agit de auctoritate Pontificum Romano inferiorum, & ab his dicit Petrum Alexandrinum Romani Pontificis ſententia ligatum abſolvi non potuiſſe absque ſynodo, imo neque cum ſynodo absque primæ ſedis auctoritate, quod potius noſtram ſententiam confirmat. 469

Obj. 4. Pontifices Romani quandoque ſunt non ſolum minus docti, ſed etiam vitæ parum laudabilis: ergo non ſunt magis infallibiles, quam alii principes illis ſimiles. Conf. Pontifices libere definiunt: ergo poſſunt errare, alias Deus perpetuum faceret miraculum, quo impediret, ne errarent. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conf. Aſſiſtentia Spiritus ſancti, ex qua ſola in Pontificias definitiones infallibilitas de- 470

rivatur, non est alligata scientiæ, aut moribus, sed officio Pontificis; hinc Pontifices non sunt quoad omnia similes aliis principibus, quibus nulla a Christo promissa est infallibilitas, sicut nec Pontifici, quatenus est princeps sæcularis, & exercet potestatem mere sæcularem. Ad Conf. Dist. Ant. definiunt libere libertate contradictionis, & antecedente, Conc. Ant. libertate contrarietatis, & consequente, Neg. Ant. & quæro, an Deus perpetuum faciat miraculum, si homo pœnitens justificatur? respondebis affirmative, si spectetur solus ordo naturæ; si vero spectetur ordo gratiæ, negabis. Eodem modo ego respondeo spectata hac providentia, qua Deus Ecclesiam suam gubernare decrevit, simulque retorqueo argumentum in concilia. Vide num. 360.

471 Dices 1. Vel Pontifex tunc solum esset infallibilis, si aliquid definit præmissa matura deliberatione, auditis doctorum sententiis, & assistentia Spiritus sancti rite implorata? vel etiam tunc quando non præmissa veritatis inquisitione inconsulto, & temere sententiam pronuntiat? Si primum semper possumus de pontificiis definitionibus dubitare, præsertim post longius ab editione tempus: si secundum, esset infallibilis, etsi temulentus, vel præcise in gratiam, aut odium aliorum aliquid ex cathedra pronuntiaret. Conf. Juxta nos Episcopis non amplius esset liberum causam discutere, & judicare, sed cæco mentis obsequio se deberent conformare judicio Papæ; hoc falsum, quia Episcopi jure divino sunt judices controversiarum: ergo hoc jure privari non possunt. Resp. Conc. Maj. Neg. min. & dico, sicut nunquam contigit, sic Deum nunquam permissurum, ut Pontifex nemine consulto, & temere sententiam in causa fidei pronun-

nunciet, vel etiam in hoc casu Spiritum sanctum illi adstiturum, aut certe defectum manifestaturum. Unde necesse non est, ut determinate sciamus, an definitio præmisso maturo examine fuerit facta, sed sufficit, modo non constet de opposito, ut dixi de conciliis num. 390. Ad Conf. Neg. Maj. vel potius suppositum, quod Episcopi acceptando pontificiam constitutionem agant cæco modo, item quod ad munus judicii semper requiratur novum examen causæ. Sic concilium posterius confirmando definitionem prioris, ut quandoque fit, id facit potestate judiciali, quin hanc definitionem rursus ad examen vocare debeat. Quod si Pontificis constitutio ab omnibus moraliter Episcopis jam recepta sit, cæteri Episcopi etiam juxta adversarios se debent conformare, an ideo privantur potestate judiciali? Vid. num. 416.

Dices 2. Ut definitio Pontificis ante consensum Ecclesiæ sit infallibilis, debet certo constare, quod sit legitimus Pontifex; atqui hoc non potest certo constare, tum quia moraliter vix possumus scire, utrum a tota Ecclesia pro legitimo agnoscatur, tum quia non potest determinari quota pars Ecclesiæ sufficiat, ut certo sit legitimus. Conf. Posset contingere, ut ipse Pontifex incidat in hæresim, sed tali modo non esset infallibilis: ergo. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Ad secundam electionem Pontificis non requiritur positivus consensus, & acceptatio Ecclesiæ, sed sufficit consensus tacitus, & acceptatio negativa, in quantum Electores, & alii, qui possent, non reclamant. Unde si non datur prudens ratio dubitandi de vero pontificatu, hoc ipso Pontifex est certus, neque dubius redderetur, etsi forte 472

te alii, ſive pauci, ſive multi proteſtarentur, quia hac proteſtatione ſe rebelles, & ſchismaticos probarent. Ad Conf. Tranſ. Maj. quam pie negat Bellarminus, eoquod Chriſtus Petro, ejusque ſucceſſoribus etiam tanquam perſonis privatis videatur impetraſſe, ne in fide deficerent, & ſic melius alios poſſint confirmare, Diſt. min. tali modo Pontifex non eſſet infallibilis ut perſona privata, Conc. min. ut Pontifex, & quando loquitur ex cathedra, Neg. min. tunc enim nullam hæreſim poteſt docere, ſaltem niſi veritas catholica jam aliunde eſſet explorata, quem caſum aliqui Auctores cum Valentia excipiunt, quia ex tali errore nullum detrimentum in Eccleſiam redundaret, quæ aliunde ſciret ſe non teneri ad fidem tali definitioni præſtandam, ſed Pontificem ſua auctoritate hoc ipſo eſſe privatum, ſicut non teneretur ſe conformare definitioni, de qua conſtaret, quod nemine conſulto, & temere facta ſit.

473 Dices 3. Decreta morum non obligant ante acceptationem Eccleſiæ: ergo neque decreta fidei. Conf. Sententia illorum, qui docent Pontificem ante acceptationem Eccleſiæ non eſſe infallibilem, ſaltem eſt probabilis: ergo hoc ipſo non datur obligatio ejus definitionibus adhibendi fidem divinam. Reſp. Neg. Ant. & Conſ. Obligatio credendi veritates revelatas, de quarum revelatione ſatis conſtat, non eſt tantum juris poſitivi, ſed naturalis, & divini, quod juxta omnes obligat præſcindendo ab acceptatione hominum. Idem in tractatu de legibus dixi, & poſt propoſitionem 28 ab Alexandro VII damnatam communis aliorum docet de legibus humanis præſertim eccleſiaſticis, niſi Pontifex, aut concilium ſponte in recipiendis decretis morum velit quibus-

busdam expresse, vel tacite libertatem aliquam permittere, aut per consuetudinem diu toleratam ejusmodi decreta vim obligandi amiserint. Ad Conf. negant antecedens patroni nostræ sententiæ; quippe pro illa stat tanta auctoritas, & tam graves rationes, ut auctoritas Gallorum plane videatur enervari, utpote cui omnes aliæ rationes contradicunt, imo ex ipsis Gallis recentiores aliqui, & antiqui ferme omnes, ut advertimus num. 429. Hinc nostra sententia multis non solum videtur moraliter certa, sed etiam credibilis fide divina ab iis, quibus textus Scripturæ a nobis allati, & traditio Ecclesiæ satis clara apparet. Interim nostra sententia nondum est credibilis fide catholica, cum aperte ab Ecclesia nondum definita fuerit.

De prætensis erroribus summorum Pontificum.

Quanquam non solum hæretici, sed etiam recentiores Galli multos summorum Pontificum errores corradere soleant, ex illis tamen parum contra nostram sententiam probant, quia ejusmodi errores præcise fuere circa facta particularia cum quæstione juris non connexa, vel solum provenerunt a Pontificibus tanquam personis privatis, & non ex cathedra loquentibus, vel denique omnino errores non sunt. Imo si Pontifices, quando ex cathedra locuti sunt, errassent in quæstione dogmatica, inde plerumque sequeretur, quod etiam errare possent, licet maxima pars Ecclesiæ ipsis consentiret, eoquod definitionibus pontificiis reliqui Patres, & Episcopi non reclamaverint; hoc autem ab ipsis Gallis ægre admitteretur, & infallibilitatem Ecclesiæ vix non omnino everteret, cum pari jure dici pos- 474

ſet, etiam concilia non eſſe infallibilia, modo pauci Epiſcopi diſſentiant. Nos habita temporis ratione rurſus extra formam afferemus, quæ in particulari objici ſolent.

475 Sæculo I. Quando S. Petrus negavit Chriſtum, nondum fuit conſtitutus ſummus Pontifex, neque illum negavit corde, ſed ore tantum, non ut loquens ex cathedra, ſed ut perſona privata. Gentiles ad fidem converſos coegit judaizare, ut ad Galatas 2 dicitur, non quaſi errorem aliquem docuerit, ſed quia exemplo ſuo occaſionem præbuit exiſtimandi, delectum ciborum, quem ipſe in gratiam Judæorum obſervabat, cæterosque ritus judaicos, etiam a Chriſtianis debere obſervari. Itaque error Petri fuit error converſationis, non prædicationis, non error in docendo, ſed in agendo aliter, quam ſpectatis loci, ac temporis circumſtantiis agere oportuiſſet, & ideo a S. Paulo fuit correptus, ut poſt Tertullianum lib. de præſcriptionibus obſervarunt Patres Latini ferme omnes. Quin juxta S. Hieronymum, & Patres Græcos reprehenſio a Paulo ſolum facta eſt ſimulate, & ex compoſito, quam tamen interpretationem rejeci in tractatu de legibus, quia S. Paulus ait Petrum non recte ambulaſſe ad veritatem Evangelii, & ideo fuiſſe reprehenſibilem.

476 Sæculo II. Alexander I. in ſua decretali epiſtola ad omnes Epiſcopos meminit quidem de mixtione aquæ cum vino conſecrando, at neutiquam fuit auctor hujus præcepti, ſed id ab ipſo Apoſtolorum tempore manavit, ut conſtat ex Liturgia S. Jacobi Apoſtoli, auctoritate Irenæi, Clementis, Cypriani, & ipſa epiſtola Alexandri, in qua ait, ſe tradere, quod a Patribus acceperat. Quod autem juſſe-

jusserit, ut solus panis azymus adhibeatur, in legitimis ejus actis nullibi legitur, sed nititur testimonio solius Martini Poloni, qui pluribus post Alexandrum sæculis scripsit. 2. Telesphorus in epistola ad omnes fideles decernit quidem, ut septem hebdomadas plenas ante pascha omnes clerici a carne jejunent, hoc autem jejunium multum differt ab abstinentia Judæorum, qui aliquibus cibis nunquam vescuntur tanquam immundis. Cæterum jejunium jam ab Apostolis fuit introductum, & epistolis decretalibus Pontificum, qui ante Siricium vixerunt, plerumque exigua fides tribuitur. 3. Victor I adeo non docuit, Christum esse purum hominem, ut Theodotum Bizantinum hujus erroris auctorem excommunicaverit teste Eusebio lib. 5 Hist. cap. 28, & Labbeo ad annum Christi 194.

Sæculo III Zephyrinum Montanistis litteras pacis dedisse, & cum illis communicasse, testatur solus Tertullianus lib. contra Praxeam cap. II, qui ipse in Montani hæresin incidit, ideoque fidem non meretur. Vel certe Zephyrinus solum erravit in facto, initio bona fide judicans Montanistas esse Catholicos, cum exterius eximiam pietatem, & vitæ austeritatem præseferrent; nam ipse Zephyrinus contra Montani hæresim auctoritate pontificia decretum edidit, quod postea lib. 1 de pudicitia impugnavit Tertullianus. 2. Quod Cornelius Papa docuerit, in sacro calice solam aquam offerendam, citant epistolam Cypriani ad Cæcilium Africanum. Verum si bene legatur, Cyprianus hunc errorem longe aliis quibusdam auctoribus, quam Cornelio adscribit. 3. De Marcellino narrant metu mortis, & blanditiis Diocletiani inductum Jovis simulacro thus adolevisse, postea in concilio Sinuessano 477

con-

convictum sua sententia se condemnasse, pontificatu ultro cessisse, & post peractam severam pœnitentiam glorioso martyrio occubuisse. Verum lapsus Marcellini, ejus subjectio, & ipsum concilium Sinuessanum defacto a recentioribus criticis, continuatoribus Bollandi, & Benedicto XIV tanquam commentum Donatistarum exploditur, quia de his veteres omnes scriptores tacent, & nunquam a Donatistis potuerunt probari. Neque obstat auctoritas Breviarii Romani; hic enim non est unicus illius nævus. Quod si omnia vera essent, Marcellinus solum fuisset lapsus in actum idololatriæ externum, & hanc maculam postea suo sanguine abluisset.

478 Sæculo IV historia de lapsu Liberii communiter ita refertur. Postquam diu contra Arianam hæresim fortiter pugnavit, a Constantio Imperatore Berœam Thraciæ relegatus est, ubi bienno vix expleto partim ærumnis, & tormentorum minis territus, partim pristinæ Sedis recuperandæ desiderio formulæ concilii Syrmiensis subscripsit, Athanasium damnavit, cum Arrianis communicavit, & sic a Constantio Romam remissus iterum pontificatu potitus est, ut testari dicuntur S. Athanasius, Hilarius, & Hieronymus. Verum hæc testimonia partim corrupta, partim suppostitia, aut certe dubia esse, multis contendunt continuatores Bollandi ad 23 Septembris. Unde existimant, ex calumnia Arianorum profluxisse, quidquid de lapsu Liberii potissimum temporibus schismatis Ursiniani, & Luciferiani fuit jactatum; quippe teste Sozomeno jam antea falsus rumor de subscripta a Liberio formula hæretica sparsus fuerat, hunc vero per reditum Liberii vires acquisivisse, & a nonnullis

lis pro vero creditum, valde verisimile est, quamquam nullus alius SS. Patrum, qui cum Liberio vixerunt, aut postea sæculo IV & V Ecclesiam scriptis illustrarunt, vel minimam de lapsu Liberii mentionem fecerit, nec ipsi Ariani postea ausi sint, fidelibus Liberii lapsum objicere. Econtra Sozomenus, Socrates, Theodoretus &c., qui initio sæculi V floruerunt, Liberium laudant tanquam virum undequaque semper egregium, & populo Romano ita acceptum, ut pro ejus restitutione apud Constantium summis precibus institerit, ad turbas quoque & seditiones ea de causa prorumpens.

Quidquid de hoc sit, certum est, Liberium nunquam aliquem errorem ex cathedra docuisse. 479
Sed neque vi, & metu tormentorum formulæ hæreticæ unquam subscripsit, multo minus hæresin in mente approbasse convincitur. Nam ex tribus formulis, quas Syrmii editas esse diximus, tantum secunda fuit hæretica; at teste Hilario lib. de synodis, Socrate, & Sozomeno huic formulæ præter Arianos solus subscripsit Hosius, ipsosque Arianos adeo hujus formulæ puduit, ut ideo tertiam ediderint, in qua suppressa voce consubstantialis Filium Patri similem dixere. At hæc formula primum edita fuit anno 359, postquam Liberius jam fuerat in Sedem Romanam restitutus; adeoque illi non subscripsit: restat ergo sola formula prima, hæc autem nulla ex parte erat reprehensione digna, nisi quod vox consubstantialis supprimeretur. Quamvis igitur huic formulæ subscripsisset Liberius, id non fecisset animo hæretico, sed secundum sensum catholicum, in quo facile exponi potuit. Imo Liberius in conspectu ipsius Constantii omnes eos alienos ab Ecclesia pronuntiavit, qui Filium secundum substantiam, & per omnia Patri similem

milem non aſſererent, & Conſtantio ad condemnandum Homouſion cogere volenti, conſtanter reſtitit. Quod ſi Liberius ſubſcribendo primæ formulæ hæreſin Arianam fuiſſet profeſſus, aut omnino ſecundæ jam anno 357 editæ ſubſcripſiſſet, non primum anno ſequenti fuiſſet Romam remiſſus, cum Hoſius poſt receptam illam formulam ſtatim acceperit facultatem in Hiſpaniam redeundi.

480 Hinc 1. Quando S. Hieronymus in Catal. Scriptor. Eccleſiaſtic. ait, Liberium fuiſſe compulſum ad ſubſcriptionem hæreſeos, ſolum vult, quod ſua ſubſcriptione hæreſim Arianam foverit, ejusque fautoribus faverit. 2. Verba S. Hilarii, quibus in fragmento 6 formulam i Liberio ſubſcriptam vocat Arianam perfidiam, & idcirco ter Liberio anathema dicit, ſunt ſuppoſita, ut ex eo colligitur, quia ipſe Hilarius primam formulam exponit ut orthodoxam, & illius auctores lib. de ſynodis fratres appellat, vel certe Hilarius tunc in Phrygia exulans falſis rumoribus deceptus fuit, exiſtimans Liberium ſubſcripſiſſe formulæ ſecundæ. 3. Athanaſium Liberius non damnavit ideo, quod Nicænam fidem tueretur, ſed propter crimina ei ab aliis falſo impoſita, & ut ab exilii ærumnis, & mortis intentatæ periculo liberaretur; quippe ipſi Euſebiani Athanaſium non condemnarunt ob cauſam fidei. 4. Liberius cum Arianis non communicavit, quia illis in dogmate cœpit conſentire, ſed ſolum pro bono pacis, & concordiæ, ut ipſe teſtatur in ſua ad illos epiſtola. Cæterum quamvis communicando cum Arianis, & S. Athanaſium condemnando duplici errore facti graviter lapſus ſit, poſtquam tamen Romam rediit, fidem catholicam contra Arianos ſemper acerrime defen-

fendit; acta fynodi Ariminenfis improbavit, & Epifcopis Arimini lapfis fub pœnis ecclefiafticis præcepit, ut fubfcriptionem fuam retractarent, fidemque Nicænam profiterentur.

Liberio, ut fupra dixi, in Thraciam deportato, Romanus Clerus jure jurando fe obftrinxit, quod vivo Liberio nullum alium vellit admittere Pontificem; nihilominus opera Arianorum præfertim Acacii Cæfarienfis Epifcopi Felix II Liberii Diaconus in Sedem pontificiam intruditur, atque cum illis libere communicat; nunquam tamen hærefim ex cathedra docuit, neque ipfe Arianus fuit, ut teftantur Ruffinus, Theodoretus, & Sozomenus. Hinc quando S. Hieronymus in Catal. fcriptor. Ecclef. illum vocat Arianum, id folum facit propter communicationem cum Arianis, quamquam Bellarminus exiftimet, vocem Arianus effe fuppofitam, cum in antiquis manufcriptis, & translatione Sophronii non legatur. Utrum Felix poftmodum aliquando fuerit legitimus Papa, incertum eft. Blanchinus, Baronius, Bellarminus &c. exiftimant, Liberium poft fuum lapfum, aut libere pontificatu ceffiffe, aut ob fufpicionem hærefis fuiffe depofitum; Felicem vero tunc legitime electum, & adeo mutatum fuiffe, ut non folum focietatem cum Arianis abruperit, fed etiam Conftantium, Urfacium, & Valentem, cum quibus Liberius communicavit, facris interdixerit. Econtra continuatores Bollandi negant, Felicem unquam legitimum Papam fuiffe, quia nec ab Optato Milevitano, qui fedente Liberio vixit, nec a S. Auguftino temporibus Liberii propinquo, nec ab aliis Patribus fæculi IV & V inter veros Pontifices numeratur, quorum filentium videtur præferendum omnibus illis catalogis primum fæculo VI fcriptis, multisque errori-

bus

bus inquinatis, ex quibus patroni affirmativæ sententiæ sua fundamenta desumpserunt. Cæterum Felix II ab Ecclesia tanquam sanctus colitur, & in omnibus martyrologiis 4 Calendas Augusti ponitur memoria Felicis II Papæ, & Martyris.

482 Post Felicem II aliqui fingunt Leonem quemdam Arianæ doctrinæ publicum sectatorem, sed si Felix fuit verus Pontifex, ei de novo successit Liberius, & Liberio Damasus; qui antea Felicis adhuc intrusi presbyter, & a Liberio in gratiam receptus fuisse dicitur. Diffamatus est a schismaticis de adulterio, aliisque criminibus; sed a D. Hieronymo virgo appellatur, omnium antiquorum testimonio laudatus, tanquam vir integerrimus etiam miraculis clarus. Damasum in pontificatu secutus est Siricius, hic ab aliquibus culpatur, quod Ruffinum Origenistam magno Ecclesiæ damno non satis prompte damnaverit, sed post interpretationem infamem librorum Origenis de principiis, in patriam proficiscenti litteras communicatorias concesserit. Verum Siricius nomine ac fama tanti viri, qualis tunc habebatur Ruffinus, deceptus ignorabat, in illo tantum hæreseos venenum latere; alias non minus Ruffinum damnasset, quam Jovinianum presbyterum, aliosque hæreticos. Cæterum Calvinus more suo impudenter mentitur, quando lib. 4 Institutionum scribit, quod Siricius in epistola ad Hispanos conjugium vocaverit pollutionem; non enim agit de conjugio vero, & legitimo, sed de illis, qui post actam pœnitentiam ob illicitam conjunctionem iterum ad eandem redeunt.

483 Sæculo V Innocentius I, quando epist. 2 cap. 12 præcepit, sacram virginem jam velatam,

tam, quæ nupſerit, aut fornicata ſit, non recipi ad pœnitentiam, quamdiu vivit ille, cum quo peccavit, loquitur de virginibus, quæ nolunt ſeparari ab adultero, niſi poſt illius mortem. 2. Epiſt. 18 ad Alexandrum Antiochenum tantum negavit, tunc per Baptiſmum ab Arianis collatum Spiritum ſanctum conferri, ſi baptizatus conſentiat hæreſi; ordines autem ab hæreticis collatos dixit eſſe irritos, non quod Sacramentum non ſint, ſed quod neque gratiam tribuant, neque jus exercendi ordines. 3. Epiſtola ad concilium Milevitanum tantum incidenter, & pro probatione ſui aſſerti de neceſſitate Baptiſmi addit, Evchariſtiam neceſſariam eſſe infantibus, quamquam etiam intelligi poſſit de ſumptione Evchariſtiæ myſtica, de qua S. Auguſtinus tract. 26 in Joan. inquit, quemlibet corporis Chriſti participem fieri, quando in Baptiſmo Chriſti membrum efficitur. 4. Quod ad ſalvandam Romam imminente eidem Alarico, conſueta Ethnicis ſacrificia fieri permiſerit, calumnia eſt. 5. De Papa Zoſimo in tractatu de peccatis diſput. 4 q. 1 diximus, quod profeſſionem fidei a Pelagio ad Innocentium miſſam, & Cæleſtii libellum ſibi oblatum, tantum approbaverit quoad articulos fidei in illis contentos, & in ordine ad auctorum mentem, quam catholicam præſeferebant. Poſtmodum intellecta fraude utrumque tanquam hæreticum condemnavit.

Quod Cæleſtinus I hæreſi Neſtoriana fuerit infectus, commentum eſt; nam omnium primus illam condemnavit, ut patet ex concilio Epheſino. 2. Leo I epiſt. 79 ad Nicetum ſolum docet, quod mulier nubendo alteri non peccet, ſi bona fide exiſtimaverit, priorem virum mortuum eſſe; ſi vero præciſe credat, illum ex captivitate non rediturum, ſup- 484

ponit, mulierem nubendo alteri peccare, & primum matrimonium censendum esse adhuc in possessione propter indissolubilitatem. 3. Gelasius I utriusque speciei sumptionem requirit solum in Sacerdote sacrificante, vel etiam in laicis, sed pro illo tempore, quo Manichæi velo communionis sub una specie panis, hæresim suam tegebant. 4. Anastasius II, si cum Photino Diacono Thessalonicensi communicavit, ideo nihil egit contra fidem, & illum utique ab excommunicatione potuit absolvere sine auctoritate concilii, aliorumque Episcoporum; quod autem Acacium hæreticum voluerit occulte Constantinopolim revocare, falsum est, cum Acacius jam octo annis antea sedente Felice 3tio e vivis excesserit. Imo in epistola ad Anastasium Imperatorem petiit, ut nomen Acacii in Ecclesia taceri juberet. Equidem Gratianus can ita Dominus dist. 19 ait, Anastasium Pontificem in hac epistola errasse, eoquod ratum habuerit Baptismum, & ordines ab Acacio collatos; at in hoc non Anastasius, sed Gratianus erravit.

485 Sæculo VI. Ad Hormisdam Scytæ quidam monachi profecti sunt, contendentes, Chalcedonensis concilii professionem non sufficere, sed præter illam confitendum, Unum de Trinitate crucifixum esse carne; rejecit hanc propositionem Papa non quidem ut falsam, sed ut novam, & ambiguam, quæ ab Eutichianis trahi posset in malam partem, quasi ipse Deus secundum suam naturam in carne passus sit, ut docuerat Petrus Fullo, aliique Theopassitæ. Itaque ab hac controversia pacis studio quiescerent, & Chalcedonensi synodo ac S. Leonis epistolis contenti essent. Verum cum postea alii quidam monachi Acæmetæ dicti ex ze-

zelotypia adversus Scyticos, quibus tanquam Eutichianis acriter adversabantur in oppositum Nestorii errorem inciderent, arguentes: Si unus de Trinitate in carne non est passus: ergo neque natus in carne, ac proinde B. Virgo non est dicenda Deipara. Joannes II convocata Romæ synodo Acæmetas damnavit, simulque declaravit hanc propositionem: Unus de Trinitate in carne passus, catholicam esse, ut patet ex gemina epistola, quarum unam Joannes ad Justinianum Imperatorem, alteram ad Senatores Constantinopolitanos dedit

Vigilius, de quo multa jam dixi a num. 486
396 vivente adhuc Sylverio in papatum intrusus est, si fides Liberato. Quippe Theodora Augusta, hæresi Eutichianæ addicta, ægre ferebat, sectæ suæ Episcopos Anthimum præcipue (alii Authemium scribunt) Constantinopolitanum Sede sua a Romanis Pontificibus fuisse ejectos; ideo Vigilium Agapeti Papæ quondam Diaconum aggreditur promisso pontificatu, ingentique auri vi, si acta concilii Chalcedonensis rescinderet, Eutichianam fidem probaret, & Anthimum restitueret. Promittit omnia Vigilius, & pulso in exilium Sylverio ope Bellisarii Antipapa eligitur, moxque secretis litteris ad Theodoram datis Eutichianam hæresim profitetur, & orthodoxe sentientes anathematizat, Augustam tamen admonens, ut rem silentio tegat, alias Romanos palam a se defecturos. Mortuo postea inter exilii ærumnas Sylverio Vigilius a clero Romano verus Pontifex constituitur, & statim vel contactu, ut Eugenius Lombardus ait, Romanæ cathedræ in alium mutatus Theodoræ promissorum fidem exposcenti negat, a se præstari posse, quod temere promisisset, neminem obligari pactis, quæ turpiter fiunt, & turpi-

us servantur. Ex his quidem nondum ostenditur, Vigilium in animo fuisse Eutichianum, gravissime tamen peccavit avaritia, ambitione, & hæresis simulatione. Postquam autem legitimus Papa factus est, nihil jure in eo reprehenditur, imo licet illas litteras ad Theodoram post adeptum legitime papatum scripsisset, ideo nihil definivisset ex cathedra.

487 Sæculo VII Bonifacius V in epistola ad Eduinum Regem Anglorum non ait, Christum nos redemisse a peccato originali solo, sed hanc vocem Solo malevole addiderunt centuriatores Magdeburgenses. Aliud est, quod Christus præcipue ob peccatum originale mortuus sit. 2. Honorius I lapsus quidem est errore facti, dum nimis facile Sergio credidit, ut vox unius & duplicis operationis supprimeretur. Certum tamen est, quod erroneum Monothelitarum dogma nunquam universæ Ecclesiæ credendum proposuerit; quippe epistolam ad Sergium nunquam jussit promulgari, hinc ejus epistola a synodo VI solum ideo vocatur dogmatica, quia inter alias epistolas dogmaticas fuit recitata, & multa fidei dogmata jam prius definita explicabat, neutiquam vero in eo sensu, quasi in illa novum fidei dogma definierit. Solum itaque continebat præceptum ad externam gubernationem Ecclesiæ pertinens, ideo in sua epistola ait: *Nec Patres, nec Scripturam uspiam meminisse unius, aut duplicis voluntatis in Christo* (videlicet formaliter, & expressis verbis) *neque istam quæstionem pertinere ad Theologos, sed ad Grammaticos*, quatenus nimis credulus putabat litem inter Cyrum, & Sophronium potius esse circa modum loquendi, quam de ipsa re, de qua ab Ecclesia nihil adhuc sit definitum, neque ex-

expedire, ut nunc aliquid definiatur. Plura de hoc Pontifice vide a num. 400.

Sæculo VIII Gregorius III in epiſtola ad 488
Bonifacium ſolum juſſit iterum ordinari Epiſcopos, qui prius ordinati fuerant a non veris Epiſcopis; dum vero permittit viro ducere aliam uxorem, ſi prior propter morbum aliquem debitum conjugale reddere nequeat, loquitur de morbo, qui inducit impotentiam naturalem perpetuam, & quidem antecedentem; talia namque conjugia ex errore contracta cenſentur non eſſe conjugia. Neque obſtat, quod Gregorius addat: *Virum non debere a priore uxore ſubſidium auferre*: per hoc enim non vult declarare, etiam prius matrimonium adhuc valere, ſed ſolum ſuadet, ut maritus uxori ſuſtentationem non deneget. 2 Stephanus II dicitur ad Epiſcopos Gallicanæ Eccleſiæ dediſſe undeviginti reſponſa, a Sirmondo primum edita; At in his non eſt locutus ex cathedra, & reſponſum 11, in quo videtur tanquam validum approbare Baptiſmum in vino collatum, ſuppoſititium eſſe, multis oſtendit Harduinus quæſt. de Baptiſmo in vino; modo enim adſcribitur Stephano II, modo III, modo Siricio, & in ipſo phraſis contextu manu ſcripta variant, per ſe quoque incredibile eſt, Stephanum ignoraſſe, quod de trivio mulieres ſciunt.

Sæculo IX & X Nicolaus I ſicut a Bul- 489
garis tantum fuit interrogatus de miniſtro Baptiſmi, an poſſit eſſe Judæus, & Paganus, ita tantum ad hoc reſpondit, ut Pontifex; quæ vero circa formam addidit, quod nempe etiam valeat Baptiſmus in nomine ſolius Chriſti collatus, ſcripſit ut doctor privatus. 2. De Stephano, & Sergio diximus num. 419. 3. Syl-

vester II opera Ottonis III, cujus præceptor fuerat, ad cathedram apostolicam anno 999 evectus, a Bennone, Clementis III Antipapæ Cardinale, impudentissime infamatur, quod magicis artibus summam dignitatem adeptus sit. Addit Martinus Polonus in Chronico, illum in templo S. crucis Hierosolymitano fuisse a diabolo discerptum. At temerariæ istæ calumniæ satis extinguuntur laudibus, quas in Sylvestrum tanquam virum sanctum conferunt omnes scriptores coævi, item Epitaphium, quod Sergius IV, qui Sylvestro tantum 5 annis fuit posterior, eidem posuit, in quo laudatur ut optimus Pontifex. Forte fabulæ de Magia occasionem dedit, quod Sylvester fuerit peritissimus geometriæ, sæculo autem illo omnium rudissimo a vulgo magus putabatur, quisquis mathematicæ operam dabat.

490 Sæculo XI Gregorius VII adeo hæresim Berengarii non est sectatus, ut in concilio Turonensi tanquam Legatus summi Pontificis ipsemet Berengarium confutaverit, semper communicans cum iis, qui eundem damnarunt. De Sacerdotibus improbis nunquam negavit, quod Sacramenta valide conficiant, sed solum prohibuit, ne quis conjugatorum Sacerdotum Missas audiret, ut hac ratione promptius infame consortium relinquerent. Memoratus calumniator Benno illum teterrimis coloribus depingit: at Bellarminus lib. 4 de summo Pontifice cap. 13 integrum refert catalogum auctorum, qui de hoc Pontifice valde honorifice scripserunt. In martyrologio Romano præcipue laudatur, ut propugnator, & defensor acerrimus ecclesiasticæ libertatis, ob quam causam habuit hostes potentissimos, & ab hæreticis multis calumniis proscinditur. 2. Paschalis II ab Henrico V graves ærumnas perpes-

sus

ſus tandem illi conceſſit, ut regni ſui Epiſcopis, & Abbatibus inveſtituram virgæ, & annuli conferret, eosque in poſſeſſionem mitteret; ſed poſtea in concilio Lateranenſi hoc conceſſum iterum retractavit ſub perpetuo anathemate. Interim Paſchalis nunquam aſſeruit, inveſtituram Epiſcoporum de jure a laicis fieri poſſe, aut debere.

Sæculo XII. Quando Alexander III cap. Cum eſſes de teſtamentis, decernit, eſſe alienum a divina lege, ut in teſtamentis requirantur plures tribus teſtibus, loquitur vel de teſtamentis tantum piis, vel de omnibus quidem, ſed pro iis duntaxat provinciis, quæ Pontifici etiam in temporalibus ſubſunt, adeoque non eſt locutus ut Doctor, ſed ut Legislator. Adde, quod to alienum non raro ſignificet idem, ac præter, & hæc ratio ſolum addita ſit tanquam motivum conſtitutionis. Cæterum an matrimonium de præſenti contractum ante conſummationem poſſit dirimi per aliud matrimonium, nec ipſe, nec ejus anteceſſores definierunt, ſed ſolum declararunt, quid ipſi privatim ſentirent. 2. Idem dicendum de Cæleſtino III, quando docuit, per hæreſim diſſolvi matrimonium. Quamquam enim epiſtola Cæleſtini aliquando fuerit inter decretales, ideo non ſequitur, quod fuerit decretum plane apoſtolicum, cum in decretalibus contineantur multæ opiniones privatæ Pontificum. 3. Innocentius III cap. per venerabilem, qui filii ſint legitimi, non vult obſervari legem Deuteronomii ad litteram, & ſecundum ſe, ſed quatenus continet multas figuras novi teſtamenti, & quamdam legis novæ explicationem. 491

Sæculo XIII, & XIV. Inter Nicolaum IV, & Joannem XXII tria capita controver- 492

ſa erant. 1. An in rebus uſu conſumptibilibus poſſit ſeparari uſus a dominio, quod negat Joannes, melius affirmat Nicolaus, ſed hæc quæſtio ad fidem non pertinet. 2. An paupertas, quæ omne dominium etiam in commune aufert ſolo uſu retento, ſit ſancta, & meritoria? affirmat rurſus Nicolaus, negat Joannes, ſed nihil definit intendens ſolum renunciare dominio rerum, quæ donantur Franciſcanis, quod penes Papam eſſe Nicolaus ait. 3. An Chriſtus dictam paupertatem verbo, & exemplo docuerit? hæc tandem quæſtio ad fidem pertinet, & Nicolaus reſpondit affirmative, non tamen addidit ſemper; Joannes autem tanquam hæreticum damnavit dicere, quod Chriſtus nihil unquam habuerit proprium ſive in particulari, ſive in communi; atqui utraque hæc aſſertio poteſt eſſe vera, ut patet conſideranti, & oſtendi tractatu de Jure & Legibus num. 313. Cæterum Joannes XXII plus æquo etiam inclinavit in ſententiam illorum, qui docuerunt, animas Beatorum non videre Deum ante reſurrectionem; ſed circa hoc nihil adhuc erat clare definitum, nec ipſe aliquid definiit, adeoque ad ſummum erravit materialiter, ut dixi tractatu de ſtatu animæ poſt mortem num. 222. Eodem ſæculo XIV Urbanus VIII in Conſtitutione Unam ſanctam Eccleſiam definivit quidem, quod ſit de fide, Romano Pontifici ſubjectam eſſe omnem humanam creaturam: at non dixit, omnia reliqua in eadem conſtitutione contenta de neceſſitate ſalutis credi debere, ut declaravit Clemens V Extravag. Meruit chariſſimi Filii de privileg.

493 Sæculo XV. Joannes XXIII in concilio Conſtantienſi accuſatus eſt, quod negaverit vitam venturam, & carnis reſurrectionem, & Be-

Benedictus XIII damnatus tanquam hæreticus. At teste Bellarmino lib. cit. cap. 14 pene certum est, quod Joannes ab illa hæresi fuerit immunis; neque enim ullo prolato teste hoc crimen ipsi potuit probari, sed tantum ex rumore vulgi, quod cum videret, Joannem esse vitæ admodum dissolutæ, existimare cœpit, atque etiam dicere, eum non credere vitam alteram; hinc sess. 12 inter damnationis capita non allegatur hæc hæresis. Benedicto XIII solum objectum est, quod non crederet, concilium esse supra Papam, cæterum nec Joannes, nec Benedictus fuit Papa indubitato verus. 2. De Innocentio VIII refert Volaterranus lib. 7 Geogr. quod Norwegis permiserit sine vino consecrare, quia ob nimium frigus ibidem statim acescit. Sed Volaterrani narratio a Benedicto XIV, & communi Theologorum habetur pro fabula, vinum vero in illis regionibus tam certo conservari potest, ut sine illo nequidem velint communicare. Quod si Innocentius ob memoratam difficultatem concessisset, ut consecretur sub una tantum specie, error non esset exploratus, nec universæ Ecclesiæ aliquid hac de re fuit declaratum. 3. Quod Alexander VI in hoc ipso capite voluerit dispensare, refert quidem Bartholomæus Fumus in Summa ex incertis rumoribus, neque dicit, ita dispensatum esse, sed potius declaratum, quod dispensari non possit.

Sæculo XVI Julius II Henrico VIII Britaniæ Regi concessit, ut Catharinam Arthuri fratris sui viduam matrimonio sibi conjungeret, & idem postea Clemens XI concessit Francisco Farnesio, quod aliqui in gratiam Henrici postea reprehenderunt tanquam contrari- 494

um legi divinæ Levit. 28, quæ vetat, fratrem turpitudinem uxoris fratris sui revelare. Verum imprimis hæc lex est judicialis, non naturalis: dein debet intelligi de uxore fratris adhuc superstitis, ut concilietur cum lege Deuteronom. 27, ubi jubetur frater suscitare semen fratris sui. Certe ipse Henricus matrimonium cum Catharina pro legitimo habuit per 20 annos, donec libidine erga Annam Bolenam excæcatus est. Idem matrimonium cum Catharina rursus pro legitimo agnovit Henricus ante mortem, siquidem hæredem regni post Eduardum instituit Mariam ex Catharina susceptam. 2. Quando Hadrianus VI in quartum sententiarum de confirmatione scripsit, plures Pontifices Romanos fuisse hæreticos, adhuc fuit Doctor privatus Lovaniensis, & licet forte eodem gerente pontificatum rursus typis impressa fuerint ejus opera cum iisdem verbis; inde non probatur, quod opinionem illam ratam habuerit; quoties enim libri novis typis excuduntur, auctore nequidem sciente? 3. Quod Sixtina editio Vulgatæ nunquam fuerit plene promulgata, jam alibi adverti. Dein Sixtus V non dicit, suam editionem esse emendatissimam, sed correctam quoad fieri potuit, non quoad sensum, & interpretationem, prout est in se, sed quoad menda librariorum, & prout est in exemplaribus.

QUÆSTIO II.

An Pontifex sit infallibilis in definienda orthodoxia, & heterodoxia propositionum relate ad sensum auctoris?

495 QUod Papa sit infallibilis in quæstionibus juris, satis hucusque ostendimus: nam quæstio

ſtio juris vocatur illa, iu qua agitur de exiſtentia alicujus juris, ſeu præcepti univerſalis, quod ad omnes fideles dirigitur, & circa res neceſſarias ad ſalutem, aut per ſe bonas, vel malas verſatur. Jam vero ſi Pontifex ex cathedra definiens circa ejusmodi res poſſet errare, fidelibus non ſatis eſſet proſpectum de mediis ad ultimum finem neceſſariis, neque lex Eccleſiæ amplius eſſet ſancta. Adde, quod talis error adverſaretur ipſi fidei, quæ omnem virtutem probat, & univerſa vitia condemnat. Ad quæſtiones juris etiam reducuntur conſilia, vel permiſſiones aliquarum actionum; quamvis enim tales actiones neque præceptæ, neque prohibitæ ſint, datur tamen ſuo modo jus præcipiens, ut licitæ vel honeſtæ reputentur, foretque error ſumme noxius, ſi Papa aliquid intrinſece malum definiret eſſe licitum, vel illud omnino ſuaderet. Aliud eſt de judiciis, & præceptis mere particularibus, quæ tantum unam, aut aliquas perſonas privatas concernunt, e. g. ſi Pontifex ex paſſione aliquem excommunicaret; nam licet in hoc caſu ageret ut ſupremus judex, cui ſubditus ſaltem in foro externo obedire tenetur, non tamen ageret ut Doctor definiens, neque ideo tota Eccleſia in errorem circa fidem, & mores induceretur.

Circa quæſtiones facti diſtinguendum; aliqua enim ſunt facta mere hiſtorica, & perſonalia, quæ nec a Deo immediate revelata, nec ulla definitione Eccleſiæ informata ſunt, ſed præciſe concernunt rei geſtæ veritatem, perſonæ alicujus conditionem, crimen, innocentiam, internum animi ſenſum e. g. An hic liber ſit hujus, vel illius auctoris, an auctor hac vel illa mente ſcripſerit. In his non dicimus Pontificem eſſe infallibilem, cum ejus judici- 496

dicium tantum fundetur in experientia sensuum, aut testimoniis hominum fallibilibus, ex quorum suppositione dein procedit ad aliquam pœnam vel gratiam, quin Ecclesiæ aliquid credendum proponat. Alia sunt facta dogmatica, quia versantur circa factum explicite, & clare revelatum e. g. An Christus instituerit Sacramenta? vel saltem ab Ecclesia definitum, ut quando Pontifex decidit, aliquam propositionem esse hæreticam, vel quando aliquem in Sanctorum numerum referendo declarat, quod in statu gratiæ decesserit. Dicuntur hæc facta dogmatica, quia ita sunt connexa cum quæstionibus juris, ut admisso circa factum errore etiam daretur error circa ipsum jus, aut fidem. Nihilominus cum Alexander VII declaravit quinque propositiones Jansenii in sensu ab illo intento ab Innocentio X damnatas fuisse, reclamarunt Jansenistæ, contendentes hanc esse quæstionem meri facti, in qua Pontifex non sit infallibilis. Inde orta vel certe celebrior facta est præsens controversia, ad quam rite intelligendam

497 Noto 1. Propositionem orthodoxam dicimus, quæ est de fide, heterodoxam, seu hæreticam, quæ est contra fidem. 2. Sensus propositionum duplex est, unus internus, & personalis, quem auctor tunc in mente habuit, quando propositionem protulit: alter externus, & litteralis, quem verba juxta communem, & obviam acceptationem habere solent. De sensu interno, & personali hic non est quæstio; utrum enim revera auctor acceperit verba in eo sensu, quem præseferunt, vel in alio, quia e. g. voluit decipere, fatemur esse quæstionem meri facti, in qua Ecclesia, quæ de internis, & occultis non judicat, nihil solet definire, sicut non definit, quod auctor habuerit

rit intentionem illa verba proferendi; hoc enim ex ipsis verbis satis innotescit, nisi velis auctorem dormientem scripsisse, quod Jansenistæ certe de suo Jansenio non dicunt. 3. Sensus externus, & litteralis potest considerari juxta propositionem vel præcise separatim, & in se spectatam, vel relate ad totam mentem, seu doctrinam auctoris. Si primo modo consideretur, ipsi Jansenistæ rursus non negant, Pontificem saltem cum consensu Ecclesiæ in censuranda tali propositione esse infallibilem: alias immediate erraret circa ipsum dogma, & fidem. 4. Status itaque quæstionis est, an Pontifex infallibiliter possit definire, quod sensus alicujus propositionis, prout ille eruitur ex tota doctrina vel libro alicujus auctoris, sit orthodoxus, aut heterodoxus. An sensus sit orthodoxus, vel heterodoxus ad dogma pertinet, alterum aliquo modo ad factum refertur, quod tamen non pauci etiam de jure esse contendunt.

Dicendum. Pontifex ex cathedra loquens 498
est infallibilis in censuranda ortho- & heterodoxia propositionum etiam relate ad mentem auctoris. Prob. 1. Pontifex ex cathedra loquens est infallibilis in illis rebus, quæ ad conservandam veram fidem, & publicam fidelium salutem sunt necessariæ; atqui ad ista necessarium est, ut infallibili judicio fideles possint discernere, an doctrina in libro alicujus auctoris contenta sit orthodoxa, vel heterodoxa: ergo Maj. patet ex quæst. præcedente. Minor ex eo, quia si Pontifex doctrinam orthodoxam in aliquo libro contentam reprobaret, vel heterodoxam probaret, non solum ipse circa dogma, & fidem turpissime erraret, sed etiam fideles manifesto periculo exponerentur verum dogma rejiciendi, ut erroneum,

&

& viciſſim erroneum recipiendi ut verum, nec amplius poſſent noxia paſcua a ſalutaribus, & venenum a remedio diſtinguere, ſicuti contingeret, ſi Pontifex non poſſet infallibiliter declarare authentitiam & ſenſum S. Scripturæ, aut ſymbolum fidei. Conf. Pontifex infallibiliter poteſt diſcernere ortho - & heterodoxiam propoſitionum ſecundum ſe, ergo etiam prout continentur in libro, & ex toto illius contextu eruuntur; cum enim liber nihil aliud ſit, quam multarum propoſitionum congeries, & continuata ſeries, nihil intereſt, ſive propoſitiones ſeorſim ſpectentur, ſive prout in libro continentur, ſed ſicut Pontifex non poteſt errare circa propoſitionem ſive textum, ita etiam non poteſt errare circa librum, ſive contextum.

499 Probatur 2 ex praxi, & uſu Eccleſiæ. Sic concilium Nicænum I anathema dicit hæreſi Arianæ non tantum vage, ſed prout in libro Arii, quem Thaliam inſcripſerat, continebatur; judicavit enim ipſum librum eſſe hæreticum, quamvis Arius proteſtaretur, ſe vocem conſubſtantialis tantum rejicere in perverſo ſenſu Sabellii, aliorumque hæreticorum; hinc Euſebio Epiſcopo Nicomedienſi, & Theogni Nicæno non profuit, quod dogmata concilii reciperent, ſed quia nihilominus putarunt, ipſam Arii doctrinam non eſſe hæreticam, non antea ab exilio revocati, & ad communionem admiſſi fuerunt, quam dum ipſi Ario anathema dixerunt. In concilio Epheſino I act. 1 Patres conclamarunt: *Omnes Neſtorii epiſtolam, & dogmata anathematizamus: impiam fidem Neſtorii anathematizamus, quiscunque hunc non anathematizat, anathema ſit.* In ſynodo V, quando tria capitula damnata ſunt, non fuit quæſtio, an proſcribi debeat erroneus ſen-

ſenſus Neſtorii, id enim jam deciſum erat, ſed utrum erroneus ille ſenſus contineretur in ſcriptis Theodori, Theodoreti, & Ibæ. In concilio Conſtantienſi ab eo, qui Eccleſiæ conjungi vellet, expreſſe requirebatur, utrum credat, & aſſerat, Wicleffum, Huſs, & Hieronymum Pragenſem eſſe hæreticos, & libros, ac doctrinam eorum eſſe perverſos. Conf. Quia ipſi Janſeniſtæ fatentur, quod Pontifex, ſive Eccleſia absque ullo erroris periculo poſſit approbare alicujus libri doctrinam, ut veram, & orthodoxam, ſuper hoc namque judicium fundant ſuam illam propoſitionem ab Alexandro VII proſcriptam: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere non reſpiciendo ad ullam Pontificis bullam.*

Objectiones.

OBj. I. Infallibilitas Papæ circa ortho- & heterodoxiam propoſitionum neque eſt revelata in Scriptura, neque definita ab Eccleſia aut Pontifice: ergo non eſt certa, multo minus de fide. Conf. Hæc infallibilitas a multis impugnatur: ergo deberet expreſſe definiri, ſicut in Tridentino ſeſſ. 13 in proemio definita eſt infallibilitas concilii circa fidei dogmata. Reſp. Diſt. Ant. infallibilitas iſta non eſt revelata explicite, neque definita reflexe, Tranſ. Ant. non eſt revelata implicite, neque definita exercite, & ipſo facto, Neg. Ant. & Conſ. Infallibilitas Pontificis & Eccleſiæ circa ortho- & heterodoxiam propoſitionum implicite revelata eſt in omnibus illis locis, ex quibus probavimus, Pontificem, & Eccleſiam circa res ad fidem pertinentes errare non poſſe. Hoc ipſum Eccleſia ſatis definivit per continuam 500

nuam traditionem, praxim, & usum; neque enim ad hoc, ut dogma aliquod possit credi, semper requiritur expressa definitio, sed sufficit, si ipso facto, & usu fidelibus ad credendum proponatur. Sic juxta ipsos Adversarios Ecclesia est infallibilis in definiendis fidei dogmatis, licet hoc nullibi expresse definierit. Nam ad Conf. Conc. Ant. de Acatholicis intellectum, Neg. Conf. Tridentinum ibi solum ait, quod Ecclesia, ejusque Pastores nunquam in fide erraverint; ex quo primum per discursum infertur, quod sint infallibiles circa dogmata statuenda, idque non magis quam circa textus dogmaticos censurandos. Imo infallibilitas circa propositiones dogmaticas longe expressius videtur definita a synodo V, quando in proemio ad suos canones declarat: Ecclesiæ a Deo primum per Oseam Prophetam, postea ab ipso Christo promissam esse infallibilitatem, munusque impositum recte docendi fideles, *Ad quod,* ait, *necessarium esse putavimus capitulis comprehendere, & prædicationem veritatis, & hæreticorum, nec non eorum impietatis condemnationem.*

501 Dices 1. Non obstante praxi Ecclesiæ Doctores catholici defendunt, illam in judicando sensu librorum errare posse. Sic Bellarm. lib. 4 de Rom. Pontif. cap. 11 approbat opinionem Joannis a Turrecremata, videlicet Patres synodi VI damnasse Honorium, sed ex falsa informatione, idque tuto dici posse; neque concilium tantum loquitur de sensu personali, cum eodem modo consideraverit epistolam Honorii & Sergii. Conf. Ex praxi Ecclesiæ solum probatur, quod circa propositiones dogmaticas concilia generalia sint infallibilia: ergo nihil infertur pro Pontifice. Resp. Dist. Ant. Defendunt Ecclesiam posse errare in judicando

cando ſenſu perſonali, Conc. Ant. in litterali, Subdiſt. defendunt hoc etiam nunc, poſtquam hæc materia ſatis eſt expenſa, Neg. Ant. defenderunt olim, Tranſ. Ant. Bellarminus ſolum admittit, tuto dici poſſe, quod concilium erraverit ſeparatim a Pontifice; nam ut ipſemet advertit, Patres ſynodi VI in interpretanda epiſtola Honorii non ſunt ſecuti inſtructionem Agathonis Papæ, qui epiſtolas Honorii ſufficienter declaravit orthodoxas. Ad Conf. Imprimis Neg. Ant. cujus falſitas conſtat ex num. 431, & decreto Alexandri VII circa 5 propoſitiones Janſenii. Dein Neg. Conſ. Quia ipſa concilia infallibilitatem ſuam habent a Pontifice, & Pontifex non minus extra, quam in concilio juxta noſtram doctrinam eſt infallibilis, quamquam hic contra Janſeniſtas ab hoc præſcindamus, contenti, ſi nobis concedant, Pontificem ſaltem cum conſenſu Eccleſiæ eſſe infallibilem.

Dices 2. Multi Catholici defendunt ſcripta Origenis, & Theodoreti, utut ab Eccleſia jam ſint damnata, quod autem ſcripta Neſtorii in ſynodo III damnata ſint, mirum non eſt, quia error erat tam manifeſtus, ut non niſi demens negare potuiſſet, in illis hæreſim contineri. Conf. Juxta nos Pontifex etiam deberet eſſe infallibilis circa regulas grammaticæ; hoc falſum, quia non raro admittit barbariſmos, ſolœciſmos aliaque ejusmodi errata. Reſp. Neg. Ant. Nullus Catholicorum defendit Origenem immunem ab omni prorſus errore, licet aliqui ſalva Eccleſiæ auctoritate dicant, ejus ſcripta ab hæreticis eſſe corrupta, eum non ſemper aſſertive, ſed dubitanter, aut ex aliorum mente eſſe locutum, non omnino conſtare de illius errore perſonali, & pertinacia. Pariter aliqui defendunt Theodoretum quoad 502

factum solum personale, ut in Sirmondo, & Petavio ostendit Tournelius de Eccles. q. 5 a 3 part. 3, simul tamen addens, Christianum Lupum hac in re vix posse a contradictione vindicari. Nestorius errores suos tam miris artificiis, & dolis involvit, ut quidam etiam doctissimi Episcopi occultato errore ab eo sint decepti, & inter hos Theodoretus, qui ideo etiam post editam professionem fidei à Concilio Chalcedonensi non fuit in communionem admissus, nisi prius diserte diceret anathema Nestorio, & dogmatibus ejus. Ad Conf. Dist. Maj. Deberet esse infallibilis circa regulas grammaticæ, in quantum istæ sunt necessariæ ad propositiones dogmaticas rite exponendas, Conc. Maj. quoad alias lites grammaticales; Neg. Maj. & sic Dist. min. Cons.

503 Obj. 2. An propositio aliqua sit orthodoxa, vel heterodoxa ad mentem auctoris, est quæstio facti; quæritur enim, an talis doctrina ex tota libri serie possit colligi; atqui Papa in quæstionibus facti non est infallibilis: ergo. Conf. Ecclesia non est infallibilis, nisi circa facta a Deo revelata; atqui quod hæc vel illa doctrina possit erui ex hoc libro, non est revelatum: ergo. Resp. Dist. Maj. est quæstio facti puri, Neg. Maj. facti dogmatici, & cum quæstione juris connexi, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf. Quæstio hæc: An ex libro e. g. Nestorii, Jansenii possit erui doctrina heterodoxa, est ad minimum connexa cum ista: An doctrina in libro Nestorii, Jansenii contenta sit hæretica? hæc autem ad ipsum jus, & dogma pertinet, & si Pontifex posset errare in priore, etiam posset in posteriore. Imo multi existimant, etiam primam quæstionem esse de jure. Nam ideo quæstio de ortho- vel heterodoxia alicujus textus sero-

seorsim spectati est de jure, quia quæritur, an doctrina, textu illo expressa, sit conformis verbo Dei; atqui etiam quando textus accipitur relate ad totum librum, quæritur, an doctrina expressa per contextum sit conformis verbo Dei: ergo. Ad Conf. Neg. Maj. Quippe apud omnes orthodoxos in confesso est, Ecclesiam infallibiliter posse declarare, quod e. g. synodus Nicæna fuerit œcumenica, quod definierit, Filium esse consubstantialem Patri, quod Augustinus, Ambrosius sint veri testes traditionis apostolicæ, & in suis libris hoc vel illud dogma expresserint &c., tametsi talia facta juxta adversarios non sint revelata, de quo videbimus inferius.

Dices 1. Ecclesia suum judicium de sensu propositionum, & librorum jam sæpe mutavit, & retractavit: ergo non censet illud esse infallibile. Ant. Prob. Hæc propositio: *Una est in Christo natura incarnata*, in S. Cyrillo fuit approbata, in Eutichianis rejecta; Ista: *B. Virgo est mater Christi*, damnata est in Nestorio, nunc autem a tota Ecclesia probatur. Conf. Epistola Ibæ in concilio Chalcedonensi fuit approbata tanquam catholica: synodus V illam damnavit ut Nestorianam: ergo. Resp. Neg. Ant. Ecclesia nunquam probavit, & postea rejecit propositionem dogmaticam uno eodemque sensu acceptam, licet nonnunquam vocabulum aliquod, vel propositionem æquivocam damnet, & approbet, pro diverso illius sensu, & relate ad mentem auctorum. Sic Cyrillus dixit unam naturam incarnatam, quatenus sola natura divina, ut est in verbo, assumpsit carnem; Eutichiani autem volunt per eam indicare, quod in Christo detur unica natura. Nestorius B. Virginem dixit esse Matrem Christi ut hominis tantum, Ecclesia dicit

illam esse Matrem Christi ut hominis, & Dei. Ad Conf. De epistola Ibæ jam dixi num. 398, hic addo, quod juxta testimonium Pelagii II in epistola ad Episcopos Istriæ a Leone tantum sex primæ actiones concilii Chalcedonensis sunt approbatæ, de Iba autem actum est actione 10, & si Legati Pontificis ejus epistolam approbassent, id non fecissent ex instructione ipsius Pontificis. Imo Patres concilii V aperte dicunt, epistolam Ibæ a Synodo Chalcedonensi nunquam fuisse approbatam.

505 Dices 2. Pelagius II epist. 2 ad Episcopos Istriæ ait: *Tria capitula esse extra fidem*, eaque vocat *Privata negotia*, *Quæstiones superfluas*, & *Iterum in judicium revocabiles*. Idem confirmat Gregorius Magnus in epist. ad Episcopos Hiberniæ, ubi inquit, *In quinta Synodo nihil esse gestum de fide, sed solummodo de personis:* Ergo judicium de orthodoxia librorum non pertinet ad fidem, sed est quæstio meri facti. Conf. Ecclesia approbat Breviarium Romanum, & tamen in illo non pauci errores ab eruditis deteguntur. Ergo. Resp. Dist. Ant. ait, tria Capitula esse extra fidem, in quantum pertinent ad sensum personalem Auctorum, vel nullam novam revelationem, aut hæresis damnationem continent, Conc. Ant. quasi cum veritate alias revelata, & definitionibus circa fidem factis nullam habeant connexionem, Neg. Ant. & Conf. Pelagius tria capitula vocat negotia privata, quatenus agebatur de eo, utrum scripta Ibæ, & Theodoreti expresso illorum nomine damnanda, & mortuo jam Theodoro dicendum anathema; vocat illa superfluas quæstiones, quia res ab Ecclesia tunc jam fuerat definita, & ipsi Episcopi Istriæ admittebant infallibilitatem Ecclesiæ in censuranda ortho-

doxia propositionum; dicit illas quæstiones post concilium Chalcedonense iterum in judicium revocari potuisse, tum quia nihil circa tria capitula definierat, tum quia quoad hoc non fuit a Leone approbatum. Porro cum certum sit, quod in synodo V aliquid de fide pronuntiatum sit, S. Gregorius solum vult nihil tale esse actum, per quod fides sit convulsa, vel, ut inquit, *Aliquatenus immutata*. Ad Conf. Ecclesia Breviarium solum approbat, quod nihil contineat contra fidem, & bonos mores; de veritate autem factorum, quæ magnam partem sunt, pure historica præscindit.

Obj. 3. Ex una parte Pontifex non est 506
infallibilis circa sensum Doctorum, qui libros componunt, ex altera parte distinctio sensus personalis, & litteralis est mere arbitraria, & conficta: ergo non potest censurare propositiones relate ad mentem auctorum. Conf. In exemplis probatione 2 a nobis adductis sensus personalis, & litteralis, textus, & auctores sine discrimine damnantur: ergo. Resp. Dist. Ant. quoad 1mum membrum, non est infallibilis circa sensum Doctorum personalem, Conc. Ant. litteralem, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & simpliciter quoad alterum. Sensus personalis est mere internus, & ex errore circa personam non sequitur error in fide, sed tantum materialiter injusta hominis privati condemnatio; hinc neutiquam arbitraria est distinctio inter sensum personalem, & litteralem. Certo namque fieri potest, & quandoque fit, ut quis habeat in mente sensum orthodoxum, & tamen in scribendo utatur verbis heterodoxum exprimentibus. Sic quædam propositiones damnatæ reperiuntur in libris etiam SS. Patrum, quin illos scripserint mente hæretica, aut illæ propositiones relate ad

mentem Patrum damnatæ ſint. Ad Conf. Diſt. Ant. Hæc fiunt æqualiter, & æquali infallibilitate, Neg. Ant. non æque infallibiliter, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Eccleſia quandoque damnat librum, & non auctorem, ut patet in Iba, & Theodoreto, quandoque ſimul damnat ipſum auctorem, idque juſte, quando notorie conſtat, illum eſſe auctorem doctrinæ hæreticæ, eamque pertinaciter contra judicium Eccleſiæ defendere.

507 Dices. Si Judicium Eccleſiæ circa ſenſum litteralem eſſet infallibile, deberemus illi firmiſſime adhærere, & ipſa mente aſſentiri; hoc non poteſt dici; nam Clemens XI ad pacem Eccleſiæ admiſit quatuor Epiſcopos Galliæ, qui in damnandis 5 propoſitionibus Janſenii diſtinxerunt inter quæſtionem juris, & facti, & illi quidem obſequium mentis, huic vero ſolum religioſum ſilentium deberi contendebant, Conf. Innocentius XII in edito brevi declaravit, ſat eſſe, ſi damnentur illæ quinque propoſitiones in ſenſu obvio, & ſileatur de altera quæſtione, an ſenſus obvius ſit ſenſus Janſenii: ergo. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Clemens XI conſtitutione: vineam Domini. apertis terminis damnat hoc effugium Janſeniſtarum. Vel enim ille, qui interius definitioni Pontificis contradicit, exterius eidem ſubſcribit vel non? ſi non, eſt poſitive inobediens, ſi ita, ipſo facto mentitur; hinc Eccleſia ſæpe reprehendit ſubſcriptores externos ſine interna mentis adhæſione, ut ex Patribus, & conciliis oſtendit Tournelius, ſilentium iſtud religioſum vocans injurioſum Eccleſiæ, plenumque ſuperbiæ, & temeritatis, ac aperte favens rebellioni ſubditorum. Itaque Clemens XI illos Epiſcopos Galliæ ad pacem admiſit, quia exiſtimavit, illos ſincere damnationi propoſitionum ſub-

ſubſcripſiſſe, & contrarium prudenter non potuit ſuſpicari, ut laudatus Tournelius probat per omnes circumſtantias. Ad Conf. Neg. Ant. Innocentius ſolum quibusdam Epiſcopis Belgii prohibuit, ne formulæ Alexandri VII addant: *Senſum obvium propoſitionum eſſe ſenſum Janſenii*, quia ad ipſos non pertinebat formulam Pontificis mutare. Videantur dicta in tract. de gratia a num. 504.

Obj. 4. Vel aſſenſus, quo debemus credere definitionibus Pontificis e. g. propoſitiones Janſenii eſſe hæreticas in ſenſu ab ipſo intento, eſſet actus fidei divinæ, vel ſolum fidei humanæ? Non primum, quia nullibi eſt revelatum, propoſitiones in ſenſu a Janſenio intento eſſe hæreticas: non ſecundum, quia fides humana eſt fallibilis, adeoque improportionata definitioni infallibili Eccleſiæ. Reſp. quoad hoc punctum non convenire inter ipſos Catholicos. 1. Aliqui negant Majorem, dicuntque hanc fidem nec eſſe ſtricte divinam, nec mere humanam, ſed quaſi mediam, quam eccleſiaſticam vocant. Quia talis aſſenſus fidei nititur auctoritate Eccleſiæ definientis, atque ita tendit: credo propoſitiones Janſenii &c. eſſe hæreticas, quia Eccleſia, quæ in definiendis factis dogmaticis errare nequit, ita definivit. Alii vero 2. negant minorem quoad 1mum membrum cum ratione addita, quia factum dogmaticum revelatum eſt ſaltem virtualiter, & implicite. Virtualiter, quatenus cum infallibilitate Eccleſiæ in rebus fidei tam neceſſariam habet connexionem, ut hæc ſine illa, aut omnino non, aut certe non ita dari poſſit, prout bonum fidelium exigit. Quod vero factum dogmaticum ſit etiam revelatum implicite, ſic probant. Quidquid Eccleſia definit, & omnibus 508

credendum proponit, eſt infallibiliter verum; atqui Eccleſia definit, & omnibus ad credendum proponit heterodoxiam propoſitionum Janſenii in ſenſu ab ipſo intento: ergo. In quo diſcurſu Maj. eſt explicite revelata, minor ad minimum ſtricte moraliter certa: ergo concluſio de fide. Cæterum quæro ex Adverſariis, qua fide credant, in libris S. Auguſtini contineri catholicam de gratia doctrinam? Illorum reſponſio æqualiter nobis ſerviet.

509 Dices. Ex una parte Eccleſia non accipit novas revelationes: ex altera parte nullum habet ſufficiens fundamentum, aut medium, ut ortho- aut hederodoxiam propoſitionum ad ſenſum auctoris credendam proponat: ergo. Conf. Heterodoxia libri Janſenii ante definitionem Eccleſiæ non potuit credi fide divina: ergo neque poſt illam; alias eſſet novus articulus fidei, & qui illam negaret, hæreticus. Reſp. Conc. Ant. quoad 1mum membrum, Neg. quoad 2dum. Quoniam quæſtio facti dogmatici cum quæſtione juris ſaltem eſt connexa, Eccleſiæ ſufficiens fundamentum illam definiendi ſuppeditant Scriptura, & traditiones, quæ habentur de quæſtione juris, ſeu propoſitionum, & centextus ſecundum ſe; medium autem, ne Eccleſia poſſit falli, eſt aſſiſtentia Spiritus ſancti, qui illam in reperienda veritate ſpecialiter adjuvat, non quidem per modum novæ relevationis, ſed per viam directionis. Ad Conf. Diſt. Ant. Heterodoxia hæc non potuit credi ante definitionem Eccleſiæ ex defectu revelationis, Neg. Ant. ex defectu applicationis, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Veritas de heterodoxia libri Janſenii implicite ſemper fuit contenta in revelatione univerſali de infallibilitate Eccleſiæ, ſed per ipſam definitionem Eccleſiæ nobis primum applicatur, quin ideo de-

tur novus articulus fidei ſimpliciter talis, ſed tantum ſecundum quid, in quantum revelatio univerſalis cum majore extenſione nobis applicatur. Hinc admittit Simonet, illum fore hæreticum, qui negaret librum Janſenii eſſe heterodoxum; alias Eccleſia fideles non ita præſtito etiam juramento adigeret, ut illum tanquam hæreticum non ore ſolum, ſed etiam corde rejiciat, ac damnet, quemadmodum in Bulla: Vineam Domini: ait Clemens XI. At hoc negabunt illi auctores, qui fidem ſolum eccleſiaſticam admittunt. Vid. num. 117.

Quæres. An Papa etiam ſit infallibilis in 510
cenſuris propoſitionum hæreſi inferioribus e. g. quando propoſitionem alicujus auctoris damnat ut erroneam, temerariam &c. Reſp. Affirmative. Rationes ferme ſunt eædem, quibus infallibilitatem in cenſurandis propoſitionibus hæreticis ſtabilivimus. Quippe Pontifex etiam, quando fert cenſuras hæreſi inferiores, agit ut Doctor, & Paſtor totius Eccleſiæ, conſequenter ipſo errante tota Eccleſia induceretur in errorem circa rem magni momenti, cum tales propoſitiones verſentur circa dogmata, Sacramentorum adminiſtrationem, aut mores; hinc textus, quibus infallibilitas Pontifici in Scriptura promittitur, loquuntur univerſaliter, atque hæc infallibilitas multis videtur eſſe de fide; alii vero docent illam ita eſſe certam, ut oppoſitum ſit erroneum, vel certe errori proximum; quia licet Pontifex cenſurando talem propoſitionem loquatur ex cathedra, non tamen vult cenſuram ſuam proponere, ut fide divina credendam, cum propoſitionem non damnet ut hæreticam, ſed mitiore cenſura afficiat. Forte iſti auctores aliquo modo combinari poſſent dicendo, ipſam quidem infallibilitatem Pon-

tificis esse de fide, non item quod propositio sit revera talis, qualis per censuram pronuntiatur. Porro licet quandoque eadem certitudine nobis constet, propositionem esse falsam, qua nobis constat, illam lata censura esse dignam, sut si propositio prohibetur tanquam erronea: id tamen non semper videtur procedere. Sic licet propositio sit male sonans, piarum aurium offensiva &c., ex hoc nondum sequitur, quod sit falsa. Imo etiam quando propositio censuratur tanquam temeraria, nondum hoc ipso definitur ejus falsitas, quamquam censura Pontificis videatur innuere, talem propositionem non tantum de facto gravi fundamento destitui, sed revera, & a parte rei illo carere; hinc etiam deinceps semper pro temeraria habendam. Simile quid de propositione scandalosa docet Cardenas dissert. 1 cap. 10 art. 2.

QUÆSTIO III.

An a definitione Pontificis in rebus fidei & morum possit legitime appellari ad concilium generale?

511 Jansenistæ, postquam omnes alias Augustinum Cornelii Jansenii defendendi vias per Alexandri VII, & Clementis XI constitutiones sibi præclusas esse vident, ultimum effugium quærunt in appellatione ad concilium generale. Hanc appellationem legitime fieri posse contendunt etiam recentiores illi Galli, qui post Gersonem, & Aliacensem defendunt, concilium generale esse supra Pontificem, hoc tamen discrimine, quod Galli catholici solum loquantur de definitione Pontificis spectata sine consensu Ecclesiæ, Jansenistæ autem huic appellationi pertinaciter adhuc insistant, postquam decreta pon-

pontificia a toto moraliter orbe christiano acceptata fuerunt. Equidem etiam Universitas Parisiensis anno 1387 docuisse dicitur, in causis fidei licite appellari posse a Papa ad concilium, utrum vero id intellexerit de Papa indubio, merito dubitatur. Sane Josephus Gibalinus lib. 5 de jure canonico cap. 3 ostendit post illa tempora a Sorbonicis longe aliud traditum fuisse, & Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis ait, sententiam, quam Parisiensem vocant, pertinere ad classem earum, quæ tolerantur, cum eidem repugnent omnes Christianitatis provinciæ. Quin ipsi præsules Gallicani suam ad Innocentium X epistolam in causa Jansenii scriptam ita inchoant: *Majores Ecclesiæ causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis mos est*, & post decisionem Innocentio grates agunt inter alia dicentes: *Sanctitas vestra per Petri soliditatem, contusis veritatis hostium animis, securos ab omni externa perturbatione triumphos aget.*

Dicendum. A definitionibus Pontificiis in rebus fidei, & morum non potest appellari ad concilium generale. Prob. 1. Appellatio non potest fieri, nisi a judice inferiore ad superiorem; atqui Pontifex non est inferior, sed superior concilio generali, ut probavi disputatione præcedente, & eruitur ex ipsis conciliis. Nam in Florentino sess. ult. definitum est, quod Pontifex in universum orbem teneat primatum, & sit Vicarius Christi, totiusque Ecclesiæ caput, cui tradita sit plena potestas gubernandi universam Ecclesiam. In Lateranensi V sess. 11, quod habeat auctoritatem super omnia concilia. In Constantiensi sess. 8 damnatus est articulus 37 Wiclefi, in quo asseritur, Papam non esse immediatum Vicarium Christi: ergo sicut a Christo non potest appellari ad concilium, sic ne- 512

neque a Pontifice Christi Vicario, cum Vicarius idem habeat tribunal cum principali juxta cap. Non putamus de consuetud. in 6 cap. Romana Ecclesia de officio Vicarii eodem, & cap. Romana de appellationibus in 6. Conf. Ex praxi Ecclesiæ constat, quod Patres sanctissimi ex diversis partibus appellaverint ad Sedem Romanam: etiam postquam illorum causæ in conciliis fuerunt judicatæ, ut Athanasius, Chrysostomus, Cyrillus &c. Econtra nullus sanctorum legitur a sententia Pontificis provocasse ad concilium, nec ullum habetur exemplum, quod propter unius, aut plurium appellationem coactum sit concilium universale, aut causa appellantium in illo suscepta.

513 Probatur 2. Appellatio frivola, frustranea, & perniciosa est omni jure naturali, & positivo nulla, ut habetur can. cum speciali 61 de appellationibus; atqui talis est appellatio a Pontifice ad concilium. Nam 1 sententia Pontificis est infallibilis, & nunquam potest sperari ejus mutatio. 2. Solum servit ad lites trahendas, & appellantes etiam concilio tam parum acquiescerent, quam sententiæ Pontificis, ut apparet in Lutheranis, Calvinistis, aliisque hæreticis. 3. Sic daretur occasio captandi tempus ad spargendum errorem cum pernicie innumerorum fidelium, eoquod concilia generalia difficillime cogi possint, ut jam alibi adverti, & manifestum exemplum habetur in concilio Tridentino, quod non nisi pluribus post primam indictionem annis potuit inchoari, & postea non semel abrumpi debuit; hinc ejusmodi appellationes merito, & clare reprobantur a SS. canonibus & Pontificibus. Sic Gelasius Papa can. Isti sunt canones, & can. cuncta caus. 9 q. 3 testatur, per sacros ca-

canones ſtatutum aſſe, ut omnes appellationes ad examen Sedis Apoſtolicæ referantur; ab ipſa vero non eſſe appellandum. Pius II, poſtquam in concilio Mantuano omnes Patres unanimiter dixerunt ejusmodi appellantes eſſe damnandos tanquam fautores hæreſis, & reos læſæ Majeſtatis, edita bulla appellationes damnavit tanquam inanes, erroneas, deteſtabiles, & peſtiferas. Idem in alia bulla fecit Sixtus V, quæ teſte Reynaldo ad annum 1483 in Gallia juſſu Regis Ludovici promulgata eſt. Denique in Bulla cœnæ, ita appellantes ſingulis annis anathemate feriuntur.

Objectiones.

OBj. 1. In concilio Florentino ſolum definita eſt auctoritas Papæ ſupra omnes Eccleſias particulares. Nam 1. Decretum unionis factum eſt approbante concilio; Græci autem non agnoſcebant auctoritatem Pontificis ſupra omnes Eccleſias. 2. Ea ſolum in decreto unionis definita ſunt, de quibus inter Latinos conſtabat, non autem, quæ inter illos fuerunt controverſa, præſertim cum plerique Epiſcopi præſentes adhuc prioribus decretis Baſileenſibus adhærerent. 3. Hinc ſynodus Tridentina in ſuis decretis, & profeſſione fidei conſulto omiſit ea, quæ ſupremam in omnes collective poteſtatem denotant, & ſolum petiit, ut confiteamur, Eccleſiam Romanam eſſe *Omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram, & Romanum Pontificem eſſe beati Petri ſucceſſorem, ac Chriſti Vicarium.* Reſp. Neg. Ant. Sed Florentinum expreſſe dicit, quod Romanus Pontifex ſit caput totius Eccleſiæ, & habeat plenam poteſtatem gubernandi univerſam Eccleſiam, quam licet initio 514

no-

noluerint agnoſcere Græci, tamen etiam ipſi poſtea in decretum unionis conſenſerunt. 2. Quamvis Florentinum, forte ob reluctantes quosdam Latinos, rem non ita clare deciderit, ut ideo mereantur dici hæretici, tamen implicite ſuam mentem ſatis manifeſtavit; quod vero plerique Epiſcopi præſentes adhuc adhæſerint decretis Baſileenſibus, gratis dicitur, cum & ipſi in decretum unionis conſenſerint. 3. Tridentinum ſatis aperte loquitur, dum Papam vocat Vicarium Chriſti, & ſucceſſorem D. Petri; nam & Chriſtus, & D. Petrus poteſtatem in univerſam Eccleſiam habuit, Papa vero D. Petro quoad omnia ſuccedit, quæ ad Vicariatum Chriſti pertinent. Vid. num. 101.

515 Dices 1. Quando Leo X in concilio Lateranenſi Papæ tribuit poteſtatem ſuper omnia concilia, hoc non docet ex profeſſo, ſed præciſe incidenter, ut reddat rationem, quare ſanctionem Pragmaticam a concilio Bituricenſi, & Baſileenſi factam reſcindat. 2. In illa Bulla, *Paſtor æternus* ſolum vult docere, quod Pontifex habeat poteſtatem indicendi, & transferendi concilia, quin hæc quæſtio a Patribus fuerit diſcuſſa. 3. In concilio Baſileenſi ſolum reprobat, quæ fuerunt acta poſt ſeſſionem 25, quando concilium jam fuerat Ferrariam translatum. Reſp. Ad 1. Quamvis Leo X hanc poteſtatem abſolute definierit, de ea tamen non loquitur mere incidenter, ſed illam ex profeſſo probat adductis exemplis plurium conciliorum, & ipſam ſanctionem Pragmaticam rejiciendo oſtendit Papam eſſe ſupra concilium. Ad 2. Pontificem non ſolum loqui de indicendis, aut diſſolvendis conciliis, patet ex bulla, ait enim: *Quod concilia Pontifici reverenter, & humiliter in ſta-*

ſtatuendis ſuis decretis obedierint, quod *ſine conſenſu Pontificis ſint invalida &c.*; Dum vero Patres hanc Bullam ſine diſcuſſione acceptarunt, rurſus ipſo facto declararunt, quod agnoſcant infallibilem auctoritatem Pontificis, præſertim cum initio Bullæ expreſſe præfigatur, ſacro approbante concilio. Ad 3. Dum Pontifex ait: *Ea omnia, quæ a conciliabulo vel potius conventiculo Baſileenſi præſertim poſt translationem acta ſunt, nullum robur habere*, ſatis indicat, ſe reprobare totum concilium, maxime tamen ultimas illius ſeſſiones.

Obj. 2. Concilium Milevitanum can. 22 prohibuit, nequis provocet ab Epiſcopis niſi ad Africana concilia, vel ad Primates provinciarum, ita ut ille, qui ad transmarina appellaverit, a communione excludatur; ut refertur can. Placuit cauſ. 2 q. 6: ergo prohibet appellationem ad Pontificem. 2. Concilium Carthaginenſe VI ſub Bonifacio Papa graviter conqueritur de appellationibus apud Papam interpoſitis, negans, illum canonem, quo antea Zoſimus has appellationes defendere conabatur, eſſe canonem concilii Nicæni; ergo. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. prohibet appellationem ad Pontificem temere, & frivole factam, Tranſ. Conſ. juſte factam, Neg. Conſ. concilium Milevitanum ſignate loquitur de clericis Epiſcopo inferioribus; ſi tamen etiam presbyter evidenter oſtendiſſet, ſe injuſte damnatum eſſe, ejus appellatio Romæ admittebatur, ut habetur in epiſtolis Africani concilii ad Bonifacium, & Cæleſtinum. Quandoque vero ipſi Pontifices presbyteros ad ſuos Epiſcopos remiſerant, quia putarunt convenientius eſſe, ut ab illis judicentur, uti factum eſt in cauſa Apiani. 516

Ad

Ad 2. Concilium Carthaginenſe non conqueritur de appellationibus tanquam injuſtis, ſed tanquam graviter incommodis, præſertim ſi frequenter fiant. Canon a Zoſimo citatus vel revera fuit inter canones Nicænos, qui tamen omnes ad Patres concilii Carthaginenſis non pervenerunt, vel ſaltem fuit ex concilio Sardicenſi, quod paſſim pro concilii Nicæni appendice habebatur. Porro quando cap. 6 in concilio Carthaginenſi citatur Sardicenſe, illa verba non ſunt Patrum Africanorum, ſed Legatorum Pontificis, imo hic locus Bellarmino omnino corruptus videtur.

517 Dices 1. S. Cyprianus lib. 1 epiſt. 3 graviter reprehendit eos, qui appellaverunt ad Romanum Pontificem, tum quia id prohibitum fuerit in concilio Epiſcoporum, tum quia non eſt minor auctoritas Epiſcoporum Africanorum, quam Romanorum, & ibi juxta omnes oportet cauſam audiri, ubi crimen eſt admiſſum. Conf. Damaſus Papa in epiſtola ad Theophilum ait, ſibi non competere formam judicandi in cauſa Bonoſi, poſtquam illi a concilio Capuenſi judices conſtituti fuerunt. Reſp. Sicut in concilio Milevitano non fuit lis de ipſa poteſtate Pontificis, ſed de utilitate, & convenientia appellationum, ita etiam Cyprianus cum concilio Epiſcoporum ab eo citato ſolum invehitur in illos, qui paſſim, & tantum retardandæ juſtitiæ cauſa aut omnino præteritis Epiſcopis propriis ad Papam appellant, ut colligitur ex ipſa ratione Cypriani: *Quod cauſa primo ibi debeat judicari, ubi crimen commiſſum.* Porro illa verba, *Niſi minor videtur auctoritas Epiſcoporum Africanorum*, non debent referri ad Pontificem, ſed ad cauſam agitandam, quaſi

si diceret, non esse minoris auctoritatis Episcopos Africæ, quam ad causam judicandam sufficiat. Ad Conf. Damasus solum vult dicere, non videri sibi conveniens, ut in his circumstantiis causam judicet; quod enim absolute illam potuisset judicare, patet ex SS. canonibus pro nostra sententia citatis.

Dices 2. Pontifices in hac causa sibi propria non sunt idonei judices : ergo ex SS. 518
canonibus nihil pro illis probatur. Conf. Pontifices solum decernunt, quod appellatio possit fieri ad Sedem Apostolicam; atqui Sedes Apostolica non est solus Pontifex, sed simul cum reliquis Episcopis : ergo. Resp. Neg. Ant. Pontifices in hac quæstione non tam agunt suam causam, quam causam Ecclesiæ, & Christi, cujus institutionem circa suum Vicarium defendunt, cumque sint universæ Ecclesiæ Pastores, utique illam debent docere, quid in hac gravissima causa sit tenendum; quin etiam de jure humano Principes, qui superiorem non recognoscunt, in causis propriis possunt sententiam ferre. Accedit, quod non soli Pontifices Romani, sed etiam concilia hanc potestatem asserant, & decreta a Pontificibus facta a tota Ecclesia sint recepta, ut adeo sine gravi calumnia de arrogantia argui nequeant. Ad Conf. Transf. Maj. Neg. min. Patres, & concilia ab omni retro ætate per Apostolicam Sedem intellexerunt solam Romanam cathedram, ut multis ostendit Canus lib. 6 de loc. theologicis cap. 4; cum his proin loquendum potius, quam cum paucis Gallis, qui a suis antecessoribus in hoc modo loquendi recedunt, ut patet ex epistolis, quas in causa Jansenii ad Pontifices dederunt.

519 Obj. 3. Sæpius jam contigit, ut aliqui etiam Catholici ad concilium appellaverint, ut oſtendit auctor libri de Eccleſiæ Gallicanæ immunitatibus: ergo talis appellatio cenſenda eſt valida. Conf. Aliquæ cauſæ fidei a Papa jam definitæ rurſus in concilio generali productæ ſunt, uti hæreſis Lutheri in concilio Tridentino: ergo. Reſp. Diſt. Ant. ut appellarint aliqui Catholici in cauſa fidei, ac morum, Neg. Ant. in aliis gravaminibus, cauſis profanis, vel ſaltem totam Eccleſiam non concernentibus, Conc. Ant. & Neg. Conſ. In cauſa fidei antehac non niſi hæretici Pelagiani, Lutherani &c. appellarunt, quin ideo ſententia Pontificis unquam fuerit correcta, aut ſemper opus fuerit Synodum generalem convocare, ſed plures hæreſes a ſolo Pontifice fuerunt condemnatæ, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. 4 contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 12. In aliis gravaminibus particularibus appellarunt quandoque aliqui Catholici, ſed nec licite, nec valide & ſine effectu. Quodſi poſterioribus temporibus in aliqua provincia particulari appellationes factæ ſint, non poſſunt trahi in exemplum, quia factæ contra ſuperiorum temporum morem, contra omne jus, & a ſapientioribus Præſulibus non admiſſæ. Ad Conf. Diſt. Ant. Tales cauſæ in conciliis iterum fuerunt productæ, ut deferretur appellationi, & judicium Pontificis examinaretur, vel reformaretur, Neg. Ant. ut fieret major aliqua declaratio, vel damnatio errorum, & errantium extenderetur, & omnis querelandi cauſa ipſis occluderetur, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Vid. etiam num. 467.

520 Dices 1. Poteſt fieri appellatio ab Imperatore ad comitia Imperii: ergo etiam a Papa ad

ad concilium generale. Conf. Appellatio est remedium juris naturæ, & habet rationem defenſionis, quæ ex jure naturali cuique licita eſt: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. quod non pauci juriſconſulti negant. Neg. Conſ. Imperator ſuam poteſtatem mediate quidem habet a Deo, a quo teſte Apoſtolo omnis poteſtas eſt; immediate vero illam habet ab Electoribus, qui proin juxta Bullam auream, & leges Imperii fundamentales eandem certis limitibus circumſcribere poſſunt. At Papa ſuam poteſtatem non habet ab Eccleſia, aut Cardinalibus, qui dum illum eligunt, tantum deſignant perſonam, a Chriſto inſtituendam, & ſuprema poteſtate immediate donandam. Unde ipſi nequeunt hanc poteſtatem reſtringere, aut ampliare. Ad Conf. Diſt. Ant. Appellatio aliqua, & aliquando eſt remedium juris naturæ, Conc. Ant. appellatio quælibet in ſpecie, præſertim tam frivola, inutilis, & pernicioſa, Neg. Ant. & Conſ. Nam jura humana ſæpe prohibent appellationem, & præcipiunt, ut in certis circumſtantiis procedatur appellatione remota, nec jus naturæ præcipere poteſt uſum remedii tam pernicioſi.

Dices 2. Poteſt contingere, ut Pontifex in aliqua cauſa non ſit bene informatus: ergo ſaltem licita eſt appellatio a Pontifice non ſatis informato ad Pontificem melius informandum in concilio. Conf. Si omnis appellatio negatur, qui injuſte gravaretur, non amplius haberet remedium; hoc iniquum: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. appellatio eſt provocatio a judice inferiore ad ſuperiorem; itaque in vocibus luditur, ſi dicatur fieri ab eodem ad eundem, vel non ſuperiorem. Rem quod attinet, alibi diximus, vel Deum non permiſſurum, ut Papa aliquid circa fidem definiat 521

 ſine

ſine ſufficienti informatione, vel quod nihilominus ſit habiturus infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti. In aliis vero cauſis, ſi ſunt leviores, per ſe ineptum eſt ad concilium generale provocare; ſi vero ſunt graviores, cautiſſime procedi ſolet, & ante ſententiam diligenter fieri debita informatio. Ad Conf. Diſt. Maj. non amplius haberet remedium, idque mere eſſet per accidens, Conc. Maj. aliter, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ In cauſis fidei nemo, qui ſe definitioni Pontificis opponit, eſt innocens. In aliis, ſi quis ex errore puri facti innocens condemnatur, quod tamen raro continget, nihil aliud fit, quam quod frequens eſt in tribunalibus aliorum Principum, a quibus tamen ſæpe nulla appellatio conceditur. Interim pro tali caſu poſſet peti nova cauſæ cognitio, & reviſio, aut ſi injuſtitia Papæ eſſet manifeſta, & notoria e. g. in invadendo regno, poſſet Rex ſe defendere, & vim vi repellere; ad hoc enim nulla requiritur Superioritas.

DISPUTATIO VIII.

De objecto formali fidei, & actibus ad illam prærequiſitis.

522 PEr objectum formale intelligo illud motivum, ſeu rationem immediatam, & intrinſecam, propter quam per actum fidei divinæ aliquid affirmamus, vel negamus. Nam 1 objectum formale virtutis in genere eſt, propter quod aliud attingitur, ut dixi part. 1 Num. 5: ergo reſpectu fidei divinæ objectum formale eſt, propter quod aliquid affirmamus, vel negamus. 2. Hæc ratio debet eſſe immediata; non enim hic amplius agimus de motivis credibilitatis, quæ rationem credendi aliquod my-

mysterium nobis applicant, sed de ipso actu fidei, quo tale mysterium credimus. 3. Hæc ratio etiam debet esse intrinseca, quia actus fidei divinæ proprie talis est actus virtutis theologicæ, de cujus essentia universim est, ut potentiam rationalem immediate, & perfecte conjungat cum Deo; hoc autem in actu fidei aliter fieri nequit, quam si perfectionem aliquam divinam intrinsece tanquam suum motivum attingat.

QUÆSTIO I.

Quodnam sit objectum formale fidei divinæ?

Cum fides ex conceptu suo sit assensus præstitus loquenti propter ipsius auctoritatem, 523
patet objectum formale fidei divinæ esse auctoritatem ipsius Dei loquentis, quemadmodum passim etiam docent Scriptura, & SS. Patres. Sic Prophetæ, ut firmam fidem suis dictis conciliarent, frequenter adhibuerunt hanc præfationem: *Hæc dicit Dominus.* S. Paulus 1 ad Thessal. 2 v. 13 ait: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei;* Christus Matth. 16 v. 17: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* S. Leo serm. 6 de novitate inquit: *Divina est auctoritas, cui credimus;* S. Augustinus epist. 2: *Quæ mens contra divinæ auctoritatis culmen, lumenque contendat;* S. Ambros. lib. 2 epist. 12: *Quid magis de Deo, quam Deo credam.*

Unde singularis est opinio Guilielmi Parisiensis, qui tract. 1 de fide, & legibus cap. 2 524
docet, objectum formale fidei non esse rationem aliquam, quæ detegat veritatem objecti cre-

credendi, ſed præceptum divinum, quo jubemur credere, & captivare intellectum in obſequium fidei. Contra eſt 1. Fides, de qua Scriptura, & Patres loquuntur, eſt aſſenſus intellectus firmiter adhærentis veritati: ergo non poteſt elici ſine motivo veritatem detegente; atqui tale motivum non eſt præceptum divinum qua tale, aut ſola honeſtas obediendi, quæ præciſe ſecundum ſe ſpectata veritatem objecti non probant. Hinc 2 Deus homini tam parum poteſt præcipere, ut aſſentiatur objecto, in quo nulla apparet ratio veri, quam parum illi præcipere poteſt, ut amet aliquod objectum, in quo nulla apparet ratio boni, quod non minus repugnat, quam ut oculus videat aliquod objectum, in quo nullus datur color, & nulla lux. Aliud eſt, quod ex præcepto divino aliquod Myſterium credendi inferre poſſimus, illud a Deo eſſe revelatum, & verum; ſic enim præceptum non amplius conſideratur præciſe ut tale, ſed ſimul ut locutio Dei, ſub qua conſideratione jam eſt ratio ſuadens veritatem myſterii.

525 Neque recte philoſophatur Scotus, dum in 3 diſtinct. 23 velut problematice defendit, quod objectum formale fidei divinæ poſſit eſſe ipſa veritas objectiva myſterii credendi, immediate affirmata propter ſe ipſam absque alio motivo diſtincto. Quamvis enim non negem poſſibiles eſſe tales actus, nego tamen illos eſſe actus fidei divinæ ſtricte dictos, quia juxta Scripturam, Patres, & Theologos credere non tantum eſt aſſentiri alicui objecto, quod a loquente profertur, ſed illi aſſentiri propter auctoritatem loquentis, alias poſſemus credere omnia, quæ profert homo etiam bardus, & mendax. Neque obſtat, quod ejusmo-

modi actus juxta aliquos procedant ab habitu fidei; cum enim potentiam intellectivam Deo perfecte non uniant, non ſunt actus theologici, ſed ſolum actus fidei late, vel virtualiter tales, qui potius videntur procedere a ſpeciebus naturalibus, vel ſupernaturalibus, quæ ab actibus præcedentibus fuerunt relictæ; ſed neque habitus fidei poſſet ſupplere defectum motivi formalis, quia hoc ſe tenet ex parte objecti, habitus vero tantum ex parte potentiæ.

Cæterum per auctoritatem Dei, in quantum eſt objectum formale fidei, intelligimus illam perfectionem divinam, vi cujus Deus eſt ſumme determinatus ad dicendum verum, adeoque ſumme dignus, ut ipſi loquenti firmiſſima fides adhibeatur; in quonam autem prædicato hæc perfectio formaliter conſiſtat, variant auctores. Aureolus illam conſtituit in ipſa Deitate qua tali, quæ vocari ſolet prima veritas in eſſendo. Verum vel Deitas qua talis dicitur formaliter conſiſtere in cumulo omnium perfectionum, aut ſufficientia adæquata habendi omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem? vel dicitur conſiſtere in ſola aſſeitate? Si primum, contra eſt, quia licet formaliter non concipiatur cumulus omnium perfectionum, aut adæquata ſufficientia illum habendi, poteſt tamen Deus concipi ut ſumme determinatus ad dicendum verum: ſi ſecundum, aſſeitas qua talis tam parum formaliter Deum determinat ad dicendum verum, quam parum illum determinat formaliter, ut ſemper, & ubique exiſtat. Poteſt quidem divina Majeſtas ſuppoſita ejus veridicentia movere voluntatem ad imperandum aſſenſum firmiſſimum; attamen formaliter non movet intellectum ad ipſum aſſenſum fidei. Sic Majeſtas regia nullam dictis a Rege prolatis conferret auctoritatem, neque ad fi- 526

dem internam movere posset, si Rex vel mendax, vel insipiens foret.

527 S. Bonaventura auctoritatem Dei loquentis constituit in sola ipsius sapientia, Durandus in sola veracitate. Per sapientiam intelligitur illa perfectio, vi cujus Deus nunquam potest falli, nec quidquam ignorare, ideo vocatur prima veritas in cognoscendo. Per veracitatem intelligitur perfectio, vi cujus Deus est summe determinatus, ut dicta sua conformet menti, seu cognitioni, quam de rebus habet; ideo vocatur prima veritas in loquendo. Sed contra est, ad hoc, ut testimonium loquentis sit verum, non sufficit, quod rem præcise cognoscat, prout est in se, si non etiam loquatur conformiter suæ cognitioni; neque sufficit, quod præcise loquatur conformiter suæ cognitioni, si rem non cognoscat, prout est in se; hinc indignus fide est tam homo sciens quidem rem, sed mendax, quam homo verax, sed ignorans rem: ergo neque sola sapientia, neque sola veracitas testimonium Dei reddit infallibiliter verum. Neque dicas veracitatem divinam, cum sit infinite perfecta, Deum etiam determinare ad dicendam rem, prout est in se, eoquod Deus loquatur nihil sine cognitione, & cognitio Dei sit infallibilis; nam veracitas est solum infinite perfecta in linea veracitatis; hinc ex illa præcisive accepta non cognoscimus, quod in Deo detur cognitio infallibilis, & summe perfecta.

528 Itaque cum communi aliorum auctoritas Dei loquentis constituenda est in complexo ex infinita illius sapientia, & veracitate, quod complexum veridicentiam nominare solemus. Quippe Deus ex una parte per infinitam sapientiam est summe determinatus ad cognoscen-

da omnia objecta, prout sunt in se: ex altera parte per infinitam veracitatem summe determinatur ad objectum non aliter dicendum, quam prout illud cognoscit: ergo per hoc complexum est summe, ac formaliter determinatus ad dicendum verum, ita ut nunquam fallere, aut falli possit. Sufficit, & requiritur hoc complexum etiam ad credendos articulos promissorios, & comminatorios; cum enim Deus summe sapiens, & verax nihil possit promittere, aut comminari, quod non evidenter cognoscit esse verum, etiam circa hos articulos meretur summam fidem. At si præscindatur a veracitate divina, non constat, an Deus promiserit animo serio, & si præscindatur a sapientia, non constat, an sciverit, sibi possibile esse, quod promisit: ergo non sumus infallibiliter certi de re promissa, quia nemo tenetur ad id, quod vel non promisit serio, vel postea cognoscit esse impossibile, aut irrationabile.

Dices 1. Modo Deus concipiatur ut om- 529
nipotens, & infinite fidelis, jam intelligitur infallibiliter futurum esse id, quod promisit; hinc Apostolus ad Rom. 4 v. 21 de Abrahamo ait, quod confortatus sit fide plenissime sciens: *Quia quœcunque promisit potens est & facere Deus:* ergo ad credendos articulos promissorios sufficit omnipotentia, & fidelitas Dei. Conf. Ad perfectissimam fidelitatem necessario requiritur, ut promissio fiat animo serio, & res promissa certo cognoscatur esse possibilis: ergo. Resp. Neg. Ant. ob rationem supra datam. In textu addito multi per fidem intelligunt fiduciam, alii dicunt Abrahamum per omnipotentiam, & promissionem Dei fuisse quidem excitatum ad firmam fidem eliciendam, quin tamen omnipotentiam, & fidelitatem habuerit pro motivo intrinseco, & immediato suæ

fidei. Ad Conf. Dift. Ant. Hæc requiruntur ad perfectiffimam fidelitatem realiter acceptam, Conc. Ant. formaliter acceptam, Neg. Ant. & fuppofitum, quod tali modo a fapientia, & veracitate præfcindatur, cum tamen juxta communem Auctorum habeant conceptus formaliter diverfos.

530 Dices 2. Quamdiu a fidelitate, omnipotentia, imo etiam a conftantia divina præfcinditur, poffemus dubitare, an res a Deo promiffa fit futura: ergo fola fapientia, & veracitas non fufficit ad credendos articulos promifforios. Conf. Sæpe homo verax, & fapiens aliquid promittit, fed poftea rem promiffam vel ob impotentiam non poteft, vel ob inconftantiam non vult præftare: ergo. Refp. Neg. Ant. Quando Deus aliquid promittit e. g. juftis gloriam æternam, eo ipfo afferit fe habere decretum efficax illud dandi, confequenter implicite, & virtualiter etiam afferit, illud reipfa dandum effe: ergo cum Deus infinite fit fapiens, & verax, de re promiffa dubitare non poffumus: vel fi contendas, quod Deus promittendo e. g. gloriam folum revelet voluntatem, aut obligationem illam conferendi, tunc iftud folum credi poterit fide divina, & ad hoc credendum rurfus fufficit complexum ex fapientia & veracitate. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Sapientia hominis circa futura contingentia eft valde imperfecta, & incerta, adeoque non poteft excludere omne dubium de præftanda re promiffa, fed fimul recurrendum eft ad ejus fidelitatem, potentiam, & conftantiam. Econtra fapientia Dei eft infinite perfecta, & fi Deus non poffet dare, quod promifit, non effet infinite fapiens, fi vero nollet dare, non effet infinite verax.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An ad objectum formale fidei divinæ etiam pertineat revelatio, ſeu locutio Dei?

SUarez, Vaſquez, Lugo cum communi no- 531
ſtrorum docent objectum formale fidei adæquatum conſiſtere in complexo ex auctoritate Dei, & revelatione. Econtra Maſtrius cum Scotiſtis, & non paucis Thomiſtis contendit ſolam auctoritatem Dei eſſe objectum formale fidei adæquatum, revelationem vero eſſe meram conditionem extrinſecam, & quaſi applicationem auctoritatis divinæ. Nobis omiſſa hac lite Philoſophica ſufficiet oſtendiſſe, quod ad fidem divinam eliciendam neceſſario etiam requiratur revelatio divina, ſive dein ſit partiale motivum, ſive tantum illius applicatio. Porro, ut alibi jam adverti, locutio ſive revelatio Dei communiter definitur, quod ſit manifeſtatio conceptus divini per exhibitionem ſigni Deo extrinſeci; nam loqui ad alterum juxta S. Thomam 1 part. q. 107 a. 1 in corp. nihil aliud eſt, quam conceptum mentis illi manifeſtare, quo manifeſtato ſimul manifeſtatur res per conceptum repræſentata. Unde revelatio duo involvit 1 externam poſitionem ſigni repræſentantis rem, & conceptum. 2. Ordinationem internam, qua tale ſignum ordinatur ad alterum ex intentione ſignificandi id, cujus loquens conceptum habet.

Dividitur revelatio, ſeu locutio divina in 532
activam, & paſſivam. Activa eſt actus intrinſecus Deo, quo ſignum externum ordinat ad ſuum conceptum, ejusque objectum manifeſtandum: paſſiva eſt ipſum ſignum externum ita ad alterum ordinatum. 2. In internam, & externam. Per internam intelligitur, quæ

quæ fit per ſignum aliquod intrinſecum illi, ad quem locutio dirigitur, cujusmodi ſigna ſunt, illuſtrationes ſupernaturales, ſomnia prodigioſa &c. externa vocatur, quæ fit per ſignum extrinſecum, uti ſunt voces articulatæ, imagines externæ &c. 3. In immediatam, qua Deus immediate aliquid manifeſtat, uti quando locutus eſt Angelis, Prophetis, Apoſtolis &c., & mediatam, qua Deus nobis aliquid manifeſtat mediante alia locutione, a qua altera derivatur. Sic per Prophetas & Apoſtolos locutus eſt aliis hominibus. 4. In privatam, & publicam. Prior eſt, quæ immediate tantum dirigitur ad inſtructionem unius vel paucorum, e. g. ſi Deus Sanctis quibusdam manifeſtat horam mortis, ſuam prædeſtinationem &c. poſterior eſt, quæ immediate dirigitur ad inſtructionem totius Eccleſiæ, uti revelatio Trinitatis, Incarnationis &c.

533 Dicendum. Ad objectum formale fidei divinæ etiam pertinet revelatio Dei. Prob. 1. Quando S. Scriptura ad fidem divinam nos excitat, non ſolum meminit auctoritatis, ſed etiam revelationis divinæ: ergo revelatio etiam pertinet ad objectum formale fidei. Ant. Prob. S. Joannes epiſt. 1 cap. 5 v. 9 ait: *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*; quaſi diceret: ſi multa credimus propter teſtimonia hominum, a fortiori credere debemus propter teſtimonium Dei. In eundem ſenſum Apoſtolus ad credendum exhortatur Galatas c. 1 v. 11: *Notum vobis facio fratres Evangelium, quod evangelizatum eſt a me: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem JEſu Chriſti*; hinc in Scriptura ſæpius dicimur credere non ſolum Deo, ſed etiam verbis, teſtimoniis, evangelio &c. Conf. Quando fide divina aliquid credimus tunc ideo,

ideo, quia Deus infinite veridicus illud revelavit; atqui hæc caufalis, quia Deus revelavit, præter auctoritatem involvit revelationem Dei: ergo etiam revelatio Dei pertinet ad objectum formale fidei.

Probatur 2. Motivum formale non poteft 534
movere intellectum ad infallibilem afſenſum objecto materiali præſtandum, niſi quatenus cognoſcitur cum objecto illo iufallibiliter eſſe connexum: ergo auctoritas Dei non poteſt movere ad affirmandum e. g. myſterium Incarnationis, niſi quatenus cognoſcitur cum hoc eſſe connexa; atqui non cognoſcitur eſſe connexa, niſi per revelationem. Cum enim auctoritas divina conſiſtat in prædicatis divinis ſimpliciter neceſſariis, non poteſt habere neceſſariam connexionem cum veritate myſterii contingentis, niſi accedat infallibile teſtimonium Dei. Sic infinita Dei auctoritas præciſe ſecundum ſe æque poteſt ſtare cum negatione Incarnationis, quam cum Incarnatione, & licet Chriſtus non fuiſſet incarnatus, Deus æque eſſet infinitæ ſapiens, & verax. Conf. Ideo in ſyllogiſmo objectum motivum formale concluſionis non eſt tantum una præmiſſa objectiva, ſed utraque ſimul, quia veritas tantum unius non habet ſufficientem connexionem cum veritate concluſionis: ergo a pari; quippe actus fidei reipſa æquivalet huic vel ſimili diſcurſui formali: *Quidquid Deus infinite veridicus revelavit, eſt infallibiliter verum; atqui revelavit verbum eſſe incarnatum: ergo.*

Objectiones.

**OBj. 1. Per actum fidei debemus captivare 535
intellectum, ut indicat Apoſtolus 2 ad Cor.**

10 v. 5: ergo nulla requiritur ratio, & multo minus revelatio, ut credamus Deo; alias illi per fidem non plus deferimus, quam viro honesto aliquid afferenti, vel alicui Sancto, qui ratione visionis beatificæ tam est determinatus ad non dicendum falsum, quam Deus ratione suæ veracitatis, & sapientiæ. Conf. Venditor emptori nullam exhibet reverentiam, si pro securitate solutionis petat pignus, vel hypothecam: ergo credens Deo non exhibet obsequium, si pro securitate veritatis exigit rationem credendi. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. Nulla requiritur ratio humana, & ab auctoritate Dei loquentis distincta, Conc. Conf. ratio divina, & supernaturalis, Neg. Conf. alias Scriptura 1 Petri 3 v. 15 non moneret, ut simus *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, fide.* Captivamus ergo intellectum in obsequium fidei per hoc, quod propter solam auctoritatem Dei revelantis objectis revelatis, tametsi non sint evidentia, assentiamur firmissime, eamque incomparabiliter magis æstimemus, quam auctoritatem hominis, vel etiam beati, cui visio beatifica non est essentialis, neque tam perfecte excludit falsitatem, ut infinita Dei auctoritas. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Si venditor ab emptore non exigeret aliud pignus, quam ipsius verbum, utique magnam illi exhiberet venerationem, & indicaret, quod de eo habeat magnam æstimationem, & confidentiam.

536 Dices 1. Fideles, quando eliciunt actum fidei sæpe nihil cogitant de testimonio Dei, præsertim postquam mysteriis fidei jam sæpe fuerunt assensi: ergo. Conf. Auctoritas Dei potest affirmari propter se ipsam: ergo etiam mysterium revelatum propter solam auctoritatem Dei

Dei ſine omni revelatione. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. vel potius ſuppoſitum, quod tales actus ſint vere, ac proprie fides divina, niſi qui illos eliciunt ſaltem tenuiter, & aliquo modo de auctoritate loquentis cogitent, vel certe fides formalis, quam antea habuerunt, adhuc in aliquo ſuo effectu exiſtat; alias ſolum eliciunt fidem objectivam, de quo dixi num. 525. Utrum autem fides mere objectiva ſufficiat ad eliciendos actus ſalutares, nova eſt controverſia, quam hic non eſt opus decidere; ſi enim vera eſt ſententia affirmativa, quam tenet Ripalda, Raſsler, & non pauci alii, inde nihil contra nos poteſt inferri: ſi autem vera eſt negativa, quam multis propugnat la Croix, nondum ſequitur, quod ideo ſit fides divina proprie talis, niſi id aliunde oſtendatur. Videri hac de re poteſt tract. de grat. diſput. 3 q. 5. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. iſti duo termini Deus, & ens ſumme veridicum per ſe invicem ſunt connexi, auctoritas vero divina per ſe non eſt connexa cum myſterio contingente. Argumentum probaret, quod neque auctoritas Dei neceſſario ſit motivum formale fidei.

Dices 2. Habitus naturalis acquiſitus ſæpe ſupplet defectum motivi formalis, & connexionis, quam habet cum objecto materiali: ergo etiam habitus ſupernaturalis infuſus, qui non minus eſt efficax, poteſt ſupplere defectum connexionis inter auctoritatem divinam, & myſterium revelatum. Ant. patet ab experientia; qui enim ſæpius veritati propter aliqua motiva aſſenſus eſt, poſtea ſtatim eidem rurſus ſolet aſſentiri, quin ad illa motiva ſe reflectere debeat. Conf. Beatus inſtructus lumine gloriæ non indiget motivo diſtincto ad cogno- 537

gnoscendam essentiam divinam: ergo etiam habitus fidei, qui in hac vita supplet defectum luminis gloriae, potest intellectum ita disponere, ut propter solam auctoritatem Dei affirmet objectum revelatum. Resp. Trans. Ant. Neg. Cons. Habitus acquisiti dant facile posse, & species per priores actus acquisitae ipsam veritatem antea cognitam suasive repraesentant; habitus autem infusus tantum dat simpliciter posse, neque species suasivas de ipsa veritate objecti excitat; hinc quando fideles mysteriis fidei videntur immediate assentiri propter se ipsa, auctoritatem Dei revelantis vel ita tenuiter attingunt, ut id reflexe non advertant, vel non eliciunt actum fidei proprie talem. Ad Conf. ferme eadem est disparitas; nam etiam lumen gloriae immediate manifestat ipsam veritatem essentiae divinae, prout est in se, non item habitus infusus veritatem mysterii revelati; unde habitus fidei defectum luminis gloriae non supplet quoad omnia, & secundum quid est minus efficax quam habitus acquisitus.

538 Obj. 2. Fides est virtus theologica: ergo pro suo motivo formali debet habere perfectionem divinam, non minus quam actus charitatis; atqui locutio Dei non est perfectio divina, sed partialiter consistit in signo aliquo creato: ergo. Conf. Actus, quo quis vult, ut Deus sit adoratus, est tantum actus virtutis moralis, etsi pro motivo inadaequato habeat Deum: ergo. Resp. Conc. Ant. Dist. Cons. debet pro suo motivo habere perfectionem divinam ita, ut excludat revelationem divinam, Neg. Cons. ut simul illam admittat tanquam motivum secundarium, vel saltem tanquam applicationem perfectionis divinae, Conc. Cons. Modo infinita Dei bonitas cogno-

scatur, se sola sufficienter potest allicere voluntatem ad amorem; auctoritas vero Dei, etsi cognoscatur, nequit se sola intellectum movere ad affirmandum e. g. mysterium Trinitatis. Dein si virtus theologica perfectionem divinam habeat pro motivo inadæquato, & principali, jam directe, & immediate potentiam rationalem cum Deo conjungit, ut patet in spe theologica, quæ pro motivo formali habet Deum possidendum, adeoque partialiter ipsam possessionem Dei, consistentem in visione, & amore creato. Ad Conf. Dist. Ant. est tantum actus virtutis moralis, si pro motivo suo habeat solam honestatem adorationis, Conc. Ant. si simul etiam bonitatem, & excellentiam Dei in se, Neg. Ant. tunc enim æquivalet duobus actibus, uni theologico, quo Deum amat tanquam adorabilem propter se, suamque intrinsecam bonitatem: alteri morali, quo vult adorationem propter illius honestatem creatam. Non ita æquivalenter duplex est actus fidei; nam revelatio divina non est motivum formale alterius virtutis, quam fidei theologicæ.

Dices 1. Auctoritas divina non habet mi- 539
norem virtutem movendi, quam bonitas divina: ergo si hæc sola sufficit ad actum charitatis, illa sola etiam sufficit ad actum fidei. Conf. Sola auctoritas divina habet essentialem connexionem cum mysteriis fidei necessariis e. g. cum unitate, & Trinitate Dei: ergo saltem ad hæc mysteria credenda non requiritur revelatio. Resp. Dist. Ant. non habet minorem virtutem movendi in aliquo genere nempe auctoritatis, Conc. Ant. simpliciter in omni genere, Neg. Ant. & Conf. Sicut bonitas Dei super omnia meretur amari, sic auctoritas Dei supra omnia alia motiva & auctoritates

 me-

meretur æstimari; quia tamen non est essentialiter connexa cum veritate mysterii, se sola non habet vim adæquatam movendi in tota ratione motiva fidei. Imo hæc connexio essentialis cum ente contingente esset aliqua imperfectio, quæ non potest competere enti necessario, secundum prædicata necessaria, & absoluta spectato. Ad Conf. Dist. Ant. habet essentialem connexionem cum mysteriis necessariis quoad se, Conc. Ant. etiam quoad nos, Neg. Ant. sed hanc connexionem primum cognoscimus per divinam revelationem. Accedit, quod ad actum fidei non sufficiat qualiscunque connexio, sed talis, vi cujus aliquid affirmamus propter auctoritatem Dei loquentis.

540 Dices 2. Potest credi hæc veritas: *Quidquid Deus dicit, est verum*; quin ad hanc fidem requiratur revelatio divina: ergo. Conf. Si semper requireretur revelatio, hæc sola posset esse motivum adæquatum fidei, quippe prout involvit locutionem Dei activam, qua Deus vult aliquid manifestare, essentialiter est connexa cum veritate mysterii revelati: alias Deus vellet loqui falsum. Resp. Neg. Ant. Veritas illa independenter a revelatione divina est quidem necessaria, & evidens, sed solum facit hunc sensum conditionatum: Si Deus aliquid dicit, est verum, ex quo tantum sequitur hæc particularis: Si Deus revelat Incarnationem, datur; quæ nondum est actus fidei absolutus propter auctoritatem Dei loquentis, sed tanquam purificatio conditionis insuper requiritur revelatio. Ad Conf. Neg. Ant. tum quia ad actum fidei non sufficit qualiscunque connexio etiam metaphysica, tum quia fideles dum eliciunt actum fidei se ad istam speculationm, & connexionem non solent reflectere; sed connexionem cum mysterio reve-

velato solum cognoscunt, in quantum revelatio repræsentatur ut procedens a Deo summe veridico, per quod intrinsece attingunt ipsam auctoritatem Dei.

Obj. 3. Vel ad motivum formale juxta nos pertinet locutio Dei activa, vel passiva? neutrum potest dici, quia neutra est locutio proprie dicta, qualem S. Scriptura ad fidem divinam requirit. Quippe sicut nemo proprie dicitur loqui ad alterum præcisse per hoc, quod actu ponat signum externum manifestativum conceptus interni; alias etiam psitacus proprie loqueretur: sic nemo proprie loquitur præcise per hoc, quod velit ponere signum externum sui conceptus manifestativum: alias Deus omnia jam ab æterno fuisset locutus ad extra, quæ in tempore revelavit. Conf. Revelatio divina non potest determinare ad assensum, nisi quatenus procedit a Deo existente: ergo etiam existentia Dei deberet pertinere ad motivum formale fidei. Resp. Conc. Maj. Neg. min. & dico, quod neutra sola, sed utraque simul sumpta ad motivum fidei pertineat, ut bene probat objectio. Adde, quod per solam revelationem activam nondum detur sufficiens connexio cum mysterio revelato quoad nos, sola autem passiva de se sit indifferens ad verum, & falsum. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. Ergo etiam existentia Dei requiritur tanquam conditio, Transf. Conf. tanquam partiale motivum, Neg. Conf. existentia Dei ut præcisa a veracitate, & sapientia non potest movere ad assensum, si vero consideratur ut prædicatum transcendentale, & prout in aliis perfectionibus formaliter continetur, non 541

magis pertinet ad motivum fidei; quam ſpei & charitatis.

542 Dices 1. Non poſſum pro priori cognoſcere Deum aliquid revelare, quam Deum exiſtere: ergo ad hunc actum fidei: credo Deum exiſtere, non poteſt præſupponi revelatio; alias prius cognoſcerem Deum eſſe, quam cognoſcam Deum eſſe, vel certe idem eodem actu bis cognoſcerem. Conf. Exiſtentia Dei eſt evidens, non item revelatio: ergo propter hanc illa credi non poteſt; certo nemo homini loquenti propter ejus teſtimonium credet ipſius exiſtentiam. Reſp. Diſt. Ant. non poſſum pro priori cognoſcere Deum aliquid revelare, quam cognoſcam eum exiſtere explicite & formaliter, Neg. Ant. implicite, & virtualiter, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Cognitio noſtra non ſemper ſequitur ordinem naturæ, ſed ſicut poſſumus cognoſcere exiſtentiam creaturarum antequam explicite cognoſcamus Deum, ſic poſſumus cognoſcere revelationem de exiſtentia Dei, antequam ipſam exiſtentiam explicite cognoſcamus: ex quo tantum ſequitur, quod Deus eodem actu fidei cognoſcatur bis, & diverſo modo; ſicut quando judico Petrum eſſe animal, quia eſt homo, animal bis cognoſco, pro priori implicite, prout continetur in homine, dein explicite. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Multa evidentia credi poſſunt, licet non credantur propter evidentiam, & intellectus eidem objecto poteſt aſſentiri ex diverſis motivis ſaltem per actus diſtinctos, præſertim quia actus fidei eſt meritorius, & ejus principia ſunt magis ad verum determinata, quam naturalis evidentia, ut adeo non ſine ſufficienti ratione notius propter aliquid obſcurius credendo affirmemus. Quod ſi homo in tenebroſo loco diceret, ſe ibi eſſe, etiam illi

li possemus credere, quia hoc dicit, alias vero talis locutio ordinarie non habetur pro testimonio, sed pro effectu certificante de vita loquentis, qui cum sit longe certior, quam ipsum testimonium, hoc merito reputatur pro superfluo.

Dices. 2. Saltem ad hunc actum: credo Deum esse veridicum, non requiritur revelatio divina, alias auctoritas Dei crederetur propter seipsam. Certe nullus discursus legitimus fieri potest, ex quo probetur, Deum esse veridicum, quia id revelavit; si enim dicas: Omne a Deo revelatum est verum; sed Deum esse veridicum, a Deo est revelatum: ergo Deum esse veridicum, est verum. Major & conclusio sunt synonyma, adeoque conclusio assumitur tanquam medium ad se ipsam probandam. Conf. Stultum est credere aliquem esse veracem, quia se dicit esse veracem; hoc namque etiam mendacissimi dicere possunt. Resp. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Ant. Auctoritas Dei crederetur propter seipsam ut aliunde cognitam, Conc. Ant. ut creditam per ipsum actum fidei, Neg. Ant. in hoc actu fidei: Credo Deum esse veridicum, quia summa sapientia, & veracitas id revelavit, auctoritas Dei tanquam motivum formale pro priori aliunde cognoscitur, & ob illam aliunde cognitam auctoritas Dei creditur. In syllogismo addito Maj. est universalis, & complectitur omne verum, conclusio autem particularis, & una determinata veritas, consequenter non sunt synonymæ, sed veridicentia Dei aliunde in genere cognita assumitur tanquam medium ad illam secundo in particulari probandam. Ad Conf. Dist. Ant. nisi aliunde constet, illum esse veracem, Trans. Ant. secus, Neg. Ant. Testimonium Dei, qui aliunde infinite perfectus, & verax esse co- 543

gnoſcitur, certiſſime oſtendit, illum eſſe veracem; imo etiam homini, de quo aliunde ſcimus, quod ſit fide dignus, prudenter credimus, ſi afferat, ſe non fallere.

544 Obj. 4. Sola auctoritas Dei per ſe movet ad aſſenſum fidei, revelatio autem totam ſuam infallibilitatem habet ab auctoritate: ergo non pertinet ad motivum fidei, ſicut ad motivum amoris non pertinet cognitio boni, ad motivum concluſionis præmiſſæ formales &c. Sane ſi pro aliqua ſententia citatur S. Thomas, non movemur ad aſſenſum a citatione, ſed ab ipſa S. Doctoris auctoritate. Conf. Miracula, definitio Eccleſiæ, inſtructio parochi, & parentum non pertinent ad motivum fidei intrinſecum: ergo a pari. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. ergo revelatio non pertinet ad motivum fidei tanquam pars conſtitutiva, Omitt. Conſ. tanquam conditio, & applicatio, Neg. Conſ. paritates additæ ſolum probant, quod revelatio non ſit partiale motivum, quamquam facile poſſet dari diſparitas, quia nec cognitio boni, nec præmiſſæ formales ſe tenent ex parte objecti, ſed ſolum ex parte intellectus, quod ſi per citationem auctoritatis intelligatur ipſum teſtimonium S. Thomæ, illud omnino ad aſſenſum movere videtur. Sic paſſim dicitur, quod teſtimonio viri gravis moveamur ad credendum fide humana. Ad Conf. Diſt. Ant. ſi non ſint locutio Dei proprie talis, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Dein diſparitas adhuc eſſet, quod complexum ex auctoritate divina, & revelatione, utpote eſſentialiter connexum cum veritate myſterii, ſe ſolo ſit motivum ſufficiens, non item ſola Dei auctoritas.

545 Cæterum definitiones Eccleſiæ ſpectari poſſunt vel ut habentes auctoritatem humanam,

nam, vel ut habentes auctoritatem divinam, & a Spiritu sancto specialiter directæ. Si spectentur ut mere humanæ, certum est, quod non sint locutio Dei; quantacunque enim sanctitate, sapientia &c. Pastores Ecclesiæ excellant, sunt tamen homines fallibiles. Sed neque ut directæ a Spiritu sancto videntur esse locutio Dei in sensu stricto, & ita, ut de hac locutione sufficienter nobis constet; nam licet multi Auctores defendant illas esse verbum divinum, plurimi alii id negant, tum quia juxta communissimam Ecclesia non profert novas revelationes, tum quia non sufficienter probatur, quod Deus definitiones Ecclesiæ pro suo verbo habere velit. Sic ex eo, quod Magister in scribendo dirigat manum discipuli, nondum sequitur discipulum scribere nomine magistri. 2. Multo minus locutio parochi, aut parentum est locutio Dei, utpote qui nequidem habent infallibilem assistentiam, etiam quando revelationem alias factam proponunt. 3. Neque miracula videntur locutio divina stricte sumpta, sed sigillum contestativum, applicans verbum Dei, sicut sigillum appressum mandato Regis proprie non est verbum Regis. Idem dicendum de aliis motivis credibilitatis, nisi aliunde specialiter probetur, illas esse verbum Dei ut sacra Scriptura, Traditiones, Prophetiæ &c. Videri de his potest Bellarm. Ant. Mayr. Haunold. Rasler in ultima resolutione fidei.

Quæres. Qualis revelatio divina pertineat ad objectum formale fidei? Resp. Omnis illa, qua Deus proprie ad nos loquitur; nam regulariter illum non audimus ut loquentem sibi ipsi, & licet illum ita loquentem audiremus, hæc tamen locutio non sufficeret ad actum fidei proprie talem, sicut juxta dicta ad 546

 il-

illam non sufficit sola locutio activa, vel sola passiva. Itaque omnis, & illa sola sufficit, quae consistit in complexo ex activa, & passiva, sive dein sit externa, sive interna, sive immediata, sive mediata, sive publica, sive privata, quia quaelibet talis revelatio est locutio Dei vere, ac proprie dicta, quae una cum auctoritate divina habet essentialem connexionem cum veritate rei revelatae. Dissentiunt quidem aliqui cum Cajetano, Valentia &c. circa revelationem privatam, sed illorum fundamentis facile respondetur, si bene distinguatur fides publica, seu communis omnibus fidelibus, qua credimus articulos toti Ecclesiae propositos, & fides particularis sive privata circa articulos aliquibus duntaxat a Deo revelatos; ubi tamen utrinque datur idem objectum formale, quod eandem reverentiam exigit ab iis, quibus sit revelatio, quamquam revelationes privatae solum obligent illos, quibus sufficienter constant, ad alios vero se ordinarie non extendunt. An vero ille, qui revelationi sibi privatim factae discrederet, foret dicendus haereticus, ad modum loquendi pertinet.

QUÆSTIO III.

Quale judicium credibilitatis praerequiratur ad actum fidei?

547 JUdicium credibilitatis speculativum est actus intellectus, quo judicamus Deum infinite veridicum revelasse aliquod objectum, adeoque illud prudenter propter auctoritatem Dei revelantis credi posse. Judicium practicum est actus intellectus, quo judicamus, nos credendo aliquod objectum propter auctoritatem Dei agere honeste, aut omnino obligatorie. Utrumque

que hoc judicium requiri ad actum fidei, facile consentiunt Auctores; si enim non praecederet judicium speculativum, voluntas imprudenter imperaret assensum, & fides potius esset levitas, vel pertinacia, quam actus virtutis; Judicium autem practicum praecedere debere, patet ex Tractatu de actibus humanis, ubi ostenditur, illud requiri ad omnem actum honestum. Controversia tamen est, an utrumque hoc judicium debeat esse formaliter tale, vel utrum etiam sufficiat virtualiter, & aequivalenter tale, consistens in apprehensione suasiva, quae de se fundare posset judicium formale de revelatione objecti, & honestate illud credendi. Verum quia etiam haec controversia ad omnes actus honestos se extendit, non est hujus loci illam decidere, sed cum regulariter praecedere soleat judicium formale, de hoc loquemur, & dicenda facile etiam applicari poterunt apprehensioni suasivae.

Quod igitur examinandum est, stat in eo, 548
an judicia credibilitatis debeant esse evidentia, vel saltem moraliter certa ita, ut excludant omnem prudentem formidinem de opposito? an vero sufficiat judicium mere probabile, vel probabilius, & quidem cognitum ut tale? si enim nulla prudens ratio dubitandi occurreret, judicium aequivalenter esset moraliter certum, & saltem per accidens posset sufficere, ut videbimus quaest. sequenti. Porro quod judicium speculativum non debeat esse physice, aut metaphysice evidens, admittere debent omnes illi, qui contra paucos alios nobiscum sentiunt, quod Religio catholica non sit evidenter vera. Certe fideles, etiam quando cognoscunt motiva credibilitatis, saepe patiuntur dubia indeliberata circa fidem, quae stare non possunt cum evidentia metaphysica. Multo minus

 nus

nus ejusmodi judicium evidens poteſt haberi a rudibus, præſertim circa revelationem ſingulorum articulorum. Neque obſtat, ſi judicium practicum de obligatione, & honeſtate credendi poſſit eſſe evidens; nam etiam hoc per ſe non eſt neceſſarium, ſed ſicut Deo præcipienti debetur exactiſſima obedientia, modo moraliter certum ſit, illum aliquid præcipere, ita Deo loquenti debetur fides firmiſſima, quandocunque moraliter certum eſt, quod illam hic, & nunc exigat.

549 Dicendum 1. Judicium credibilitatis ſpeculativum per ſe debet eſſe moraliter certum. Ita poſt Innocentium XI communis. Prob. Ad actum fidei divinæ non requiritur judicium ſpeculativum phyſice, aut metaphyſice evidens, neque ſufficit probabile, aut probabilius cognitum ut tale: ergo per ſe requiritur moraliter certum. Ant. quoad 1 partem patet ex num. ſuperiore, quoad 2 Prob. ex propoſitione 21 damnata ab Innocentio XI: *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, ne non ſit locutus Deus*; atqui qui habet judicium probabile vel probabilius cognitum ut tale, cognoſcit illud eſſe fallibile, cum in oppoſitum adhuc ſtet gravis ratio, & etiam illi non raro decipiantur, qui exiſtimant ſuam opinionem eſſe probabiliorem: ergo prudenter poteſt formidare, ne erret, vel ſaltem gravi periculo errandi ſe exponat; hinc talis prudenter, & ſine hæreſi de exiſtentia revelationis, & ipſa veritate myſterii poſſet dubitare, neque apparet, quomodo ſibi valeret imperare aſſenſum firmiſſimum, & appretiative ſummum. Conf. Si ſufficeret judicium ſpeculativum probabile, aut probabilius

lius cognitum ut tale, credi possent omnia objecta, quæ deducuntur ex majore universali revelata, & minore probabili, aut probabiliori; hoc falsum esse probavimus Num. 88.

550 Dicendum 2. Etiam judicium practicum debet esse moraliter certum. Ita rursus communis. Prob. 1. Judicium practicum, quod immediate præcedit alios actus honestos universim per se loquendo debet esse moraliter certum, quia alias operans se exponeret gravi, & morali periculo peccandi, ut ostendimus de actibus humanis disp. 4 q. 4 & 5: ergo etiam judicium practicum credibilitatis, quod immediate præcedit piam affectionem, ipsumque actum fidei, per se loquendo debet esse moraliter certum, cum par vel major sit ratio pro pia affectione, & actu supernaturali fidei, quam pro aliis actibus honestis. Conf. Judicium speculativum credibilitatis debet esse moraliter certum: ergo etiam judicium practicum; quippe quandocunque moraliter certum est, aliquod objectum esse a Deo revelatum, eo ipso certum est, quod illud honeste credi possit firmissimo actu fidei divinæ. Cæterum si nec judicium practicum, nec speculativum deberet esse supernaturale, de quo alibi videbimus, neutrum conduceret positive ad fidem, sed solum negative, & tanquam removens, prohibens. Multo minus per habitum fidei statim, & immediate potest affirmari revelatio, & mysterium revelatum, modo proponantur motiva credibilitatis; nam fides debet esse libera, & meritoria, adeoque illam debet præcedere pia affectio, piam affectionem judicium practicum, & ante judicium practicum judicium speculativum.

Obje-

Objectiones.

551 OBj. 1. Religio Romano-Catholica eſt evidenter credibilis: ergo judicium credibilitatis eſt evidens; atqui judicium credibilitatis eſt judicium de exiſtentia revelationis: ergo judicium de exiſtentia revelationis eſt evidens. Conf. Vera Chriſti Eccleſia juxta Scripturam, & Patres eſt urbs ſupra montem poſita: ergo illam evidenter poſſumus invenire. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. Judicium credibilitatis eſt evidens, quatenus affirmat exiſtentiam revelationis, & veritatem Religionis catholicæ, Neg. Conſ. quatenus affirmat utriusque credibilitatem, Conc. Conſ. & Diſt. etiam min. ſubſumptam; judicium credibilitatis eſt tantum judicium de exiſtentia revelationis, Neg. min. ſimul etiam de ejus credibilitate, Conc. min. judicium credibilitatis duo affirmat, quod Deus revelaverit Religionem catholicam, & quod hæc Religio propter auctoritatem Dei revelantis prudenter poſſit credi. Primum, de quo hic diſputamus, ſolum nititur motivis credibilitatis, quæ non faciunt evidentiam de veritate: alterum ipſimet aſſeruimus eſſe evidens diſp. 2 q. 4. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo poſſumus illam invenire evidentia credibilitatis, Conc. Conſ. evidentia veritatis, Neg. Conſ. Modo evidens ſit, quod prudenter agamus Religionem catholicam præ omnibus aliis amplectendo, jam vere poteſt dici urbs ſupra montem poſita, & omnium oculis expoſita.

552 Dices. Si non eſſet evidens, quod Deus exiſtat, & nec falli, nec fallere poſſit, non poſſemus actum fidei divinæ elicere: ergo etiamſi non eſt evidens, quod Deus ſit locutus. Conf. Ut fide divina credamus aliquod myſterium, illud nobis debet eſſe omnino indubita-

tum, ita, ut nullo modo de illius veritate possimus dubitare; atqui per judicium tantum moraliter certum mysterium nobis non redditur omnino indubitatum; nam certitudo moralis non excludit omnem formidinem, & dubium etiam imprudens: ergo. Resp. Neg. Ant. sed modo hoc esset moraliter certum, fides divina jam posset locum habere. Sane difficulter probatur, quemvis rudem habere evidentiam de eo, quod Deus nequeat fallere, aut falli, cum olim etiam nonnulli Theologi eo prolapsi sint, ut dicerent, Deum de absoluta potentia posse falsum dicere. Ad Conf. Dist. Maj. mysterium debet nobis esse omnino indubitatum per ipsum actum fidei, Conc. Maj. jam antecedenter per judicium credibilitatis, Neg. Maj. Quamvis motiva credibilitatis articulum credendum nondum reddant evidenter verum, tamen accedente illustratione supernaturali per actum fidei ita de veritate articuli certificamur, ut stante tali actu nequidem imprudenter dubitare valeamus.

Obj. 2. Quando probabile; aut omnino 553
probabilius est, quod Deus aliquid sit testatus, reverentia Deo debita jam exigit, ut eliciatur actus fidei: ergo sufficit dictamen credibilitatis probabile, aut probabilius. Ant. Prob. Quia alias prudenter posset aliquis elicere hunc actum: Quamvis probabilius judicem, hanc rem esse a Deo revelatam, nolo tamen eam credere, quia formido, vel dubito, ne forte subsit falsitas; atqui hic actus videtur esse Deo injuriosus: ergo. Conf. Credere Deo, quando Deus probabiliter est locutus, est actus honestus virtutis; atqui hic actus solum potest spectare ad habitum fidei: ergo. Resp. Neg. Ant. Quia actus fidei debet esse firmissimus. Ad Prob. Dist. Maj. Posset aliquis prudenter elice-

re

re hunc actum, si per illum nollet credere ob formidinem, aut dubitationem, ne revelatio divina forte sit falsa, tametsi revera daretur, Neg. Maj. præcise ob formidinem, aut dubitationem, ne forte revelatio divina non fuerit data, Transf. Maj. hæc enim formido, & dubitatio non est de veracitate Dei, sed tantum de existentia revelationis, quam quis merito potest, & forte etiam habere debet, quoties advertit, pro existentia revelationis stare rationes mere probabiles, & fallibiles. Ad Conf. Omitt. Maj. Dist. min. hic actus solum potest spectare ad habitum fidei divinæ naturalis, Transf. min. fidei supernaturalis, Neg. min. Nam habitus fidei supernaturalis solum influit in actus firmissimos, quidquid sit de eo, an saltem voluntas credendi in tali casu possit esse supernaturalis.

554 Dices 1. Propositio 21 ab Innocentio XI non est damnata præcise ideo, quia affirmat, judicium speculativum credibilitatis posse tantum esse probabile, & formidolosum, sed quia hoc etiam asserit de ipso actu fidei: ergo ex damnatione hujus propositionis nihil pro nobis infertur. Conf. Notitia revelationis ad actum fidei requisita non tantum habetur per judicium speculativum credibilitatis, sed etiam per illustrationem supernaturalem: ergo dicta propositio merito potuit damnari, in quantum videtur asserere, quod nulla omnino requiratur certitudo prævia. Resp. Neg. Ant. Non est credibile, quod Pontifex voluerit damnare propositionem a nemine unquam traditam; jam vero nemo Catholicorum docuit, quod ipse actus fidei possit esse tantum probabilis, & formidolosus: fuere tamen quidam Neoterici, qui contendebant, posse elici fidem theologicam etiam

am circa talia objecta, quæ cognoſcuntur tantum probabiliter eſſe revelata, & inde intulerunt, divina fide eſſe credibilem præmotionem phyſicam, aliaque objecta particularia, quæ probabiliter ex veritate univerſali revelata deducuntur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quando fuit damnata propoſitio, rurſus apud omnes extra controverſiam erat, quod notitia orta ex illuſtratione ſupernaturali ſit certa; ſed hæc non movet ad imperandum aſſenſum fidei, neque a Deo infunditur, niſi prius aliunde habeatur certitudo moralis de exiſtentia revelationis: unde hæc explicatio eſt præciſe conficta contra mentem Pontificis.

Dices 2. In propoſitionibus complexis non 555
ſemper damnantur omnia membra, ut patet in propoſitione damnata de peccato philoſophico; atqui propoſitio 21 eſt complexa ex duobus membris, quorum primum dicit, aſſenſum fidei ſtare cum notitia revelationis ſolum probabili, alterum dicit, eundem ſtare cum actuali formidine: ergo poteſt dici, quod tantum hoc ſecundum membrum ſit damnatum. Conf. Innocentius in decreto damnationis expreſſe ait, ſe damnare propoſitiones, prout jacent: ergo nihil obſtat, quod hanc propoſitionem nemo docuerit, modo per illam alii in errorem duci poſſent. Reſp. Diſt. Maj. niſi id aliunde colligatur, Conc. Maj. ſecus, Neg. Maj. quod utrumque membrum fuerit damnatum, colligitur 1 ex occaſione, & ſcopo damnationis, qui erat proſcribere ſequelas, quas illius Auctores ex hac propoſitione deducebant, nempe divina fide credi poſſe præmotionem phyſicam, propriam juſtificationem &c. 2. Ex communiſſima interpretatione Theologorum, quorum nullus poſt decretum Innocentii auſus eſt defendere ſententiam nobis contrariam;

am; obſervantia autem eſt optima interpres. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis Pontifex expreſſe non intenderit damnare propoſitiones juxta mentem Auctorum; voluit tamen, ut in eodem decreto ait, damnare propoſitiones *partim ex diverſis libris, vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, partim noviter adinventas.*

556 Obj. 3. Quandocunque objectum probabiliter apparet dignum aſſenſu firmiſſimo, voluntas intellectui prudenter poteſt imperare talem aſſenſum; ſed ſi probabile eſt, dari revelationem divinam, objectum probabiliter apparet dignum aſſenſu firmiſſimo: ergo. Conf. Zacharias S. Joannis Baptiſtæ pater a Deo punitus eſt privatione loquelæ, eoquod non crediderit revelationi divinæ de partu futuro uxoris ſuæ; atqui ſolum habuit notitiam probabilem de revelatione divina vere tali, alias peccaſſet graviter, quod de viro tantæ ſanctitatis præſumi non poteſt: ergo. Reſp. Diſt. Maj. niſi adſit prudens formido, ne non ſit locutus Deus, Conc. Maj. ſi adſit, Neg. Maj. Motivum theologice, & comparative grave poteſt quidem ſufficere ad imperandum aſſenſum qualemcunque, non vero ad aſſenſum firmiſſimum, & excluſivum omnis formidinis, poſito quod fallibilitas motivi, & periculum erroris cognoſcatur; alias intellectus ſimul formidaret, & non formidaret. Ad Conf. Neg. Maj. Zacharias ſolum venialiter peccavit omittendo debitam diligentiam in inquirendo, an verba Angeli revera ſint revelatio divina; debuiſſet enim melius inquirere, ſicut fecit B. Virgo ab Angelo ſalutata.

557 Dices 1. Voluntas per piam affectionem poteſt imperare aſſenſum firmiorem, quam me-

mereantur motiva credibilitatis : ergo modo probabiliter constet, objectum esse revelatum, potest imperare assensum firmissimum ; hinc ab Innocentio XI damnata est propositio 19 : *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Conf. Qui judicat, objectum aliquod moraliter certo esse revelatum, potest sibi imperare assensum fidei, licet alii doceant, illud tantum probabiliter esse revelatum: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Alias damnatio hujus propositionis non posset combinari cum damnatione propositionis 21 ab eodem Pontifice facta. Itaque solum confixa est in eo sensu, in quo illam tradidit Arnaldus Marchantius, quod videlicet voluntas etiam tunc, quando judicium credibilitatis est moraliter certum, non possit facere, ut assensus fidei sit firmior, & certior quam motiva credibilitatis : nos vero ipsimet asserimus, quod tunc voluntas accedente illustratione supernaturali possit imperare assensum metaphysice certum, non quidem propter motiva credibilitatis præstandum, sed propter auctoritatem Dei revelantis. Ad Conf. Dist. Ant. Talis posset sibi imperare assensum fidei, si in sententia opposita nullam agnoscant veram probabilitatem, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. & Conf.

Dices 2. Quamvis aliqui Auctores putaverint, Deum de absoluta potentia posse dicere falsum ; tamen potuerunt elicere actum fidei: ergo etiam potest elici actus fidei, etsi de revelatione tantum probabiliter constet; hinc SS. Patres & Scriptura admittunt fidem infirmam: *Credo Domine adjuva incredulitatem meam*, Matth. 9 v. 23; *Infirmum autem in fide* 558

assumite, ad Rom. 14 v. 11. Conf. Amicitia cum Deo non excludit omnes leves defectus: ergo neque fides. Resp. Dist. Ant. si saltem moraliter certo judicaverint, Deum hic & nunc non dicere falsum. Transf. Ant. secus, Neg. Ant. & Conf. Imo quia fides theologica auctoritatem Dei debet appretiare super omnia, non videtur, quod verum actum fidei elicere potuerint, nisi tunc absurdam suam sententiam practice deposuerint, & certo judicaverint, Deum esse absolute infallibilem. Interim potuerunt denominari fideles ab habitu fidei. SS. Patres, & Scriptura per fidem infirmam intelligunt vel fidem minus intensam, & vivacem, vel solum inchoativam, & dispositivam, consistentem in præviis quibusdam motibus intellectus, & voluntatis, ad fidem inclinantibus, vel denique fidem mere naturalem, qui ordinarie supernaturalem præcedere solet. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Deliberate dubitare, aut formidare, an verum sit, quod a Deo revelatum esse sufficienter constat, non tantum est levis defectus, sed gravis irreverentia. Aliud est, quod fides stare possit cum aliqua pigritia in credendo, cum debili vivacitate, qui defectus motivo fidei non opponuntur graviter.

559 Obj. 4. Juxta nos: *Ab infidelitate excusabitur infidelis* (vel hæreticus) *non credens ductus opinione minus probabili.* Sed hæc propositio Joannis Sanchez rursus est damnata ab Innocentio XI: ergo. Maj. Prob. Tamdiu aliquis excusatur ab infidelitate, quamdiu Religionem catholicam non potest credere fide divina; atqui hanc juxta nos non potest credere, qui solum probabiliter vel probabilius judicat, illam a Deo esse revelatam: ergo. Conf. In aliis materiis licet sequi opinionem, licet probabilem,

bilem, & minus tutam: ergo etiam in materia fidei. Resp. Neg. Maj. Ad Prob. Dist. Maj. Si tamen faciat id, quod hic, & nunc potest, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. Quamvis talis infidelis aut hæreticus non statim proxime possit elicere fidem supernaturalem de veritate Religionis catholicæ, potest tamen, & debet adhibere media, ut acquirat majorem notitiam e. g. examinando motiva credibilitatis, consulendo viros doctos, & pios, orando &c. interea nequit positive suæ sectæ amplius adhærere, sed debet Religionem probabiliorem vel amplecti per fidem naturalem, vel saltem suspendere suum assensum, ut contendunt illi, qui terminum *Non credens* pro eodem legunt, ac discredens, seu nolens deserere suam sectam, & veritatem indagare. Ad Conf. Dist. Ant. Quando probabilitas versatur circa licentiam actionis, & certitudo de obligatione moraliter non potest haberi, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. In materia fidei potest haberi certitudo, cumque vera fides ad salutem absolute sit necessaria, certo falsum est, quod liceat amplecti vel retinere Religionem minus probabilem, & probabilitas solum cadit supra ipsam veritatem Religionis, uti notavi num. 162.

Dices 1. Tali modo in materia fidei tenemur sequi tutiora: ergo tenemur credere Religionem, quæ apparet probabilior, & quidem fide supernaturali; fides enim præcise naturalis nihil prodest ad salutem. Conf. Potest contingere, ut aliquis infidelis jam constitutus in articulo mortis non amplius habeat tempus, & occasionem comparandi sibi certitudinem de veritate Religionis catholicæ: ergo tunc per probabilitatem suæ sectæ ab infidelitate excusabitur. Resp. Dist. Ant. Debemus sequi tuti- 560

ora, seu probabiliora, quatenus non amplius possumus adhærere sectæ minus probabili, Conc. Ant. quasi statim teneamur elicere fidem circa sectam magis probabilem, Subdist. fidem naturalem, Transf. Ant. supernaturalem, Neg. Ant. & Conf. quamdiu vera Religio alicui non est moraliter certa, proxime non obligatur ad actum supernaturalem fidei, sed ad summum ut eliciat actum fidei naturalem, qui licet ad salutem non prosit positive per modum dispositionis stricte talis, & meritoriæ, prodest tamen aliquo modo negative, in quantum a tali homine removet infidelitatem tum positivam, qua pertinaciter adhæreret suo errori, tum negativam, qua culpabiliter negligeret in veram fidem inquirere. Ad Conf. Neg. Ant. Talis adhuc potest rogare Deum pro singulari lumine ad agnoscendam certo veritatem, saltem circa ea, quæ sunt necessaria necessitate medii; Deus vero serio petenti, & facienti, quod est in se, non denegabit gratiam.

561 Dices 2. Saltem si aliquis ex invincibili ignorantia probabiliter judicaret, se veram Religionem non posse invenire, nec ulterius obligari ad illam inquirendam, posset adhuc adhærere sectæ falsæ: ergo. Conf. Juxta nos quilibet teneretur sibi comparare moralem certitudinem de singulis articulis fidei; hoc nimis durum præsertim rudibus: ergo. Resp. Transf. Ant. Dist. Conf. Talis excusaretur per probabilitatem versantem præcise circa veritatem fidei, Neg. Conf. versantem circa existentiam legis, Transf. Conf. Quia talis non tam excusaretur per probabilitatem, quam per bonam fidem, & invincibilem ignorantiam, quam haberet de obligatione sectam suam deserendi, & melius indagandi veritatem; licet vix sit possibi-

bile, ut aliquis judicet noſtram Religionem eſſe probabiliorem, & ſimul vere eſſe probabile, quod non detur obligatio ad melius inquirendum, aut oppoſitam ſectam deſerendum. Ad Conf. Neg. Ant. Propoſitio damnata probabilius tantum loquitur de caſu, quo major probabilitas verſatur circa veritatem integræ Religionis, aut circa articulos neceſſarios neceſſitate medii, vel ſaltem præcepti: circa reliquos in particulari, videtur ſufficere, ſi quis ſuſpendat aſſenſum, eosque credat implicite, ac etiam explicite credere paratus ſit, quando habuerit ſufficientem notitiam.

Obj. 5. Si ad fidem divinam requiritur judicium ſpeculatívum moraliter certum, nullus datur hæreticus formalis, cum nemo poſſit eſſe tam ſtultus, ut eliciat hunc vel ſimilem actum: Quamvis moraliter certo cognoſcam, hoc objectum eſſe revelatum a Deo, adeoque evidenter credibile, tamen judico eſſe falſum. Conf. Ut aliquis incurrat hæreſin formalem juxta communiorem non ſufficit error prudens ex ignorantia vincibili etiam craſſa, ſed debet poſitive diſcredere veritati ſufficienter ſibi propoſitæ: ergo. Reſp. Neg. ſequelam. Nam licet ejusmodi actus non poſſint elici prudenter, non raro tamen eliciuntur imprudenter, ut docet experientia, in judicio temerario, quod ſæpe fertur contra rationes evidenter graviores. 2. In judiciis, & ſententiis hominum præoccupatorum, ac pertinacium, a quibus per rationes clariſſimas ſe non ſinunt dimoveri. 3. In actibus voluntatis graviter peccantium, qui ſæpe evidenter agnoſcunt, ſe imprudenter agere: ergo ſimile quid poteſt fieri circa fidem, præſertim ſi accedat paſſio, ſpes alicujus commodi, timor gravis difficultatis &c. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. ob rationes primum da-

tas. Nihilominus juxta Suarez, aliosque sufficit dubium, & formido deliberata in talibus circumstantiis concepta. Vid. etiam num. 95.

QUÆSTIO IV.

An judicium credibilitatis semper debeat esse moraliter certum absolute?

563 JUdicium credibilitatis moraliter certum facile sibi comparare possunt docti; cum enim motiva credibilitatis Religionem catholicam faciant evidenter credibilem, & credendam, eorumque efficacia a doctis facile penetretur, eo ipso facile formare possunt judicium moraliter certum de credibilitate, & credentitate Religionis catholicæ in genere, quo judicio formato nulla amplius est difficultas circa credibilitatem hujus, vel illius articuli, modo aliunde habeatur sufficiens notitia, quod ejusmodi articulus ad Religionem catholicam pertineat, quod a doctis facile cognosci potest ex testimonio virorum gravissimorum, & innumerorum hominum voce, & calamo testantium, articulum illum a catholica Ecclesia tanquam fide divina credendum proponi. Credibilitas ista vocari solet absoluta, & judicium speculativum de ea formatum judicium credibilitatis absolutæ, quia fundatur in talibus motivis, quæ per se, & respectu omnium ea rite penetrantium sufficiunt ad convincendum intellectum, ut sine formidine moraliter certo judicet, Religionem catholicam in genere, vel quemdam illius articulum in specie credibilem, & credendum esse.

564 Major difficultas est, qua ratione homines indocti, & rudes formare possint, ac soleant sufficiens judicium credibilitatis; cum enim

nim plerumque motiva credibilitatis pro Religione catholica in genere, vel penitus ignorent, vel ſaltem eorum vim ob craſſitiem ingegenii non ſatis penetrent, ad credendum ſæpe inducuntur ſola auctoritate ſui Parochi, Catechiſtæ, aut parentum aſſerentium, Religionem noſtram confirmatam eſſe plurimis miraculis, vaticiniis &c.; auctoritas autem talium inſtructorum, qui & ipſi quandoque non ſunt admodum docti, non eſt tanta, ut faciat certitudinem abſolutam reſpectu omnium etiam doctorum, qui rem magis conſiderant, & penetrant. Nihilominus judicium hoc vocari ſolet, & poteſt credibilitas, vel certitudo moralis reſpectiva, in quantum nititur talibus motivis, quæ ad aſſenſum firmum ſaltem movere poſſunt rudes, qui plerumque ad illorum fallibilitatem non ſolent advertere, neque reflexe illam conſiderare. Unde id jam quæritur, utrum tale judicium credibilitatis reſpectivæ ſufficiat ad fidem divinam.

Dicendum. Reſpectu rudium, ad fidem di- 565
vinam ſæpe ſufficit judicium credibilitatis reſpectivæ. Ita Lugo, Viva, aliique communiter favente etiam S. Auguſtino, dum contra epiſtolam Fundamenti cap. 4 ait: *In catholica Eccleſia ad ſinceriſſimam ſapientiam pauci ſpirituales perveniunt; cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas certiſſimam facit.* Prob. concluſio 1. Ex una parte neceſſitas credibilitatis abſolutæ reſpectu rudium non ſatis probatur. Ex altera parte credibilitas reſpectiva rudibus ſufficere poteſt ad eliciendum actum fidei firmiſſimum: nam licet judicium credibilitatis reſpectivæ reipſa non excedat limites probabilitatis, eſt tamen reſpectu rudium virtualiter, ac æquiva-

lenter moraliter certum, & exclusivum omnis formidinis prudentis, eoquod prudenti nitatur fundamento, & rudibus nulla ratio dubitandi, aut formidandi incidat: ergo accedente illustratione supernaturali per piam affectionem possunt sibi imperare assensum firmissimum. Conf. Certitudo non consistit in indivisibili, sed habet suos gradus summae, mediae, infimae: ergo credibilitas respectiva potest dici certitudo infimi gradus, licet non excludat formidinem radicalem, quam excludere debet certitudo gradus superioris, sive stricte talis. Sic jura volunt, ut testimonium duorum, aut trium testium habeatur pro certo, tametsi reipsa non sit plusquam probabile.

566 Probatur 2. Si respectu rudium requireretur credibilitas absoluta, pueri rustici, foeminae rarissime, aut nunquam possent elicere actum fidei divinae; sed hoc repugnat bonitati, ac providentiae Dei, qui etiam istos homines ordinavit ad felicitatem supernaturalem, ad quam fides divina est primum fundamentum, & medium absolute necessarium. Maj. Prob. Quia credibilitas rudium plerumque tantum nititur auctoritate fallibili paucorum hominum. Nam multi habitant in montibus, in locis solitariis, & haereticorum vicinia, aut alias se ita domi continent, ut non adeant plures pagos, & oppida, neque audiant doctrinam fidei a pluribus explanari. 2. Si etiam plures pagos adeant, tota credibilitas reducitur ad auctoritatem e. g. decem Parochorum, totidemque pagorum, quae neutiquam facit certitudinem stricte moralem, cum simile quid etiam apud haereticos fieri possit. 3. Excellentiam sacrorum, suspensa in templis miraculorum testimonia, aliaque ejusmodi credibilitatis signa non solent attente perpendere, & satis pene-

cer-

trare. 4. Multo minus poſſunt ſibi comparare certitudinem ſtricte talem pro quovis articulo, quem inter dogmata veræ Religionis contineri plerumque tantum habent ex teſtimonio paucorum. Sane ſi quis propriam conſulat experientiam, facile deprehendet, ſe in pueritia non cognoviſſe, vel certe non penetraſſe alia motiva credibilitatis præter auctoritatem parentum, aut catechiſtæ.

Objectiones.

OBj. 1. Credibilitas reſpectiva eſt indiffe- 567
rens ad verum & falſum: ergo non ſufficit ad aſſenſum fidei firmiſſimum. Conſ. Prob. Judicium credibilitatis debet eſſe commenſuratum actui fidei, qui non poteſt eſſe certior, quam motiva: ergo. Conf. Chriſtus Joann. 15 v. 22 ait: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, videlicet Judæi non credendo in ipſum: ergo nemo tenetur credere, niſi præcedat credibilitas abſoluta, qualis habetur per miracula. Reſp. Neg. Ant. Niſi accedat illuſtratio ſupernaturalis, Tranſ. Ant. ſecus, Neg. Ant. Ad probationem iterum Diſt. Ant. Judicium credibilitatis debet eſſe proportionatum ita, ut inde ſequi poſſit judicium credentitatis, pia affectio, & actus fidei, Conc. Ant. ut ſit æque certum, quam actus fidei, Neg. Ant. Quamvis actus fidei non poſſit eſſe certior, quam motiva, aut etiam credibilitas intrinſeca, orta ex illuſtratione ſupernaturali, poteſt tamen eſſe certior, quam credibilitas extrinſeca, fundata in ſolis motivis credibilitatis, de qua ſola hic loquimur. Cum igitur rudes indifferentiam ſui judicii ad verum, & falſum non agnoſcant, æque actum fidei certiſſimum poſſunt elicere, quam docti habentes judici-

um ſpeculativum ſtricte moraliter certum. Ad Conſ. Conc. Ant. Neg. Conſ. Doctrinæ Chriſti conſtanter ſe oppoſuerunt Principes Sacerdotum, Seniores populi, & legis Doctores; hinc ſine miraculis rudes, & ſimplices nequidem habuiſſent credibilitatem reſpectivam, ſed tanta auctoritas prævaluiſſet adverſus novam hominis ignoti doctrinam.

568 Dices 1. Certitudo moralis reſpectiva reipſa tantum eſt notitia probabilis, vel ad ſummum certitudo negativa; ſed hæc non ſufficit ad fidem divinam: ergo. Conf. Quia alias ruſticus fide divina poſſet credere, ſub hac determinata hoſtia contineri Chriſtum, poſito quod a Parocho audiret, hoc a Deo eſſe revelatum, neque ipſi dubium incideret in contrarium. Reſp. Diſt. Maj. eſt tantum notitia probabilis reſpective, Neg. Maj. abſolute, Conc. Maj. Notitia, quam habet ruſticus, non tantum nititur fundamento negativo, ſed e. g. auctoritate Parochi, quæ reſpectu ipſius eſt tanti ponderis, ut excludat omnem prudentem formidinem actualem, licet de ſe, & in aliis circumſtantiis cum illa conjungi poſſet, adeoque talis actus radicaliter, & abſolute ſit formidoloſus. Ad Conf. Neg. ſequelam. Ut ruſtici poſſint credere alios articulos, exigit finis revelationum explicitarum, ne in ordine ad illos credendos ſint deterioris conditionis: at finis revelationis explicitæ non exigit, ut ſive docti, ſive rudes poſſint credere præſentiam Chriſti ſub hac determinata hoſtia. Cæterum etſi certitudo negativa per ſe ad fidem non ſufficeret, poſſet per accidens ſufficere, ſi id exigeret finis revelationis.

569 Dices 2. Tali modo ruſticus poſſet fide ſupernaturali credere aliquem articulum, quin ſciret illum credi a tota Eccleſia, & ab omnibus

bus credendum eſſe; imo etſi ab Eccleſia pro articulo non haberetur. 2. Ipſi hæretici poſſent fide divina credere articulos, quos a ſuis paſtoribus audiunt, fide divina credendos eſſe. Reſp. Diſt. Ant. Si Deus in tali caſu det illuſtrationem ſupernaturalem, quæ ſuaſive revelationem talis articuli proponat, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Quamvis ad actum fidei non videatur requiri, ut credens judicet, omnes fideles obligari ad hunc articulum credendum, putant tamen aliqui, quod Deus non ſoleat dare illuſtrationem ſupernaturalem, niſi veritas credenda, vel ſit articulus fidei, vel ſpecialiter per revelationem privatam proponatur. Ad 2 iterum Diſt. ſi tales articuli reipſa a Deo ſint revelati, & hæreticus tantum ſit materialis, quin ipſi incidat prudens ratio dubitandi, aut formidandi de oppoſito, Conc. ſecus, Neg. Nam circa articulos revera non revelatos Deus non infundit illuſtrationem ſupernaturalem. Unde judicium credibilitatis circa articulum verum & falſum poteſt quidem apud rudes eſſe æque certum certitudine ſubjectiva, non vero certitudine objectiva, & intrinſeca.

Obj. 2. Si ruſticus poſt actum fidei de ali- 570
quo objecto elicitum ex auctoritate plurium intelligeret, hoc objectum a Deo probabiliter, vel probabilius non eſſe revelatum, poſſet poſtea juxta nos eidem objecto prudenter diſſentire, vel ſaltem non amplius aſſentiri; hoc coincidit cum propoſitione 20 damnata ab Innocentio XI: *Poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum (fidei) quem habebat ſupernaturalem.* Conf. Quod nemo prudenter poſſit diſſentire ſtante eadem apparentia credibilitatis, videtur per ſe clarum: ergo. Reſp. Diſt. Maj. poſſet eidem objecto prudenter diſſentire manente eadem apparentia credibilitatis, Neg. Maj. illa ſublata, aut notabiliter mutata, Conc.

Conc. Maj. Propofitio damnata loquitur de cafu, quo manent eadem motiva credibilitatis, eodem modo propofita; qui enim tunc mutaret, aut defereret affenfum, id faceret fine rationabili caufa, & temere: fi vero poftea objectum probabiliter, aut probabilius appareret, non effe revelatum, ob juftam caufam non continuaret affenfum, non tamen proprie illum repudiaret, quia affenfum fupernaturalem in his circumftantiis non amplius poffet elicere. Sic nemo dicitur repudiare favorem Principis, quem obtinere nequit. Ad Conf. Neg. Ant. Nam aliqui docuerunt, quod ad affenfum fidei fufficiat probabilitas cognita qua talis, juxta quos non eft, cur aliquis ftante eadem apparentia credibilitatis non poffet priorem affenfum prudenter deferere.

571 Dices 1. Affenfus fidei divinæ eft firmiffimus: ergo credens debet ita effe conftitutus, ut paratus fit femper absque omni formidine in hoc affenfu perfiftere, quæcunque demum motiva in contrarium opponantur. Conf. Apoftolus ad Galat. 1 v. 8 ait: *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema fit*: Ergo. Refp. Conc. Ant. Dift. Conf. Debet ita effe conftitutus formaliter, & pofitive, Neg. Conf. virtualiter, & negative, Subdift. pro omni cafu, quo objectum adhuc fufficienter apparet effe credibile, Conc. Conf. etiam quando non amplius ita apparet, Neg. Conf. Qui credit fide divina, appretiat auctoritatem Dei fuper omnia alia motiva, quæ in contrarium occurrere poffent, adeoque folum virtualiter, aut negative paratus eft ad femper credendum fine ulla formidine, quamdiu objectum fufficienter apparet revelatum. Quid vero in aliis circumftantiis effet facturus, præfcin-

ſcindit. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Apo-
ſtolus ad melius exprimendam certitudinem
doctrinæ a ſe traditæ utitur hypotheſi impoſſi-
bili; abſurdum autem foret dicere, quod ne-
mo valeat elicere actum fidei, niſi ad hy-
potheſim impoſſibilem confugeret. Quodſi a
Galatis tantam animi præparationem revera
exegiſſet, ſpecialis fuiſſet ratio, quia Galatis
myſteria fidei non ſolum innotuerunt per præ-
dicationem Pauli, ſed etiam per multa mira-
cula, aliaque graviſſima motiva, quibus ſola
prædicatio Pauli, aut etiam Angeli de cælo
lapſi non prævaluiſſet.

Dices 2. Poteſt ruſtico reflexe incidere, 572
fieri poſſe, ut Parochus circa aliquem articu-
lum fallatur, aut fallat: ergo tunc non poteſt
firmiſſime credere. Conf. Poteſt ruſticus ab
aliis audire, aut ipſemet advertere, Paro-
chum ſuum eſſe virum, non admodum doctum
in rebus fidei, ut non ſubinde dicat falſum e-
tiam ex cathedra: ergo. Reſp. Conc. Ant.
Neg. Conſ. Si ſtante illa advertentia reflexa
nulla prorſus occurrat prudens ratio dubitan-
di, aut formidandi, judicium credibilitatis eſt
ſufficienter certum certitudine reſpectiva, ita,
ut excludat omnem formidinem prudentem,
& proprie talem. Quod ſi etiam excludi de-
beret dubium imprudens, & præciſe logicum,
& metaphyſicum, ſemper deberet haberi evi-
dentia. Sane citra omnem dubitationem affir-
mare poſſumus Petrum eſſe hominem, licet a-
licui reflexe poſſit incidere, abſolute poſſibile
eſſe, ſub ſpecie Petri latere dæmonem. Ad
Conf. Cum in tali caſu periculum errandi ſit
morale, & prudens, non amplius datur cer-
titudo reſpectiva; unde talis ruſticus obliga-
bitur aliunde ſibi comparare firmiora motiva
cre-

credibilitatis e. g. consulendo alios sapientiores, respiciendo ad communem, & constantem famam de tali doctrina, quæ datur in aliis pagis &c.

573 Obj. 3. Homines etiam rudes facile sibi possunt comparare certitudinem absolutam de vera Religione, & articulis in illa credendis, modo velint attendere ad motiva credibilitatis, ad quid enim alias ista motiva prodessent? Conf. Si sufficeret credibilitas respectiva, fides rudium fundaretur in ignorantia, & simplicitate; alias enim magis nasutulus facile dubitandi rationem deprehenderet. Resp Neg. Ant. quod falsum esse, satis patet ex num. 566. Requiruntur nihilominus, & serviunt motiva credibilitatis ad hoc, ut Religio vera evidenter credibilis reddatur absolute, & respectu omnium, ita ut etiam pertinaces nullam excusationem possint prætendere. Ad Conf. Dist. Ant. Fides rudium fundaretur in ignorantia tanquam motivo, Neg. Ant. tanquam in aliqua occasione vel conditione, Subdist. per se requisita, Neg. Ant. per accidens hic, & nunc data, Conc. Ant. Fides, quam in his casibus rudes eliciunt, proxime fundatur in ipsa auctoritate, & revelatione divina per lumen supernaturale applicata, remote fundatur in testimonio Parochi, ignorantia vero a rustico neque cognoscitur, neque illum movet, sed est præcise occasio fidei, sicut e. g. ignorantia, vel error, quo judicamus aliquem esse pauperem, qualis revera non est, potest esse occasio actus misericordiæ.

574 Dices. Etsi testimonium Parochi præcise secundum se consideratum non faciat certitudinem absolutam, facit tamen illam, si consideretur ut locutio ministri missi a Deo; nam talis locutio dependet a fide supernaturali loquen-

quentis, eique ſubſtituitur eo fere modo, quo locutio mere naturalis ſubſtituitur conceptui naturali loquentis. Conf. Saltem ſententia, quæ univerſim requirit credibilitatem abſolutam, melius ſalvat certitudinem fidei divinæ. Reſp. Neg. Ant. cum ratione addita. Quod enim Parochus non poſſit loqui, ut miniſter Dei, niſi actu eliciat fidem ſupernaturalem circa myſterium, quod proponit, prorſus gratis, & contra experientiam aſſeritur. Quod ſi etiam hoc requireretur, nihilominus credens nunquam certo poſſet cognoſcere, an in Parocho reipſa talis fides detur, & utrum ipſius doctrina ſit ab Eccleſia approbata. Ad Conf. Diſt. Ant. ita tamen, ut actus fidei reddatur longe difficilior, & ejus firmitas etiam in noſtra ſententia ſufficienter ſalvetur, Tranſ. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conſ.

QUÆSTIO V.

An ad actum fidei requiratur tanta apparentia credibilitatis pro articulo vero, & revelato, quanta dari nequit pro articulo falſo, & non revelato?

APparentia credibilitatis duplex eſt, una extrinſeca, quam etiam objectivam vocant; hæc fundatur in motivis credibilitatis pro veritate alicujus articuli afferri ſolitis: altera eſt intrinſeca, ſeu formalis, hæc etiam involvit illuſtrationem ſupernaturalem, per quam credenti immediate repræſentatur auctoritas, & revelatio divina. Juxta communiorem ordinarie ſe non habet, ut quod, ſeu per modum medii objectivi partialiter moventis ad fidem divinam, ſed tantum ut quo per modum applicationis intentionalis, ſicut cognitio 575

bo-

boni ſe habet ad amorem; nam illuſtratio divina ordinarie a fidelibus reflexe non cognoſcitur, ut docet experientia, & patere videtur etiam ex aliꝭs illuſtrationibus, & inſpirationibus divinis, quæ ad actus ſalutares ſibi correſpondentes ordinarie non movent objective, quemadmodum etiam apprehenſiones ſuaſivæ non movent ad aſſenſum primis principiis præſtandum, utpote quibus aſſentimur propter ſeipſa, alias deberet fieri proceſſus in infinitum.

576 Dicendum. Licet dari poſſit eadem apparentia credibilitatis extrinſeca pro articulo falſo, quæ datur pro articulo vero, nunquam tamen pro utroque poteſt dari eadem apparentia intrinſeca, & adæquata. Prob. 1 pars. Quia alias homines rudes, & ſimplices, quorum apparentia extrinſeca credibilitatis ordinarie nititur ſola auctoritate Parochi, aliorumque hominum paucorum, nec adeo doctorum, ut quæſt. præced. dixi, non poſſent elicere actum fidei divinæ, qui tamen ad Baptiſmum aliaque Sacramenta ſaltem fructuoſe recipienda in adultis prærequiritur, imo primum fundamentum eſt noſtræ ſalutis. Conf. Imprimis valde incertum, & probabilius falſum eſt, quod motiva extrinſeca credibilitatis debeant proponi, & cognoſci per illuſtrationem ſupernaturalem. Dein ſi ita cognoſci deberent, tamen illuſtratio, & apparentia illa ordinarie non poſſet diſcerni: ergo nihilominus dari poſſet ea apparentia externa, & diſcernibilis pro articulo falſo, quæ datur pro articulo vero.

577 Prob. 2 pars. Ad actum fidei divinæ requiritur illuſtratio ſupernaturalis Spiritus ſancti interius docentis, quod creditur eſſe verum, & a Deo revelatum; ſed hæc non poteſt

test dari pro articulo falso; alias Spiritus sanctus doceret falsum: ergo. Maj. Prob. auctoritate Scripturæ, in qua Christus Joan. 6 v. 44 ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* & versu sequente explicans modum, quo Pater homines trahat, addit: *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me;* rursus Joan. 14 v. 26 de Spiritu sancto loquens inquit: *Ille vos docebit omnia &c.*: quæ, & plura alia Scripturæ testimonia passim a Patribus, & Doctoribus explicantur de illustratione supernaturali ad actum fidei divinæ necessario prærequisita. Unde concilium Arausicanum II can. 7 ita definit: *Si quis per naturæ vigorem salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmet absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, hæretico fallitur Spiritu;* Tridentinum sess. 6 can. 3 anathema dicit asserenti: *Sine prævenientis Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.*

Ratio est, tum quia fides divina est actus 578
supernaturalis, tum quia est certissima, & immediate nititur auctoritate Dei revelantis: ergo credens hanc auctoritatem modo certissimo debet cognoscere; sicut enim conclusio non potest esse certior, quam præmissæ, ita objectum revelatum non potest certius cognosci, quam auctoritas revelantis; atqui credens auctoritatem, vel saltem revelationem divinam sine illustratione supernaturali non potest modo certissimo cognoscere, cum motiva credibilitatis externæ intellectum per se loquendo solum reddant moraliter certum; hinc S. Augustinus lib. de prædestinat. Sanct. explicans

verba Christi ex cap. 6 Joannis supra citata inquit: *Qui credunt prædicatione exterius sonante, intus a Patre audiunt, & discunt ;* ac tract. 3 in epist 1 Joan. prope finem: *Sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ ; si non intus sit, qui doceat, inanis sit strepitus noster ;* nempe ad credendum, sicut oportet.

Objectiones.

379 OBj. 1. Ad apparentiam credibilitatis requiritur illustratio supernaturalis : ergo pro articulo falso nunquam potest dari tanta, quanta datur pro vero. Conf. Illustratio supernaturalis juxta Patres, & Scripturam est quædam vox, locutio, & testimonium Dei: ergo ut cognita debet credentem ducere in cognitionem mysterii, quod Deus per illam vult manifestare ; locutio namque est signum a Deo positum cum intentione aliquid nobis manifestandi. Resp. Dist. Ant. ad apparentiam credibilitatis adæquatam requiritur illustratio supernaturalis, Conc. Ant. ad inadæquatam, Neg. Ant. & Dist. Cons. ergo pro articulo falso non potest dari tanta apparentia externa, Neg. Cons. interna, Subdist. realiter, Conc. Cons. apparenter, & discernibiliter, Neg. Cons. Nam utrum illustratio supernaturalis adsit, ordinarie non possumus discernere. Ad Conf. Transf. Ant. quia aliqui dicunt, quod tantum sit locutio late, & repræsentative, Neg. Cons. rationem additam, Dist. locutio est signum rei per ipsam significatæ semper instrumentale, Neg. saltem formale, Conc. Signum in genere est, quod vel formaliter, vel objective ducit in cognitionem alterius. Per formale intelligitur ipsa alicujus objecti cognitio : instrumentale est, quod

quod tanquam objectum cognitum in alterius cognitionem ducit, uti fit per voces externas, aliaque instrumenta materialia.

Dices 1. Illustratio supernaturalis est talis vox Dei, quæ a credente auditur: *Audiam, quid loquatur in me Dominus*, Psal. 84 v. 9: ergo debet reflexe cognosci, ut etiam indicat Apostolus 2 ad Cor. 13 v. 5 dicens: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate.* Conf. S. Augustinus lib. 11 de civit. cap. 3 interrogat, unde sciret, quod Moyses diceret verum; & respondet: *Intus in domicilio cogitationis veritas mihi diceret: verum dicit*; & l. 13 de Trinit. cap. 1 ait: *Ipsam fidem, quando inest in nobis, videmus in nobis*: ergo. Resp. Neg. Ant. Illustratio interna habet simul rationem locutionis, & auditionis; locutionis quidem, in quantum manifestat revelationem externam, & objectum revelatum; auditionis vero, in quantum revelatio externa per illam a nobis percipitur; unde non auditur reflexe illustratio, sed objectum revelatum. Apostolus solum loquitur de probatione, seu cognitione conjecturali, sicut quando 1 ad Cor. cap. 11 v. 28 exigit, ut ante sumptionem Evcharistiæ *probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Ex priore textu S. Augustini tantum probatur, quod interna illustratio requiratur tanquam medium ut quo, in posteriore loquitur de notitia experimentali, quam actu credens habet de sua fide generatim accepta, prout præscindit a naturali, & supernaturali. 580

Dices 2. S. Thomas hic q. 2. art 4 ad 3 docet, quod ad credendum inducamur auctoritate divinæ doctrinæ, miraculis confirmatæ, & quod plus est, instinctu interiore Dei inci- 581

tantis : ergo illustratio divina se habet, ut quod, & supplet defectum miraculorum. Conf. Quando Prophetae, aut alii homines elicuerunt actum fidei circa mysteria illis immediate per illustrationem internam revelata, illam reflexe debuerunt cognoscere : ergo a pari. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Inducimur juxta S. Thomam ad credendum tam auctoritate divinae doctrinae, quam interno instinctu, sed diverso modo, illa videlicet per modum motivi objectivi, hac per modum applicationis, quod plus est, quam si sola auctoritas doctrinae induceret. Quodsi illustratio etiam defectum miraculorum suppleret, ideo non deberet se habere prorsus eodem modo, imo posset nos movere, quin ejus supernaturalitas discerneretur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Lumen, quod habuerunt Prophetae, & nonnunquam in casu extraordinario etiam alii homines, non repraesentavit revelationem a se distinctam; unde speciali modo debuit proponi, ut reflexe cognoscibile, alias circa objectum, quod repraesentavit, non potuisset elici actus fidei, ex defectu nempe objecti formalis ad actum fidei indispensabiliter requisiti.

582 Obj. 2. Assensus fidei est certior, quam merentur motiva credibilitatis extrinseca: ergo praeter illa debet dari adhuc aliud motivum; atqui hoc non potest esse aliud, quam illustratio divina; nam auctoritas, & revelatio jam repraesentantur per motiva credibilitatis. Conf. Illustratio supernaturalis saltem in rudibus debet supplere defectum motivorum credibilitatis extrinsecae : ergo debet reflexe cognosci, sicut ipsa motiva. Resp. Concesso enthimemate Neg. min. subsumptam. Actus fidei objectum suum materiale non

non affirmat propter motiva extrinſeca credibilitatis, ſed propter auctoritatem Dei revelantis, quæ per illuſtrationem ſupernaturalem longe certius nobis repræſentatur, quam per motiva credibilitatis extrinſeca. Unde licet actus fidei non habeat aliud motivum, quam quod repræſentant motiva credibilitatis, habet tamen illud motivum longe alio, & certiore modo. Ad Conf. Diſt. Ant. Debet ſupplere defectum in hoc ſenſu, quod credentem directe certificet de exiſtentia revelationis, Conc. Ant. quod aſſumatur per modum motivi reflexe cogniti, Neg. Ant. & Conſ. Quamquam ſi etiam verum eſſet antecedens, nondum ſequeretur, quod non poſſit dari eadem apparentia diſcernibilis pro articulo vero, & falſo.

Dices 1. Illuſtratio prævia ſupernaturalis longe aliter afficit credentem, quam apprehenſio mere naturalis: ergo poteſt reflexe cognoſci, ut indicare videtur S. Auguſtinus tract. 40 in Joan., ubi inter alia ait: *Neſcio, quid incorporaliter, & ſpiritualiter in nobis facit Deus, quod ſentire facile eſt, explicare impoſſibile eſt.* Conf. Aliæ illuſtrationes ſupernaturales poſſunt diſcerni a mere naturalibus; nam multi ſe in confeſſione accuſant, quod illuſtrationibus, & inſpirationibus divinis reſtiterint: ergo a pari. Reſp. Diſt. Ant. aliter afficit directe, & in actu exercito, Conc. Ant. reflexe, & in actu ſignato, Neg. Ant. & Conſ. Equidem aliqui Auctores dicunt, præſente illuſtratione ſupernaturali credentem mox experiri, ſe circa articulum propoſitum non poſſe dubitare, vel ipſam illuſtrationem quaſi dicere: Ego ſum vox Dei certificans, quod e. g. Parochus verum loquatur: at ejusmodi 583

difcernicula communiter non experimur, multo minus tam certa funt, ut omne dubium tollant. Ad Conf. Dift. Ant. poffunt difcerni conjecturaliter, vel probabiliter, Conc. Ant, infallibiliter, & quidem ordinarie, Neg. Ant, Modo probabiliter judicemus, illuftrationem, quam repudiavimus, fuiffe a Deo, jam poffumus nos accufare de neglectu, ficut alias gratias dicimur negligere, fi non amplectimur bonum, ad quod nos alliciunt, quin illas, earumque fupernaturalitatem reflexe cognofcamus.

584 Dices 2. Etfi reflexe non advertamus, quod cognofcamus illuftrationem internam fub ratione locutionis divinae, non fequitur, quod revera illam non ita cognofcamus, cum plurimi actus in nobis dentur, quos ob nimiam tenuitatem non ita advertimus, ut fignate dicere poffimus, hos actus in nobis dari. Conf. Ex una parte illuftratio divina femper adeft, quando elicimus actum fidei divinae: ex altera parte per fe eft apta movere per modum objecti formalis habentis fe ut quod: ergo ita movet, non minus quam lumen ad videndum aliquod objectum, & lumen gloriae ad videndum Deum. Refp. Neg. Ant. Actus interni, de quibus nullam habemus experientiam, tunc folum admittendi funt, fi aliunde fufficienter probantur, unde autem probant Adverfarii dari ejusmodi cognitiones reflexas? Imo quomodo haec cognitio poffet effe tam tenuis, fi illuftratio effet maxime neceffarium motivum fidei. Ad Conf. Neg. Ant. quoad 2dum membrum. Lux naturalis dicitur objectum formale vifus; quia objectum manifeftat etiam ipfa, ut vifa: de lumine gloriae autem negat Viva, quod fit objectum formale Vi-

Visionis beatificæ, aitque illud tantum esse objectum materiale in Deo visum.

Obj. 3. Pro Religione vera in genere datur tanta discernibiliter apparentia credibilitatis, quanta dari nequit pro falsa: ergo etiam datur tanta pro quolibet articulo vero, alias nunquam possemus esse certi de veritate nostri assensus. Conf. Respectu totius Ecclesiæ pro quolibet articulo vero debet dari tanta apparentia extrinseca, quanta non potest dari pro articulo falso: ergo etiam respectu cujuslibet privati, cujus fides debet esse æque certa, ac firma, quam fides totius Ecclesiæ. Resp. Dist. Ant. Datur tanta apparentia respectu Doctorum, Conc. Ant. respectu rudium, Subdist. si sufficienter motiva penetrarent, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. & Conf. Nisi Religio vera in se esset evidenter credibilior, non haberetur sufficiens medium ad salutem, & per se posset dari obligatio amplectendi Religionem falsam: quod autem rudes hæc motiva non penetrent, est per accidens, neque ideo de suo assensu prudenter debent, aut possunt dubitare, nisi hic, & nunc occurrat prudens ratio, quod detur periculum falsi, ut ipsi Adversarii debent dicere, cum nostram sententiam saltem agnoscant ut probabilem. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Tanta apparentia respectu totius Ecclesiæ non præcise requiritur, ut actus fidei possit esse certus, ac firmus, sed quia Ecclesiæ promissa est assistentia Spiritus sancti, ne unquam in fide erret. 585

Dices 1. Ad actum scientiæ requiritur tanta apparentia veritatis, quanta non potest dari pro falsitate: ergo a pari; nam S. Thomas 1 2 q. 112 art. 5 ad 2 ait: *Quicunque habet scientiam, vel fidem, certus est se habere.* 586

Alias ſub eadem apparentia poſſet proponi articulus falſus oppoſitus neceſſariis neceſſitate medii. Conf. Quando Deus alicui immediate aliquid revelat, debet id facere cum tanta apparentia credibilitatis, ut non poſſit dari æqualis pro articulo falſo: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Ad actum ſcientificum requiritur evidentia metaphyſica, neceſſitans intellectum ad aſſenſum, quæ pro falſitate dari nequit, ſi verum eſt antecedens, & intellectus non æque poſſit neceſſitari per evidentiam putatitiam. Econtra objectum fidei non debet proponi evidenter, ne vero inculpabiliter decipiamur in neceſſariis neceſſitate medii, ſpectat ad providentiam Dei, ut talem errorem per ſpecialem illuſtrationem aut alio modo impediat. S. Thomas non loquitur de certitudine reflexa de ipſo actu fidei, ſed de directa eorum, quæ quis credit, ut colligitur ex verbis præcedentibus: *De ratione fidei eſt, quod homo ſit certus de his, quorum habet fidem.* Ad Conf. Neg. Ant. Ipſi Prophetæ interdum non ſatis diſcernebant, an ipſis vere loquatur Deus; hinc ſubinde aliqui errarunt in prophetando.

587 Dices 2. Ponamus, quod Parochus ruſtico ſimul proponat articulum verum, & falſum e. g. verbum aſſumpſiſſe naturam, & perſonam humanam: In hoc caſu ruſticus deberet credere utrumque, quia pro utroque pugnat eadem ratio, adeoque nullum ſine infidelitate poſſet negare; atqui hoc non poteſt fieri, cum utique falſum non poſſit credi fide divina. Conf. Ruſticus neque utrumque articulum poſſet credere per unum actum, alias totus actus eſſet falſus, & complexum ex utroque nunquam eſt a Deo revelatum: ne-

neque per duos actus, quia nihil est, per quod ad duos actus determinetur. Resp. Dist. Maj. Rusticus deberet credere utrumque fide supernaturali, Neg. Maj. naturali, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf. Rusticus in hoc casu per accidens quidem obligaretur, ut conaretur elicere fidem divinam de utroque articulo; at solus assensus articulo vero præstitus esset fides divina, eoquod Deus ad hunc solum posset dare illustrationem supernaturalem. Aliud est, quod rusticus etiam assentiendo articulo falso forte mereretur; hoc enim meritum non ipsi fidei, sed piæ affectioni tribuendum esset. Ad Conf. dico, utrumque articulum credi posse saltem per actus distinctos, ad hos vero rusticum determinari ex eo, quia non potest habere actum primum proximum ad utrumque fide supernaturali affirmandum. Quodsi etiam uterque articulus crederetur per eundem actum, hic actus in rigore summulistico quidem esset falsus, at non in quantum esset actus fidei, & affirmaret articulum revelatum.

Obj. 4. Assensus præstitus objecto materiali potest esse certior, quam assensus præstitus objecto formali: ergo non est opus, ut auctoritas Dei revelantis proponatur per illustrationem supernaturalem. Ant. Prob. Si aliquis Doctor in schola testetur, librum aliquem esse S. Augustini, illa, quæ in libro continentur, vera esse, certius credimus propter auctoritatem S. Augustini, quam illius Doctoris: ergo. Conf. Modo in actum fidei influat habitus supernaturalis, jam est certissimus: ergo auctoritas Dei loquentis non debet infallibiliter cognosci. Resp. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Ant. credimus certius propter auctoritatem S. Augustini, si aliunde de auctoritate, & testimonio illius constat, Conc. Ant. si hoc præci- 588

se constat ex testimonio hujus Doctoris, Neg. Ant. tunc enim quam falsum esse potest, quod liber ille sit S. Augustini, tam falsus potest esse assensus propter auctoritatem S. Augustini praestitus, & si Doctor ille prorsus nullius esset auctoritatis in testando, propter auctoritatem S. Augustini omnino non possem credere, vera esse, quae in illo libro continentur. Ad Conf. Neg. suppositum, quod habitus fidei possit influere in aliquem actum, qui non sit certus certitudine derivata ab objecto formali.

589 Dices. Juxta datam responsionem assensus iis, quae in libro S. Augustini continentur, praestitus esset aeque certus, etsi Doctor scholasticus non allegaret auctoritatem D. Augustini, sed immediate crederemus propter auctoritatem Doctoris scholastici; sequela est falsa: ergo. Conf. Saltem definitio Ecclesiae est motivum sufficiens ad affirmandam auctoritatem Dei loquentis, prout ad certitudinem fidei requiritur: ergo. Resp. Neg. Maj. universaliter acceptam, quia contingere potest, quod Doctor scholasticus sit longe majoris auctoritatis in testando, quod aliqua propositio e. g. dari peccatum originale in S. Augustino contineatur, quam in docendo per se ipsum eandem propositionem. Interim nisi testimonium, & auctoritas S. Augustini sit aliunde nota, tamen verum manet, quod assensus huic doctrinae propter auctoritatem S. Augustini praestitus non sit certior, quam mereatur illius Doctoris auctoritas in testando, hanc esse doctrinam S. Augustini. Ad Conf. Dist. Ant. Ecclesiae auctoritas mere humana est motivum sufficiens, Neg. Ant. prout est divina, Subdist. ita tamen, ut redeat tota difficultas, quomodo haec ipsa auctoritas certissime cognoscatur,

tur, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. & Conf. Quod Ecclesia habeat infallibilem assistentiam Spiritus sancti non potest certissime cognosci ex solis motivis credibilitatis, sed ex sola revelatione divina, quae ut sit certissima, iterum per illustrationem supernaturalem proponi debet.

Quæres. An, & qualis ad actum fidei requiratur pia affectio? Resp. Imperium voluntatis seu pium credulitatis affectum saltem ordinarie prærequiri ad actum fidei; nam actus fidei divinæ, qualem communiter eliciunt fideles, est proxime liber, & meritorius, ipsæque veritates fidei etiam post considerata, & rite penetrata motiva credibilitatis ordinarie non sunt evidentes, sed adhuc obscure proponuntur haud absque difficultate firmiter illis assentiendi: ergo non necessitant intellectum ad assensum præsertim talem, qui sit obsequium intentionale Deo loquenti præstitum. Imo ut tale obsequium detur, nequidem sufficeret, si voluntas se solum haberet permissive, & præcise non resisteret, sed requiritur, ut positive assensum firmissimum imperet; hinc concilium Arausicanum II can. 5 ad fidem requirit *Pium credulitatis affectum*; Tridentinum sess. 6 cap. 6 ait: quod *libere moveamur ad credendum*; S. Augustinus tract. 26 in Joan.: *Multa potest facere homo non volens, credere non potest nisi volens.* Neque obstat, quod forte alicui mysterio jam antea fuerimus assensi; nam ideo tale mysterium nobis non sit evidens, & sacra auctoritas non facit discrimen inter primum, & secundum, ac tertium actum fidei. Dixi tamen ordinarie, ut præscindam a casibus extraordinariis, quos aliqui formant ex variis revelationibus possibilibus. 590

DI-

DISPUTATIO IX.

De ultima reſolutione actus fidei divinæ.

591 Analyſis, ſeu reſolutio fidei eſt regreſſus mentis, quo actus fidei reducitur in ſua principia; ſicut igitur hæc principia varia ſunt, ſic etiam reſolutio fidei varia eſt. 1. Aſſenſus fidei effective reſolvitur in Deum, habitum infuſum, & intellectum, quia hæc tria principia juxta communem phyſice concurrunt ad efficiendum actum fidei. 2. Diſpoſitive reſolvitur in motiva externa credibilitatis, quæ intellectum ad aſſenſum fidei præparant. 3. Directive reſolvitur in auctoritatem Eccleſiæ, proponentis, ac definientis, quid ſit credendum. 4. Formaliter reſolvitur in ſua motiva intrinſeca, & immediata, quæ diximus eſſe auctoritatem, & ſuo modo revelationem divinam. Supereſt modo gravis difficultas, an auctoritas Dei revelantis ſit etiam motivum ultimatum, an vero aſſenſus fidei intrinſece, & eſſentialiter reſpiciat adhuc aliquod motivum remotius? in quo intellectus credentis ultimato quieſcat; nam illud motivum intrinſecum, in quo ultimato ſiſtit, ac quieſcit intellectus credentis, vocatur ultimum fidei reſolutivum.

592 Antequam hæc controverſia decidatur, declarandum, quomodo aſſenſus fidei in auctoritatem Dei revelantis feratur, circa quod Theologi non omnino conveniunt. Nam 1 aliqui cum Thyrſo Gonzalez exiſtimant ſufficere, quod auctoritas Dei revelantis affirmetur per actum aliquem diſtinctum, & ita natura priorem, ut actus fidei ſubſequens eſſentialiter ab illo actu præcedente dependeat, eo fere modo, quo multi in Philoſophia docent, quod præmiſſæ objectivæ non attingantur intrinſece ab ipſa concluſione, quamvis hæc eſſen-

tia-

tialiter a præmissis tanquam suo motivo dependeat. 2. Alii cum D. Thoma, Lug. Arriag. docent, ad actum fidei stricte, & proprie talem necessario requiri, ut præter suum objectum materiale etiam affirmet ipsam auctoritatem divinam. 3. Alii denique cum Suario, Valent. Tanner, omnino contendunt, auctoritatem Dei revelantis per quemlibet actum fidei signate credi debere.

QUÆSTIO I.

An auctoritas Dei loquentis per actum fidei debeat, vel saltem possit credi?

QUod auctoritas, & revelatio divina per 593
aliquos actus fidei possit, imo quandoque debeat credi, est communis, & adeo certa sententia, ut contrarium juxta Tannerum repugnet fidei. Quippe nulla hujus rei potest ostendi repugnantia, & auctoritas, ac revelationes quædam divinæ non minus in Scriptura sunt revelatæ, quam alia fidei mysteria. Sic de auctoritate divina Psal. 146 v. 5 dicitur: *Sapientiæ ejus non est numerus*, & ad Rom. 3 v. 4: *Est autem Deus verax*, de revelatione sæpe dicitur: quod *Verbum Domini factum sit ad Prophetas*, quod *Dominus locutus sit &c.* Ergo si auctoritas & revelationes divinæ alicui sufficienter proponuntur ut revelatæ, possunt credi, & si simul proponitur obligatio illas credendi, debent credi. Neque obstat, quod actus fidei æquivaleat prudenti discursui; ad hunc enim non requiritur, ut veritas in antecedenti affirmata sit realiter, & adæquate distincta a veritate consequentis; itaque prudenter sic discurri potest: Deus infinitæ auctoritatis revelavit, se esse summe veridicum: ergo est summe veridicus, vel si Deus

us

us infinite veridicus teſtatur ſe aliquid revelaſſe, tunc illud infallibiliter revelavit; ſed Deus infinite veridicus teſtatur ſe hoc revelaſſe : ergo &c. Vid. num. 543

594 At nulla ſufficiente ratione probatur, quod auctoritas, & revelatio divina in omni actu fidei debeat ſignate credi; dummodo enim quis credat myſterium e. g. Incarnationis propter auctoritatem, & revelationem divinam aliunde cognitam, & per illuſtrationem ſupernaturalem ſuaſive propoſitam, nihil deeſt fidei divinæ, ſicut nihil deeſt ad rationem fidei humanæ, ſi quis homini aliquid teſtanti credit propter ipſius auctoritatem aliunde perſpectam, & ipſius locutionem experimentaliter notam. Dein ſi credendo myſterium Incarnationis debeo ſimul credere auctoritatem, & revelationem, vel illas credo rurſus propter auctoritatem, & revelationem creditam, vel ſolum propter illam affirmatam? ſi primum, proceditur in infinitum: ſi ſecundum, non eſt ratio, quare non ſtatim ipſum myſterium credi poſſit propter auctoritatem, & revelationem divinam non quidem creditam, ſed affirmatam; nam etiam talis affirmatio habet ſummam certitudinem tanquam actus ſupernaturalis, & ſaltem ſubjective, & exercite nititur teſtimonio divino, in quantum auctoritas, & revelatio per illuſtrationem ſupernaturalem ſuaſive proponitur.

595 Si dicas, quod credendo myſterium Incarnationis revelatio non credatur propter aliam revelationem diſtinctam, ſed propter ſe in ſeipſam reflexam, in quantum Deus, quotiescunque nobis loquitur, ſimul implicite, ac virtualiter teſtatur, ſe eſſe ſumme veridicum, & illud nobis loqui; ideo non minus hæreticum eſſe, & Deum mendacem facere illum, qui negat auctoritatem, & revelationem di-

ve-

vinam, quam qui negat ipſum myſterium revelatum. Contra eſt 1, quia valde dubium eſt, an locutio Dei ſit ita in ſeipſam reflexa. 2. Si etiam eſſet, id plerumque a credentibus non cognoſceretur, & niſi tandem aliqua revelatio propter ſeipſam affirmaretur, in iſtis reflexionibus deberet in infinitum procedi. 3. Ex eo, quod negans auctoritatem, & revelationem divinam foret hæreticus, ſolum ſequitur, quod nunquam poſſit poſitive negari, aut etiam credi debeat tunc, quando ſimul ſufficienter proponitur obligatio illam credendi. Sic licet negans myſterium Incarnationis eſſet hæreticus, ideo illud non debet poſitive credi per quemlibet actum fidei.

Quæres. An actus fidei divinæ poſſit eſſe diſcurſivus? Nota 1, diſcurſus in genere eſt oratio, in qua unum infertur ex alio propter connexionem, quam cum illo alio habet. Dividitur in formalem, & virtualem. 2. Formalis eſt, qui conſtat pluribus propoſitionibus realiter diſtinctis, quarum una ita tempore, vel ſaltem natura alteram præcedit, ut hæc propter connexionem ex priore inferatur, ut fit in ſyllogiſmo, & enthimemate. 3. Diſcurſus virtualis eſt, qui conſtat unica realiter propoſitione, attamen quoad tendentiam, & vim illativam æquivalet pluribus realiter diſtinctis, uti contingit, quando veritas antecedentis, & illius connexio cum conſequente per ſolam apprehenſionem ſuaſivam proponitur, & immediate per eundem realiter indiviſibilem actum objectum materiale propter formale affirmatur. 4. Diſcrimen itaque præcipuum inter diſcurſum formalem & virtualem eſt, quod in virtuali veritas antecedentis, & connexio cum conſequente proponatur tantum per ſimplicem apprehenſionem, in diſcur- 596

ſu

ſu autem formali, per unum aut plures actus judicii. His notatis.

597 Reſp. 1. Cum communiſſima contra Coning, Oviedo &c. Fides divina poteſt eſſe diſcurſiva virtualiter; poteſt namque intellectus per præviam apprehenſionem ſuaſivam ſupernaturalem cognoſcere auctoritatem, & revelationem e. g. Incarnationis, & dein per actum judicativum immediate affirmare ipſum myſterium propter auctoritatem, & revelationem divinam dicendo: Credo Incarnationem, quia Deus ſumme veridicus illam revelavit, quæ enim in hoc repugnantia? atqui talis actus eſt verus actus fidei divinæ, & ſimul eſt diſcurſus virtualis, ut patet ex deſcriptione hujus diſcurſus ſuperius data. Ex quo etiam colligitur, quod ſtricte loquendo non ſit propoſitio cauſalis, utpote, quæ non neceſſario præſupponit apprehenſionem realiter diſtinctam, & ſuaſive proponentem ſolum objectum formale, ac illius connexionem cum objecto materiali.

598 Reſpondeo 2. cum communiore contra Suarez, Valent., & Thomiſtas, quod fides divina poſſit etiam eſſe diſcurſiva formaliter. Prob. Ferme ut ſupra, quia nulla poteſt oſtendi repugnantia, quare intellectus dependenter ab illuſtratione ſupernaturali nequeat per unum, aut duos actus in præmiſſis affirmare ſolam auctoritatem, & revelationem divinam, & dein primum in concluſione per actum realiter diſtinctum directe aſſerere myſterium revelatum propter auctoritatem & revelationem; atqui talis actus eſt actus fidei divinæ, cum unice nitatur auctoritate Dei revelantis, & ſimul eſt diſcurſus formalis: quemadmodum e. g. aliquis Thomiſta, qui juravit in verba Magiſtri, elicit actum fidei humanæ, ſi formaliter ita

ita discurrat : Quidquid docet S. Thomas, verum est; sed S. Thomas docet, non dari obligationem statim pœnitendi post commissum peccatum grave: ergo verum est, quod non detur ista obligatio.

Si ulterius quæras, quomodo ergo talis 599
actus fidei differat a conclusione theologica? dico per hoc, quod conclusio theologica pro objecto suo formali habeat ipsas veritates revelatas, vel unam saltem revelatam, & simul aliud principium; at actus fidei etiam in discursu formali pro objecto motivo adæquato habet solam auctoritatem Dei loquentis. Quamquam enim omnis discursus formalis nitatur bonitate consequentiæ objectivæ, seu connexione objecti præmissarum cum objecto conclusionis; hæc tamen ipsa connexio a parte rei potest consistere in auctoritate Dei loquentis, hic, & nunc per illustrationem supernaturalem proposita, ut patet in his discursibus. Existit revelatio Incarnationis facta a Deo summe veridico: ergo existit Incarnatio. Item si datur revelatio Incarnationis facta a Deo summe veridico, datur Incarnatio; sed datur revelatio Incarnationis &c. Simile quid contingit in isto syllogismo cathegorico : Quidquid Deus infinite veridicus revelavit, datur; sed Deus infinite veridicus revelavit dari Incarnationem : ergo datur. Ut enim hæc conclusio ex præmissis possit inferri, non debet necessario cognosci identitas duorum in tertio, sed sufficere potest illa connexio objectiva præmissarum, quam auctoritas Dei loquentis ex natura sua habet cum mysterio revelato.

QUÆSTIO II.

An auctoritas Dei loquentis per actum fidei necessario debeat affirmari?

600 Dicendum. Auctoritas Dei revelantis per quemlibet actum fidei proprie talem debet affirmari. Prob. 1 quoad auctoritatem. Actus fidei divinæ proprie talis debet intellectum immediate, & per se conjungere cum Deo; atqui hoc non faceret, nisi auctoritatem Dei intrinsece attingeret, & affirmaret: ergo. Maj. patet, quia fides divina est virtus theologica, quæ potentiam suam debet cum Deo conjungere non tantum imperfecte, & mediate; alias etiam actus Religionis, obedientiæ &c. essent actus virtutis theologicæ. Min. Prob. ex eo, quia actus fidei est actus intellectus, adeoque potentiam suam non potest aliter perfecte cum Deo conjungere, quam affirmando aliquam perfectionem divinam; licet enim Deum aliquo modo attingat etiam per simplicem apprehensionem, tamen iste modus est valde imperfectus, cum simplex apprehensio etiam stare possit cum dissensu; & posset fieri, ut quis objecto revelato assentiretur quidem propter aliud motivum, sed auctoritatem Dei haberet pro motivo neglecto, vel rejecto. Conf. Actus charitatis theologicæ debet intrinsece attingere bonitatem Dei amando: ergo actus fidei theologicæ debet auctoritatem Dei intrinsece attingere affirmando.

601 Probatur conclusio etiam quoad revelationem divinam: actus fidei divinæ proprie talis debet intrinsece attingere auctoritatem Dei: ergo etiam revelationem, sine qua auctoritas præcise secundum se spectata non posset ad assensum fidei movere, ut adeo etiam re-

revelatio ad objectum formale fidei divinæ pertineat. Certe si semel admittatur, quod per omnem actum fidei debeat affirmari auctoritas, non amplius apparet ratio, cur id negetur de revelatione divina, sive dein sit motivum partiale fidei, sive tantum necessaria illius applicatio. Conf. Actus fidei est discursus virtualis, vel propositio causalis, in qua objectum materiale affirmatur propter formale: ergo actus fidei non solum debet affirmare suum objectum materiale, sed etiam formale, una cum iis, quæ necessario ad illud ita requiruntur, ut alias movere non posset; nam propositiones causales, & discursus virtuales æquivalenter sunt copulativæ, quæ omnia sua membra simul affirmant, ut ex summulis constat.

Objectiones.

OBj. 1. Ratio virtutis theologicæ satis salvatur, modo Deum unum, & trinum per 602
præcipuos suos actus attingat tanquam suum objectum materiale: ergo actus fidei divinæ non debet intrinsece affirmare auctoritatem Dei in loquendo. Conf. Credens auctoritatem Dei satis appretiat per piam affectionem, per quam illam præfert omni alteri auctoritati: ergo. Resp. Neg. Ant. Habitus, & actus virtutum in consideratione theologica non specificantur a suo objecto materiali, sed a formali, & de ratione virtutis theologicæ est, ut omnes, & singuli ejus actus proprie tales potentiam rationalem immediate, & perfecte cum Deo conjungant, cum pro omnibus eadem pugnet ratio. Ad Conf. Neg. Ant. Fides est virtus theologica intellectualis, pia affectio autem se tantum habet ex parte voluntatis, neque pro ob-

jecto formali sibi proprio respicit auctoritatem Dei revelantis, sed honestatem creatam relucentem ex eo, quod propter auctoritatem Dei objecto revelato præstetur assensus firmissimus.

603 Dices. Ad actum theologicum sufficit, si essentialiter exigat alium actum præcedentem, per quem intrinsece Deus attingitur: ergo sufficit, si auctoritas Dei cognoscatur per judicium, & apprehensionem suasivam præviam, & ideo postea affirmatur objectum revelatum. Conf. Posita cognitione prævia auctoritatis divinæ voluntas potest imperare assensum præstandum soli mysterio, vel Deus ad hoc solum affirmandum concurrere; sed talis actus est fides divina, utpote assensus præstitus propter auctoritatem Dei revelantis: ergo. Resp. Neg. Ant. Sed actus theologicus per se ipsum debet potentiam cum Deo conjungere, unde ejusmodi actus vel tantum esset donum illud Spiritus sancti, quod a D. Thoma vocatur intellectus, vel actus fidei theologicæ reductive talis, ut vult Cardenas; quippe etiam qui apprehensa bonitate divina solum amaret aliud objectum, quin ipsam bonitatem Dei amaret, non eliceret actum charitatis theologicæ, sed alterius virtutis innominatæ. Hinc ad Conf. Conc. Maj. Dist. min. Talis actus esset fides divina theologica proprie, ac stricte talis, Neg. min. late, & reductive talis, Conc. min. & Neg. Conf.

604 Obj. 2. Actus fidei divinæ debet esse liber; atqui non esset liber, si intrinsece attingeret auctoritatem Dei revelantis: ergo. Min. Prob. Mysterium revelatum tali modo fieret evidens, cum evidens sit dari illud mysterium, quod Deus summe veridicus revelavit. Conf. Actus liber non

non debet per ſeipſum intrinſece attingere ſua motiva, ſed ſufficit, quod illa proponantur per cognitionem præviam: ergo a pari. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Ad Prob. Diſt. Ant. myſterium revelatum fieret evidens abſolute, Neg. Ant. conditionate, ſi videlicet objectum reipſa ſit revelatum, Conc. Ant. Ipſa revelatio divina ordinarie non eſt evidens, ſed obſcura, adeoque non eſt evidens, quod conditio ſit purificata, ſed per actum fidei jam affirmatur aliquid obſcurum, ad quod proin affirmandum opus eſt imperio voluntatis, a quo actus fidei liber denominatur. Ad Conf. Diſt. Ant. ſi libertas actui libero eſt extrinſeca, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ. tunc enim diſparitas eſt, quia aliunde probatur, quod virtus theologica debeat eſſentialiter ſuam potentiam perfecte cum Deo conjungere; quæ ratio non pugnat pro quolibet actu libero, quamquam multi contendant, etiam hunc debere attingere motiva allicientia, præſertim ſi ſit actus honeſtus.

Dices. Actus fidei poteſt eſſe formaliter 605
diſcurſivus: ergo ſufficit, ſi auctoritatem Dei revelantis affirmet per actus prævios. Conf. Concluſio ſe non neceſſario reflectit ſuper præmiſſas objectivas: ergo in concluſione non amplius debet affirmari auctoritas Dei revelantis. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. vel ponitur, quod in hoc caſu actus fidei conſiſtat in toto diſcurſu formali, vel in ſola concluſione? ſi primum, auctoritas Dei revelantis attingitur per ipſam fidem, quæ tunc intrinſece etiam ex præmiſſis conſtituitur. Si ſecundum, concluſio non erit actus fidei proprie talis, niſi de novo iterum auctoritatem Dei revelantis affirmet, quia nomine fidei communiter intelligitur non tantum aliquis actus mediatus, ſed

actus unicus, qui simul attingit objectum materiale, & formale. Ad Conf. Transmisso antecedente potest ita Dist. Conf. nisi in conclusione eliciatur actus virtutis theologicæ, Trans. Conf. secus, Neg. Conf. Etiam actus charitatis simul cum objecto materiali debet attingere bonitatem Dei tanquam suum objectum formale.

606 Obj. 3. Juxta nos auctoritas Dei revelantis per actum fidei non tantum deberet affirmari, sed omnino credi; hoc nimium: ergo. Maj. Prob. objectum formale charitatis theologicæ debet amari per actum charitatis: ergo a pari. Conf. Fideles, præsertim rudes, quando eliciunt actum fidei, raro intrinsece attingunt, & affirmant objectum formale: ergo. Resp. Neg. Maj. ad Prob. Conc. Ant. Neg. Conf. disparitas est, quia voluntas in actu charitatis non potest aliter potentiam suam perfecte unire objecto formali, quam amando; at intellectus non solum credendo, sed etiam affirmando potest perfecte uniri auctoritati divinæ. Ad Conf. Dist. Ant. raro affirmant objectum formale explicite, & sub terminis formalibus, Trans. Ant. implicite, & sub terminis æquivalentibus, Neg. Ant. Quamvis fideles, dum eliciunt actum fidei, sæpius reflexe, & signate non advertant ad motivum formale, solent tamen illud attingere implicite, & sub terminis æquivalentibus, in quantum mysterium affirmant propter motivum, ob quod alias illud crediderunt, vel in quantum eidem assentiuntur tanquam doctrinæ divinæ, in qua aliquid plus, quam humanum; hinc Marinus ait, non excludi a ratione fidei tales actus fidelium: credo, quod tenet Ecclesia, quod credendum esse docet Parochus &c., tum quia per

per ipſam vocem credo, ſignificatur aſſenſus propter auctoritatem Dei loquentis, tum quia rudes doctrinam Eccleſiæ, ac Parochi concipiunt ut ipſis a Deo revelatam, licet terminis ſcholaſticis id explicare nequeant.

QUÆSTIO III.

Quomodo per actum fidei poſſit affirmari auctoritas, & revelatio divina?

DIcendum. Auctoritas, & revelatio divina 607
poſſunt per illuſtrationem ſupernaturalem ita ſuaſive proponi, ut propter ſeipſas, ſeu propriam veritatem objectivam immediate poſſint affirmari. Ita Suarez, Lugo, aliique ex noſtris communiter. Prob. 1 pars. Ex una parte in tali caſu nulla eſt repugnantia, cum utique iſti termini, Deus, & ſumme veridicus poſſint intellectui ſuaſive proponi tanquam neceſſario inter ſe connexi: ex altera parte alia attributa divina, quæ important puram perfectionem, ſolemus affirmare immediate, modo illa prius apprehendamus: ferme ſicut immediate affirmamus prima principia propter veritatem objectivam per apprehenſiones ſuaſivas propoſitam, quin propterea ipſæ apprehenſiones reflexe cognoſcantur, & rationem motivi habeant: ergo etiam auctoritas divina immediate propter ſeipſam poteſt affirmari, ſi proponatur per illuſtrationem ſuaſivam, id eſt, talem, quæ intellectum potenter ad aſſenſum inclinet, & nullam prudentem formidinem admittat, etſi regulariter non ſit tam clara, ut reflexe cognoſcatur. Conf. Ex praxi fidelium, qui dum eliciunt actum fidei, myſterio quidem propter auctoritatem divinam; ipſi vero auctoritati divinæ non iterum

propter aliquod motivum distinctum solent assentiri, sed illam ordinarie concipiunt tanquam aliquid per se certum, & indubitatum.

608 Probatur 2 pars. Quælibet veritas objectiva creata, quando intellectui vel per se ipsam, vel per vicariam sui speciem sufficienter est applicata, potest movere intellectum ad assensum immediate sibi præstandum non minus, quam bonitas sufficienter applicata voluntati eandem immediate potest movere ad sui amorem: ergo revelatio divina per illustrationem suasivam ita potest applicari intellectui, ut immediate propter se ipsam possit affirmari. Neque obstat, quod existentia revelationis non amplius sit præsens, sed physice præterita, obscura, & mere contingens; nam quando recordamur, nos aliquando elicuisse hos vel illos actus intellectus, & voluntatis, has veritates affirmamus immediate propter se ipsas, & tamen existentia horum actuum fuit mere contingens, est jam præterita, & hic & nunc sæpe nobis per species rememorativas tantum obscure applicatur. Conf. Quando assentimur veritati contingenti, & probabili, non habemus motivum evidens, & evidenter connexum; alias ipsa veritas esset evidens: ergo ultimato debemus assentiri veritati contingenti, & obscuræ propter seipsam, nisi in motivis velimus procedere in infinitum.

609 Probatur, & declaratur eadem pars ulterius. Qui actu habet revelationem mere internam, uti habuerunt Prophetæ, quibus Deus sæpe locutus est per illustrationes supernaturales etiam obscuras, potest immediate affirmare, dari hanc revelationem, quia revelatio per actualem præsentiam applicata per seipsam determinat intellectum ad cognitionem sui: ergo eo-

eodem modo poteſt affirmari revelatio præterita ſuaſive propoſita, quia defectum & abſentiam illius realem ſupplet ſpecies vicaria, quæ utique a Deo infundi poteſt. Sane quando Abraham habuit revelationem, quod Chriſtus ex ſuis poſteris ſit naſciturus, non ſolum tunc ejusmodi revelationem potuit affirmare propter ſe ipſam, ſed etiam poſtea iterum illius recordari, & absque alio motivo cognoſcere, quod exſtiterit. Conf. Poſtquam aliquis ſæpius aſſenſus eſt veritati contingenti, & obſcuræ propter aliquod motivum diſtinctum, poſtea easdem veritates ſæpe affirmat, præciſe quia ſpecies de illis occurrunt, quin ſe reflectat, an, & a quo has veritates audiverit, legerit, viderit &c.: ergo multo magis Deus ſupernaturaliter poteſt talem illuſtrationem infundere, vi cujus revelationes præteritas immediate propter ſe ipſas cognoſcamus, & illas ſine omni formidine affirmemus.

Objectiones.

OBj. 1. Auctoritas Dei per illuſtrationem 610
ſuaſivam neque poteſt cognoſci evidenter, alias actus fidei non amplius eſſet obſcurus; neque poteſt cognoſci obſcure, quia illa ſola immediate cognoſcuntur, quorum termini apprehenduntur ut evidenter connexi. Conf. Si auctoritas Dei cognoſceretur immediate, cognoſceretur intuitive; ſed a credentibus non cognoſcitur intuitive: ergo. Reſp. Neg. Ant. quoad utrumque membrum. Nam 1 auctoritas Dei ſe ſola non poteſt proxime movere ad actum fidei; revelatio autem ordinarie tantum cognoſcitur obſcure: conſequenter etiam myſterium revelatum tantum obſcure cognoſcitur. 2. Ut ali-

qua possint immediate in se cognosci non semper requiritur evidens terminorum connexio, alias nulla posset dari conclusio tantum probabilis. Interim auctoritas divina communiter videtur proponi evidenter, quia gratia se accommodat naturæ, & lumen naturale hanc veritatem: Deus est summe veridicus, solet evidenter proponere. Ad Conf. Neg. Maj. Ad cognitionem intuitivam non sufficit, quod objectum immediate affirmetur sine motivo distincto, sed insuper varia requiruntur: e. g. ut cognitio sit evidens, ut objectum ad illam concurrat immediate per seipsum vel species proprias. Addit Oviedo, objectum etiam non debere cognosci per modum alterius velut in simulacro; hinc actus etiam proprios a nobis non videri intuitive, quia illos apprehendimus instar objectorum, quæ sensu percipiuntur.

611 Dices 1. Auctoritas Dei, prout est motivum fidei, involvit existentiam Dei; sed existentia Dei non affirmatur immediate propter se, cum non sit nota per se, & ex terminis saltem quoad nos: ergo. Conf. Hæc veritas conditionalis: Si Deus existit, est summe veridicus, non potest movere ad aliquod objectum absolute credendum: ergo ipsa existentia Dei semper debet affirmari. Resp. Dist. Maj. Auctoritas Dei in sensu absoluto involvit existentiam Dei, Conc. Maj. in sensu conditionato, Neg. Maj. Ad actum fidei sufficit, quod auctoritas Dei affirmetur conditionate, nempe Deum esse summe veridicum, si existit, quæ propositio videtur esse per se nota. Imo non est ratio, quare non etiam hæc propositio: Deus existit, & est summe veridicus, ita suasive proponi possit,

ſit, ut immediate propter ſe affirmetur, præſertim poſtquam eandem ſæpius jam ob aliud motivum affirmavimus. Nec ideo erit per ſe nota quoad nos, quia nobis initio non ita ſolet innoteſcere, ut apprehenſo ſubjecto ſine diſcurſu ſtatim evidenter cognoſcamus, illi convenire prædicatum. Ad Conf. Diſt. Ant. niſi conditio purificetur, Conc. Ant. ſi purificatur, Neg. Ant. credens per actum fidei ſimul affirmat, Deum revera myſterium credendum revelaſſe, per quod ſaltem implicite affirmat Deum exiſtere.

Dices 2. Si ad hoc, ut auctoritas divina 612
poſſit movere, debet purificari conditio, hoc ipſo auctoritas debet affirmari abſolute: ergo data reſponſio non ſubſiſtit. Conf. Auctoritas Dei in ſenſu conditionato poteſt evidenter cognoſci per apprehenſiones mere naturales: ergo ad illam affirmandam non eſſet opus illuſtratione ſupernaturali. Reſp. Diſt. Ant. auctoritas debet affirmari abſolute, immediate, & explicite, Neg. Ant. mediante revelatione, & implicite, Tranſ. Ant. & Neg. Conſ. Hæc propoſitio conditionata: Si Deus exiſtit, eſt veridicus, per adjunctionem alterius non mutat ſuam naturam, ſed manet in ſe conditionata, licet per alteram purificetur conditio. Interim non nego, quod ordinarie, quando aliquod myſterium affirmamus, illud affirmemus propter auctoritatem Dei acceptam in ſenſu abſoluto. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Tum quia alibi jam probavi, quod ad actum fidei divinæ requiratur illuſtratio ſupernaturalis, tum quia actus fidei in ſuo ſenſu habet majorem certitudinem infallibilitatis, quam actus tantum naturaliter evidens; hinc etiam habitus fidei in illum non influit, niſi motivum for-

formale per lumen ſupernaturale ſit applicatum.

613 Obj. 2. Nulla veritas poteſt affirmari propter ſeipſam, niſi vel ſit nota ex terminis, vel cognoſcatur intuitive, vel conſtet ab experientia; atqui revelatio divina non ita conſtat. Nam 1 hæc veritas: Deus revelavit Incarnationem, non eſt nota ex terminis, quia ſubjectum, & prædicatum non habent neceſſariam, & evidentem connexionem. 2. Non cognoſcitur a nobis intuitive, quia de illa non habemus ſpecies proprias, multo minus evidentes. 3. Non conſtat ab experientia; non enim nos ipſi audivimus vocem Dei, qua Joanni dixit: Verbum caro factum eſt. Conf. Extra tres modos aſſignatos nulla datur prudens ratio affirmandi objectum: ergo. Reſp. Neg. Maj. Quamvis his modis ordinarie ſoleamus veritates propter ſeipſas immediate affirmare; ſupereſt tamen inſuper alius, ſi nempe veritas proponatur per apprehenſionem ſuaſivam ad judicium inclinantem, ut patet ab exemplis, quæ in probationibus attulimus. Ad Conf. Diſt. Ant. Nulla datur prudens ratio diſtincta a veritate objecti, Conc. Ant. cum ipſa identificata, Neg Ant. Si objectum per apprehenſionem non mere indifferentem ad verum, & falſum, ſed modo ſuaſivo proponitur, ipſa veritas objectiva ita repræſentata eſt ratio illam affirmandi.

614 Dices 1. Veritas latens, & obſcura non poteſt movere intellectum ad prudentem aſſenſum ſine motivo diſtincto. Sic licet ponatur a parte rei verum eſſe, quod Papa nunc loquatur, quia tamen hæc veritas mihi eſt obſcura, non poſſum illam absque motivo diſtincto affirmare; atqui etiam hæc veritas: Exiſtit

ſtit revelatio Incarnationis, eſt obſcura: ergo. Conf. Revelatio præterita Incarnationis eſt aliquid mere contingens, & indifferens ad exiſtendum, vel non exiſtendum: ergo in illa nulla poteſt apparere ratio ſuadens potius exiſtentiam, quam non exiſtentiam. Reſp. Diſt. Maj. niſi talis veritas fiat ſaltem probabiliter apparens per illuſtrationem ſuaſivam, Conc. Maj. ſecus; Neg. Maj. Si exiſtentia præterita mei actus ita naturaliter mihi proponi poteſt, ut illam immediate valeam affirmare, cur revelationem præteritam non ita poſſit proponere illuſtratio ſupernaturalis; per quam juxta S. Auguſtinum lib. 2 de peccat. merit. cap. 7: *Innoteſcit, quod latebat*; & quæ 1 Petr. 2 v. 9 dicitur: *Admirabile lumen fidei.* Ad Conf. Diſt. Ant. revelatio præterita eſt, vel potius fuit indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum antecedenter, Conc. Ant. etiam conſequenter, ſeu poſtquam aliquando exſtitit, Neg. Ant. tunc enim determinate, imo neceſſario verum eſt, quod exſtiterit: adeoque potius ejus exiſtentia quam non exiſtentia ſuaſive poteſt proponi, ſicut quando objectum contingens exiſtit actu.

Dices 2. Illuſtratio ſupernaturalis propo- 615
nit objectum, prout eſt in ſe: ergo revelationem ut neutram, ſeu indifferentem ad exiſtendum, & non exiſtendum: ergo non poteſt inclinare intellectum ad affirmandam exiſtentiam. Conf. Revelatio præterita poteſt proponi ſuaſive, & non ſuaſive: ergo ut proponatur ſuaſive, debet proponi per motivum diſtinctum. Sic licet centies apprehendam ſtellas eſſe numero pares, non poſſum prudenter perſuaderi ad hoc affirmandum, niſi proponatur aliud motivum diſtinctum. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conf. ergo proponit revelationem ut neutram,

tram, & indifferentem antecedenter, Conc. Conf. etiam consequenter, Neg. Conf. Nonenim proponit revelationem ut mere possibilem, sed ut aliquando jam actu positam, & existentem. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Sicut aliæ cognitiones non semper inter se differunt ex parte objecti, sed sæpe ex solo modo tendendi intrinseco in objectum, ut patet in cognitione clara, & obscura, judicativa, & apprehensiva ejusdem objecti: ita apprehensio suasiva a non suasiva, seu neutra differe potest ex solo modo tendendi in idem objectum, qui modus notior est à propria experientia, quam ut debeat, aut possit ulterius explicari, sicut alias tendentias actuum nostrorum internorum non possumus clarius explicare, quam experimur. Apprehensio numeri stellarum non solet esse suasiva, alias etiam illam immediate propter se affirmare possemus.

616 Obj. 3. Quandocunque naturaliter videmur affirmare aliquam veritatem immediate propter se, semper attingimus motivum aliquod distinctum, licet id signate non possimus advertere: ergo exempla in probationibus allata nihil probant. Ant. Prob. Musicus ludens fidibus semper habet cognitionem motus artificiosi, etsi reflexe illam non advertat: ergo à pari. Conf. Potest dici, quod ad tales actus moveat, vel ipsa ratio, ob quam prima vice veritatem affirmavimus vel memoria priorum actuum: ergo. Resp. Neg. Ant. Quippe nulla est necessitas, ut reclamante experientia ejusmodi tenues cognitiones motivorum adstruamus, quæ nequidem ad affirmandam veritatem viderentur sufficere, sicut juxta Adversarios non sufficerent ad assensum primum firmiter, ac distincte præstandum. Si in musico

ſico tales cognitiones admitti debent, ſpecialis ratio eſt, quia potentia loco motiva debet determinari ab imperio voluntatis; voluntas autem dirigi ab intellectu. Ad Conf. Neg. Ant. Quod enim ſemper primam rationem iterum cognoſcamus, rurſus eſt contra experientiam. Per memoriam vel intelligitur ipſa potentia rememorativa? & hæc eſt prorſus indifferens ad exiſtentiam vel non exiſtentiam actus: vel ſpecies rememorativæ? & iſtæ plerumque ſe tantum habent per modum applicationis: vel apprehenſiones ab his ſpeciebus ortæ? ſed raro cognoſcuntur reflexe: vel denique ipſe præſens actus judicii? at de hoc quæritur, quonam motivo nitatur?

Dices 1. Objectum, quod prima vice tantum amavimus propter aliud, tanquam medium, poſtea nunquam poſſumus amare propter ſe, ſed ſemper illud amamus propter aliud ſaltem implicite: ergo objectum, quod initio non potuimus affirmare propter ſe, etiam poſtea non poſſumus affirmare, niſi propter motivum diſtinctum. Conf. Species ab actibus præteritis relictæ conſtituunt habitum, qui dein inclinat ad actus ſimiles: ergo dependenter ab his ſpeciebus poſtea objectum rurſus affirmatur propter motivum diſtinctum. Reſp. Diſt. Ant. tale objectum poſtea non poſſumus amare propter ſe, ſi in illo nulla appareat bonitas abſoluta, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. dantur quædam objecta, quæ nullam videntur habere amabilitatem abſolutam, ut e. g. potio medica, quæ cum nec honeſta, nec delectabilis ſit, ſolum amari poteſt propter ſanitatem; at quælibet veritas in ſeipſa eſt cognoſcibilis, & affirmabilis; hinc licet initio ex defectu ſpecierum veritatem repræſentantium, tantum potuerit affirmari ob motivum diſtinctum, acquiſitis 617

ſitis

fitis postea sufficientibus speciebus potest immediate affirmari propter se, sicut objectum postea etiam propter se amari posset, si cognosceretur ut absolute bonum. Ad Conf. Neg Ant. Habitus acquisiti non semper inclinant ad actus omnino, & quoad omnia similes. Sic qui sæpe intensissime amavit Deum, acquirit facilitatem amandi Deum etiam remisse.

618 Dices 2. Actus nostri præteriti e. g. revelatio Abrahamo facta prius exstiterunt in nostro intellectu, & habemus de illis species proprias: ergo non est paritas cum aliis revelationibus, quarum tantum species alienas habemus. Conf. Saltem quando aliquam veritatem obscuram affirmamus propter se, motivum affirmandi est probabilitas, vel connexio probabilis motivi evidentis cum veritate affirmata: ergo semper habetur aliquod motivum distinctum, quin sequatur processus in infinitum. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Si aliquando admitti debet, quod veritas obscura, quæ prius in intellectu nostro exstitit, sine motivo distincto possit cognosci, non amplius est ratio, quare Deus non etiam possit infundere species alienas, vel proprias, vi quarum immediate propter se possint cognosci alia objecta, quæ antea nunquam a nobis fuerunt cognita, etiamsi physice non amplius existant. Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Sive probabilitas dicatur consistere in connexione cum motivo probabili, sive cum principio evidente, semper redit quæstio, propter quid hæc connexio affirmetur, & nunquam sistitur processus, nisi dicatur, quod affirmetur propter seipsam. Aliud est, quod probabilitas evidenter possit cognosci per cognitionem reflexam e. g. dicendo: Probabile est, dari scientiam mediam; at non

non semper facimus ejusmodi propositiones reflexas, & modales.

Obj. 4. Si revelatio incarnationis posset immediate affirmari propter se, etiam ita posset affirmari mysterium revelatum, hoc admitti nequit, alias frustrata essent motiva credibilitatis; & ipsa revelatio externa. Conf. Si auctoritas Dei revelantis proponeretur suasive, intellectus absolute necessitaretur ad assensum; nam species suasivæ removent omne motivum retrahens. Resp. Dist. Maj. mysterium revelatum posset affirmari propter se per actum fidei, Neg. Maj. per alium actum, Subdist. si proponeretur suasive, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. & suppositum, quod defacto præsertim ante primum assensum mysteria revelata ordinarie suasive proponantur. Ratio est beneplacitum Dei, qui a nobis exigit fidem proprie dictam, eamque per media humana in nobis vult propagari ad subordinationem inter pastores, & oves conservandam; hinc motiva credibilitatis sunt quædam conditio, sine qua ordinarie nequidem infunditur illustratio suasiva de revelatione, licet id probabilius factum sit in Prophetis, & Apostolis. Ad Conf. Neg. Ant. Illustratio supernaturalis non ita omnia impedimenta removet, ut ideo intellectus ad assensum revelationi, aut mysterio præstandum necessitetur. Vid. num. 590. 619

Dices. Si auctoritas Dei revelantis suasive proposita nondum ad mysterium affirmandum necessitaret, semper requireretur duplex illustratio, una ad formandam piam affectionem, altera ad assensum mysterio præstandum; hoc non videtur verum, præsertim apud illos, qui fidem jam sæpius elicuerunt, & apprehensa credibilitate mysterii statim assensum fir- 620

missimum sibi imperare solent. Conf. Objectum formale fidei debet esse magis notum, quam objectum materiale; atqui hoc non fieret, si auctoritas Dei revelantis tantum proponeretur obscure : ergo. Resp. Neg. Maj. Quamvis nobis nihil obesset, non tamen apparet, cur non una, eademque illustratio possit simul plura objecta proponere, repræsentando existentiam revelationis, & honestatem credendi, quæ per se loquendo est objectum formale piæ affectionis, quamvis per accidens etiam ex aliis motivis e. g religionis, obedientiæ, charitatis &c. elici possit; hinc non est necesse, ut pia affectio illustrationem suasivam auctoritatis divinæ præcedat, imo si illam subsequatur, facilius potest explicari, quomodo voluntas valeat imperare assensum firmissimum. Ad Conf. Dist. Maj. objectum formale fidei debet esse magis, id est, prius notum, Conc. Maj. id est clarius, aut certius, Neg. Maj. licet intellectus a certioribus, & magis claris soleat procedere in naturalibus, id non semper debet fieri in supernaturalibus, imo etiam hic intellectus procedit a motivis credibilitatis ad affirmandam auctoritatem divinam, quam tamen propter illa non affirmat in ipso actu fidei.

QUÆSTIO IV.

In quid formaliter, & ultimato resolvatur actus fidei divinæ?

621 Dicendum 1. Actus fidei divinæ, ut est affirmativus auctoritatis divinæ ultimato resolvitur in hanc ipsam auctoritatem per illustrationem supernaturalem suasive propositam. Ita Lugo, Ripald, Haunold, &c. Prob. In

lud fides divina formaliter, & ultimato resolvitur, in quo intellectus reddendo rationem de suo assensu intra lineam fidei quiescit, quin ulterius ad aliud motivum formale progrediatur; atqui intellectus reddendo rationem de assensu fidei quiescit in auctoritate divina per illustrationem supernaturalem proposita, quin in linea fidei ulterius progrediatur: ergo. Min. Prob. Intellectus per assensum fidei affirmat mysterium revelatum propter auctoritatem Dei, ipsam vero auctoritatem suasive propositam propter seipsam; cum enim isti duo termini Deus, & ens summe veridicum necessario inter se sint connexi, sine omni alio motivo possunt affirmari, modo per illustrationem suasive proponantur, ut quæst. præcedent. ostendi. Conf. Ex una parte assensus mysterio revelato ob auctoritatem Dei loquentis, propter seipsam affirmatam præstitus, est vere actus fidei divinæ, ut patet ex ipsius conceptu: ex altera parte experientia videtur testari, quod fideles elicientes actum fidei auctoritatem divinam non affirment propter novum motivum, sed propter seipsam: ergo.

Dicendum 2. Actus fidei, ut est affirmativus revelationis divinæ, ultimato resolvitur in ipsam revelationem divinam per illustrationem supernaturalem suasive propositam. Ita Suarez, Tanner, Arriaga &c. Prob. ferme, ut supra. Ex una parte etiam revelatio divina per illustrationem supernaturalem suasive proposita potest immediate affirmari propter seipsam, & ita affirmata fundare cum auctoritate divina assensum fidei: ex altera parte non potest convenienter assignari aliud motivum distinctum, propter quod affirmetur revelatio divina: ergo intellectus quiescit in ipsa revelatione divina propter seipsam affir- 622

mata, quin in linea fidei ulterius progrediatur. Ant. quoad 1mum membrum rursus patet ex quæst. præcedent. quoad 2dum patebit ex solutione objectionum. Conf. Quando fideles interrogantur, quare hoc, vel illud mysterium credant, communiter respondere solent, quia Deus summe veridicus id revelavit: ergo quiescunt in sola auctoritate Dei revelantis, sicuti quiescunt in sola bonitate Dei de se digna supra omnia amari, quando eliciunt actum charitatis.

623 Probatur utraque conclusio simul. Quando sacra Scriptura nos hortatur ad fidem divinam, pro motivo allegat solam auctoritatem, & testimonium Dei, alias vero rationes mere humanas, & naturales positive excludit: ergo actus fidei ultimato resolvitur in auctoritatem, & testimonium Dei. Ant. patet ex num. 533, & ex illo Apostoli 1 ad Cor. 2 v. 4: *Prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis, ut fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*; idem docent SS. Patres, ex quibus S. Athanasius lib. quod unus sit Christus, clarissime ait: *Fideles non habere humilem aliquam rationem, ut credant, sed sublimem scilicet attestationem Dei.* In eundem sensum S. Thomas 2 2 art. 1 ait: *Non enim fides, de qua loquimur, assentitur alicui nisi quod a Deo est revelatum.* Conf. Quamvis auctoritas Dei loquentis per motiva credibilitatis, & rationem naturalem nobis innotescat, hæc tamen notitia mere naturalis, & inferioris ordinis non est proportionata ad actum fidei certissimum, & supernaturalem, neque ad lineam fidei, sed scientiæ, aut prudentiæ pertinet: hinc si ex te quæratur, cur cre-

credas e. g. myſterium Trinitatis? bene quidem reſpondes, quia Deus ſumme veridicus id revelavit, ſi autem quæratur ulterius: cur credis, quod Deus ſumme veridicus id revelaverit? intra lineam fidei non poteris aliter reſpondere, niſi quia ita eſt; ſi enim urgeatur, unde ſcias, quod ita ſit, hæc quæſtio jam eſt extra lineam fidei, quippe per fidem non ſcimus, ſed credimus.

Colliges, quod fides divina non poſſit 624
reſolvi 1. in motiva credibilitatis, aut principia lumine naturæ nota; hæc enim tantum faciunt evidentiam naturalem, illa vero non niſi moralem certitudinem. 2. In locutionem Parochi, vel auctoritatem humanam Eccleſiæ, quia utraque eſt fallibilis. Imo licet Eccleſia conſideretur ut habens aſſiſtentiam Spiritus ſancti, non tamen certo conſtat, quod ejus definitio ſit locutio Dei. 3. In internum lumen tranſiens vel habituale, aut potentiam Dei ſpecialiter applicatam; nam hæc ſe non tenent ex parte objecti, ſed potentiæ, neque ad eliciendam fidem movent, ſed ad eandem tantum effective concurrunt. 4. In ſolam auctoritatem Dei, tum quia tantum eſt conditionate connexa cum myſterio revelato, præſertim quoad nos: tum quia ad fidem pertinet, ut myſterium affirmetur propter auctoritatem Dei loquentis. 5. In ſolam revelationem, quamvis enim hæc, prout etiam involvit voluntatem divinam aliquid manifeſtandi, habeat eſſentialem connexionem cum myſterio revelato; hæc tamen connexio ad fidem non ſufficit, quia credere eſt aliquid affirmare propter auctoritatem alterius. 6. In ipſum myſterium revelatum; quippe fides debet intrinſece ſuum motivum attingere, & ſi myſterium ſolum affirmatur

propter se, non erit actus fidei proprie talis.

Objectiones.

625 OBj. 1. Actus fidei, in quantum est affirmativus auctoritatis divinae, debet resolvi in tale principium, in quo intellectus ultimato potest quiescere; atqui hoc principium non potest esse aliud, quam ipsum lumen naturae evidenter dictans, Deum esse summe veridicum: ergo. Min. Prob. Si hoc principium non esset auctoritas ut cognita per lumen naturae, deberet esse auctoritas ut credita per fidem; sed hoc non potest dici, quia iterum rediret quaestio de hac ipsa fide, in quid resolvatur, prout esset affirmativa auctoritatis divinae. Conf. Licet praemissae repraesentent veritatem conclusionis, tamen conclusio non affirmatur propter se, sed propter praemissas: ergo licet illustratio supernaturalis suasive proponat auctoritatem divinam, haec non affirmatur propter se, sed propter alia principia evidentia. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Ad Prob. Neg. Maj. Sed principium, hoc est auctoritas divina ut affirmata propter seipsam, sive propter connexionem objectivam terminorum ut suasive per illustrationem supernaturalem propositam, in qua connexione ita proposita omnino quiescere potest intellectus credentis, quin in linea fidei ulterius procedi possit, aut debeat. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Praemissae veritatem conclusionis non repraesentant immediate in se, & formaliter, illustratio autem supernaturalis immediate, & formaliter proponit auctoritatem divinam.

Di-

Dices. Quando fideles interrogantur, quare judicent Deum esse summe veridicum, communiter respondent, quia est ens a se, & summe perfectum: ergo fides prout affirmat auctoritatem divinam, ultimato resolvitur in Deitatem, vel alias perfectiones divinas. Conf. Saltem fides, qua creditur summa veritas, non potest resolvi in auctoritatem divinam; alias auctoritas deberet esse prior se ipsa: ergo. Resp. Dist. Ant. respondent, quia est ens a se, & per hoc assignant motivum alicujus actus scientifici, quem tunc eliciunt, vel jam antea sæpius elicuerunt, Trans. Ant. assignant motivum, quod intrinsece attingitur per ipsum actum fidei, Subdist. aliquando, Trans. Ant. ordinarie, Neg. Ant. & Dist. Conf. ergo actus fidei resolvitur in Deitatem aliquando & per accidens, Trans. Conf. per se, & ordinarie, Neg. Conf. Fideles mysterio revelato ordinarie assentiuntur propter solam auctoritatem Dei sine alio motivo distincto, ut docet experientia. Quod si ipsam etiam Deitatem affirment, illam non attingunt tanquam motivum formaliter ab auctoritate distinctum, sed tanquam simul cum auctoritate supernaturaliter propositam; alias omnino sequeretur, quod fides resolvatur in creaturas; si enim ulterius interroges, cur judicent Deum existere, & esse ens a se, pro ultimata ratione assignabunt creaturas. Certe ad actum fidei non est necessarium, ut etiam Deitas, vel existentia Dei affirmetur; hinc in isto actu fidei: credo dari Trinitatem, quia Deus est ens a se, summe veridicus, & revelavit Trinitatem dari, primum membrum abundat. Ad Conf. Neg. Ant. rationem additam Dist. esset prior se ipsa formaliter, & logice, Conc. physice, aut natura, Neg. Vid. num. 542. 626

627 Obj. 2. Actus fidei, prout eſt affirmativus revelationis divinæ, in illud ultimato reſolvitur, quod fideles ſolent dare pro ultimo motivo ſui aſſenſus; atqui interrogati, quare judicent Deum aliquod myſterium revelaſſe, pro ultimo motivo ſolent aſſignare auctoritatem Eccleſiæ, miracula, vel locutionem Parochi: ergo. Conf. Licet fides non poſſit eſſe certior, quam motivum illius proximum nempe revelatio, & auctoritas Dei; poteſt tamen eſſe certior, quam motivum remotum, propter quod ipſa revelatio affirmatur. Reſp. Diſt. Maj. ut ſupra, quod ſolent dare pro ultimo motivo intrinſeco, & in linea fidei, Conc. Maj. pro motivo mere extrinſeco, & extra lineam fidei, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. Quando fideles pro exiſtentia revelationis allegant teſtimonium Eccleſiæ, Parochi &c. non amplius manent in linea fidei, ſed tantum ſolent reddere rationem de ſuo judicio credibilitatis, vel fide aliqua naturali, quam antecedenter ad fidem divinam elicere ſolent. Sic quamvis alia motiva aſſignari ſoleant, ſi quæratur, quare Deus ſit infinite bonus, hæc tamen non amplius pertinent ad lineam charitatis. Ad Conf. Neg. Ant. Si enim aſſenſus revelationi præſtitus tantum niteretur motivis credibilitatis, non poſſet eſſe certior, quam motiva credibilitatis: ergo neque aſſenſus myſterio revelato præſtitus poſſet eſſe certior, quam motiva credibilitatis. Vid. num. 624.

628 Dices. Poteſt dici, quod credens affirmet myſterium revelatum propter auctoritatem Dei revelantis, revelationem vero propter miracula, vel teſtimonium Eccleſiæ cognita per illuſtrationem ſuaſivam ſupernaturalem; atqui hic actus fidei jam eſſet ſufficienter certus, & ultimato in miracula, & teſtimonium Eccle-

ſiæ

fiæ resolveretur: ergo. Conf. Si quis a bibliopola intelligit hunc librum esse S. Augustini, & postea firmiter adhæret doctrinæ in libro contentæ, ejus assensus ultimato resolvitur in testimonium bibliopolæ: ergo a pari. Resp. Dist. Maj. potest hoc dici, si miracula, & testimonium Ecclesiæ sint vere locutio Dei, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. Alias enim talis assensus potius est actus prudentiæ supernaturalis, aut fides ecclesiastica, quam divina. Quod si vero miracula, & testimonium Ecclesiæ per illustrationem suasivam proponerentur, ut vera locutio Dei, hoc ipso fides resolveretur in locutionem Dei, adeoque nostræ sententiæ nihil præjudicaretur. At quid istis ambagibus opus? & cur non potius ipsa revelatio dicitur immediate propter seipsam affirmari? Ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. Si antecedens verum est, talis assensus non habet majorem firmitatem, quam meretur testimonium bibliopolæ, unde hæc instantia potius est pro nobis. Vid. 588.

Obj. 3. Nostra sententia favet doctrinæ hæreticorum de Spiritu privato, quia quilibet posset dicere, sibi per illustrationem divinam suasive proponi id, quod credit: ergo sicut Ecclesia est regula credendorum, ita debet dici, quod fides in auctoritatem Ecclesiæ resolvatur. Conf. Quando Legatus loquitur nomine Regis, hæc locutio est partiale motivum fidei, qua credimus Regi; atqui definitio Ecclesiæ se habet sicut locutio Legati a Deo missi, & Ecclesia definiens proponit verbum Dei: ergo. Resp. Neg. Ant. Hæretici non errant in hoc, quod dicant, ad rite credendum necessarium esse magisterium internum Spiritus sancti, sed in eo, quod doceant, non esse attendendum magisterium externum Ecclesiæ, suum- 629

que judicium privatum publico Ecclesiæ judicio præferant, quod ipsum convincere illos debet, suos instinctus non esse a Spiritu sancto. Juxta nos Ecclesia est quidem regula credendorum, sed tantum externa, quæ revelationem Dei nobis applicat, sed intrinsece ab actu fidei non attingitur. Ad Conf. Neg. Ant. De fide, qua præcise credimus Regi; nam respectu hujus locutio Legati est tantum applicatio, vel motivum extrinsecum. Porro Ecclesia proponit verbum Dei objective, & ampliative, quatenus verbum Dei habet pro objecto suarum definitionum, non vero formaliter, quasi ipsæ definitiones essent locutio Dei. Atque ex hoc respondetur ad illum textum Luc. 10 v. 16: *Qui vos audit, me audit*; quamvis illum aliqui de sola doctrina Apostolorum, alii de obedientia superioribus præstanda interpretentur.

630 Dices. Fideles præsertim rudes solum credunt, quia ita docet S. Mater Ecclesia. Imo ipse S. Augustinus contra epist. fundament. cap. 4 testatur: *Quod ipsum in Ecclesia teneant motiva credibilitatis*, & alibi: *quod Evangelio non crederet, nisi ipsum moveret Ecclesiæ auctoritas.* Conf. Fides humana ultimato non resolvitur in auctoritatem loquentis, sed in alias rationes e. g. in experientiam, quam habemus de auctoritate loquentis: ergo. Resp. Dist. Ant. Fideles ita credunt ordinarie, Neg. Ant. aliquando, Subdist. & tunc eliciunt actum fidei proprie divinæ, Neg. Ant. humanæ, vel ecclesiasticæ, Conc. Ant. & Neg. Conf. Si quidam adeo rudes sunt, ut nequidem implicite auctoritatem Dei loquentis attingant, non eliciunt fidem divinam, sed hoc ordinarie non contingit, Deo per lumen supernatu-

rale

rale ejusmodi hominibus ſuccurrente; alias deberet admitti, quod apud rudes ad fidem divinam etiam ſufficeret ſola auctoritas Parochi, parentum &c. S. Auguſtinus in illis locis non aſſignat motivum intrinſecum fidei divinæ, ſed judicii, credibilitatis, vel fidei humanæ. Ad Conf. imprimis Neg. Ant. quia etiam in actu fidei humanæ auctoritas loquentis ſæpe affirmatur propter ſeipſam per ſpecies naturales ſuaſive propoſitam. Dein diſparitas eſt, quia divina fides eſt ſupernaturalis, adeoque non poteſt niti ratione præciſe naturali, & naturaliter propoſita.

Obj. 4. Si quis interrogatur, cur credis 631
dari e. g. Incarnationem? juxta nos debet reſpondere: quia Deus infinite veridicus hoc revelavit. Si ulterius urgeatur, quare credis, quod Deus hoc revelaverit, rurſus nihil aliud poteſt dicere, quam quia ita eſt, vel quia Deus hoc revelavit: atqui ſic fit circulus vitioſus, & reſpondens ab eodem ad idem regreditur: ergo. Conf. In tali reſponſione petitur, ut aliquid nempe revelatio divina admittatur ſine ulla probatione, quod tamen per ſe nec clarum, nec certum eſt: ergo male petitur principium. Reſp. Tranſ. Maj. Quia auctoritas Dei non ſemper debet credi; hinc potius deberet urgeri, quare affirmas &c. Neg. min. iſte actus: credo verbum eſſe incarnatum, quia Deus infinite veridicus hoc revelavit, immediate reſolvitur in alios æquivalenter duos, quorum unus dicit: Deus eſt ſumme veridicus; alter: Deus revelavit, verbum eſſe incarnatum. Prior reſolvitur in ipſam connexionem objectivam terminorum, poſterior in ipſam revelationem ſuaſive propoſitam: ergo ſecunda reſponſio non progreditur ab eodem conſequente ad idem antecedens, ſed a-

ctus

ctus fidei in sua linea sistit in eodem motivo propter se cognito. Quodsi ipsa auctoritas Dei loquentis credatur, id fit dependenter ab alia revelatione vel illustratione, quæ tamen ipsa ultimato propter seipsam cognoscitur. Ad Conf. Neg. Ant. Quamvis enim revelationem non probemus per motivum distinctum intra lineam fidei, probamus tamen illam extra lineam fidei per motiva credibilitatis.

632 Dices 1. Illa probatio, quæ habetur extra lineam fidei, non reddit nos summe, & infallibiliter certos de existentia revelationis: ergo non est sufficiens, neque satis nobis applicat revelationem divinam. Conf. Causæ non agunt nisi ad mensuram applicationis: ergo ob motiva credibilitatis non possumus progredi ad assensum infallibilem. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo non est sufficiens, nisi accedat lumen supernaturale revelationem suasive proponens, Conc. Conf. si accedat, Neg. Conf. Infallibilitas, & certitudo fidei intrinseca non habetur ex motivis credibilitatis, sed ex illustratione supernaturali, qua auctoritas Dei revelantis suasive proponitur. Ad Conf. Dist. Ant. Causæ physicæ non ita agunt, Transf. Ant. intentionales, Subdist. si applicatio tendat ad producendum effectum in sua linea, Conc. Ant. si tendat ad effectum producendum in alia linea, Neg. Ant. & Conf. Motiva credibilitatis intellectum non applicant ad producendum actum nixum ipsis motivis credibilitatis, & licet se solis eundem nequeant determinare ad producendum actum in superiore linea sive certissime nixum revelatione divina, potest nihilominus hoc fieri mediante imperio voluntatis, & accedente illustratione divina. Sic cognitio bonitatem divinam ita applicat voluntati, ut illam possit amare super omnia, quin cognitio sit super om-

omnia amabilis. Imo etiam ignis applicatus ut unum poteſt producere calorem ut octo, quia productio caloris pertinet ad lineam diverſam a linea applicationis.

Dices 2. Objectum applicatum per cogni- 632
tionem probabilem non poteſt intellectum movere, ut progrediatur ad actum evidentem: ergo a pari. Conf. Juxta nos actus fidei divinæ clare poſſet diſcerni ab actu fidei naturalis, & acquiſitæ, quia revelatio divina non poteſt ſuaſive proponi per ſpecies naturales. Reſp. Vel ponitur, quod actus evidens deberet niti actu probabili tanquam ſuo motivo? vel quod opinio probabilis ſe haberet mere extrinſece? ſi primum non eſt paritas cum actu fidei, qui motivis credibilitatis intrinſece non nititur: Si 2dum, antecedens non eſt univerſaliter verum. Sic modo exiſtentia præcepti ſit probabilis vel etiam per errorem dari judicetur, accedente alio principio reflexo evidenter poteſt inferri, quod actus præceptus honeſte poni poſſit. Cum igitur motiva credibilitatis ſaltem obligationem firmiſſime credendi evidenter proponant, voluntas poteſt, & debet imperare aſſenſum in alia linea firmiſſimum, & merito teſtimonii divini proportionatum. Ad Conf. Neg. Ant. Cum ratione addita, præſertim poſtquam tali revelationi ſæpius jam aſſenſi fuimus. Dein non ſumus infallibiliter, & reflexe certi, an aſſenſus, quo revelationem affirmavimus, non habuerit aliud motivum ſaltem partiale a revelatione diſtinctum. Certe alii actus naturales tum voluntatis, tum intellectus quoad modum tendendi, & diſcernibiliter poſſunt eſſe ſimillimi actibus ſupernaturalibus.

Quæ-

634 Quæres adhuc: In qualem revelationem possit resolvi actus fidei ? Resp. in omnem illam, quam num. 546 diximus pertinere ad objectum formale fidei. Specialiter aliqui dubitant, an actus fidei etiam possit resolvi, & defacto resolvatur in illustrationem supernaturalem ? Verum ex dictis disputatione præcedente quæst. 5 satis patet, id ordinarie fieri non posse, eoquod ejusmodi illustrationes ordinarie a credente non discernantur, nec reflexe cognoscantur præsertim sub ratione locutionis divinæ. Interim non nego illas aliquando posse ita cognosci, & propter seipsas affirmari, cum igitur tunc sint vera vox, & locutio Dei, qua Deus homini ad cor loquitur, etiam mysterium revelatum propter ipsas poterit affirmari, & actus fidei in illas tanquam in suum motivum formale resolvi, sive dein talis illustratio suasive proponatur per aliam illustrationem realiter, sive tantum formaliter distinctam. Ita Prophetis, Apostolis, & Adamo juxta SS. Patres revelata fuere quædam mysteria per solas revelationes internas, proin illorum actus fidei, quos tunc eliciebant, ultimato resoluti fuerunt in illustrationem internam habentem se ut quod, quia istæ illustrationes non proposuerunt aliquam revelationem distinctam, quæ ad rationem motivi formalis, & objectivi spectare potuisset.

DISPUTATIO X.

De proprietatibus actus fidei divinæ.

635 PRæcipuæ proprietates actus fidei divinæ sunt supernaturalitas, libertas, obscuritas, veritas, certitudo, & necessitas. Supernaturalitatem quod attinet, præter actum fidei con-

ſiderari poteſt habitus, pia affectio, judicium credibilitatis tum practicum; tum ſpeculativum, & apprehenſiones præviæ. De habitu fidei jam dixi part. 1 num. 6. Cum enim juxta concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 7, habitus fidei in ipſa juſtificatione nobis infundatur, & quidem ideo, ut mediante illo vitam æternam conſequamur, conſtat in nullis circumſtantiis illum eſſe debitum naturæ creatæ, adeoque intrinſece, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalem, ſicut vita æterna in hac providentia ſupernaturalis eſt, præſertim quia habitus infuſi non dant facile, ſed ſimpliciter poſſe, ut habet commune effatum theologorum, & docet experientia; nam puer in infantia baptizatus, & habitu fidei inſtructus, quando ad uſum rationis venit, per ſe non elicit facilius actum fidei divinæ, quam catechumenus nondum baptizatus, & carens habitu ad credendum.

Hinc communis theologorum contra Ma- 636
ſtrium & Scotiſtas tenet, ipſum etiam actum fidei non ſolum quoad modum, ſed quoad ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem, tum quia habitui intrinſece ſupernaturali debet reſpondere actus ejusdem ordinis, alias non eſſet ratio talem ſupernaturalitatem in habitu requirendi: tum quia actus fidei divinæ nunquam poteſt ſolis viribus naturæ, ſine auxilio ſupernaturali elici, ut paſſim aſſerunt Scriptura, Patres, & Concilia, nos vero ex inſtituto probavimus in tractatu de gratia, diſp. 2 q. 1. Equidem S. Auguſtinus in expoſit. epiſt. ad Rom. propoſit. 61 ſcripſerat: *Noſtrum enim eſt credere, & velle, Dei autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi*, ſed dictum ſuum revocavit lib. 1 retract. cap. 23 ajens:

ajens : *Utrumque nostrum est propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei*; nempe juxta illud Joannis 6 v. 29 : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Unde merito damnata est propositio 23 Baji : *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse elevatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.*

637 Porro quamvis judicium credibilitatis remotum, & speculativum possit esse naturale, cum fundetur in solis motivis credibilitatis, & in rudibus sæpe sit revera tantum probabile, debet tamen quoad substantiam supernaturale esse judicium credibilitatis practicum, ac proximum, uti etiam pia affectio. Nam 1 per piam affectionem homo disponitur ad beatitudinem supernaturalem, & actus fidei redditur meritorius saltem de congruo præmii intrinsece supernaturalis: ergo pia affectio debet esse supernaturalis, de qua concilium Arausicanum II can. 5 ita definit : *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum non per gratiæ donum - - sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* 2. Dictamen practicum, ac proximum immediate dirigit ad piam affectionem supernaturalem : ergo debet esse supernaturale, cognitio namque mere naturalis non est proportionata ad actum supernaturalem proxime dirigendum ; hinc Tridentinum sess. 6 cap. 5 ait : *Justificationis exordium sumendum esse a vocatione Dei.*

638 Ex eadem ratione Suarius, aliique inferunt, apprehensionem, quæ immediate præcedit tum judicium practicum credibilitatis, tum

tum ipſum actum fidei divinæ, intrinſece, & quoad ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem; nam etiam iſtæ apprehenſiones immediate dirigunt ad actus ſupernaturales, & ſunt quoddam auxilium gratiæ ad illos prærequiſitum, ut de apprehenſione ſuaſiva, quæ immediate actum fidei præcedit, pluribus probavi num. 577. Aliud juxta Suarium, Lug., Haunold, eſt de ſpeciebus, quæ loco objecti ad eliciendum actum fidei concurrunt; nam ſicut intellectus, & voluntas, licet ſint potentiæ naturales, per habitum ſupernaturalem, aut potentiam Dei ſpecialiter applicatam poſſunt elevari ad producendum actum ſupernaturalem, ita non eſt ratio, quare non ſimili modo elevari poſſint ſpecies naturales, quamquam viciſſim contingere poſſit, ut ejusmodi ſpecies ſint ſupernaturales, præſertim quando ipſum objectum prorſus ſupernaturale eſt, ut ſi Deus aliquem Sanctum de ſupernaturali myſterio interius illuſtrat.

QUÆSTIO I.

De libertate, & obſcuritate actus fidei divinæ.

Cum aſſenſus fidei ſit actus intellectus, qui 639
non eſt potentia libera, per ſe patet, illum non eſſe liberum formaliter, & in ſeipſo; eſt nihilominus ordinarie liber denominative, quatenus dependet ab imperio voluntatis, idque non ſolum remote, & indirecte, in quantum voluntas intellectum libere ad conſideranda motiva applicat, ſed etiam proxime, & directe, ut propoſitis quoque, & conſideratis motivis credibilitatis voluntas immediate poſſit intellectum determinare ad aſſenſum, vel diſſen-

diſſenſum myſterio præſtandum. Quippe ut num. 590 vidimus, concilia ad actum fidei proprie talem requirunt pium credulitatis affectum, quo libere & volentes ad credendum movemur: ergo majorem requirunt libertatem, quam remotam, & indirectam; quis enim unquam dixit, quod libere moveamur ad ſciendum, & nemo niſi volens ſcire poſſit. Sane Iſai. cap. 53 v. 1 etiam poſt propoſita motiva credibilitatis conqueritur: *Quis credidit auditui noſtro?* Chriſtus Marci ultim. v. 14 diſcipulis exprobravit incredulitatem, & duritiem cordis, quia *Iis, qui viderant, eum a mortuis reſurrexiſſe non crediderunt.*

640 Ratio ulterior eſt, quia fides divina, prout a ſacra Scriptura, & Patribus accipi ſolet, aliquo modo debet eſſe obſcura: ergo intellectus etiam propoſitis motivis credibilitatis nondum neceſſitatur ad aſſenſum objecto præſtandum. Ant. Prob. Apoſtolus ad Hebr. 11 v. 1 fidem vocat *argumentum non apparentium*, & 1 ad Cor. 13 v. 12 de eadem loquens ait: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate:* ergo fides eſt cognitio ænigmatica rei nondum manifeſte apparentis, & ex natura ſua obſcuritatem importat; hinc S. Auguſtinus tract. 4 in Joan. ita ſcribit: *Quid eſt fides, niſi credere, quod non vides? fides ergo eſt, quod non vides, credere, veritas, quod credidiſti, videre:* Quod ſi veritates fidei omnino claræ, ac manifeſtæ eſſent, non foret opus in obſequium fidei intellectum captivare, neque aſſentiendo myſteriis aliquid mereremur, ut advertit S. Gregorius Homil. 26 dicens: *In eo fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum;* atqui actum fidei divinæ per ſe loquendo meritorium eſſe communiſſime docent SS. Patres, & rurſus colligitur ex Apoſtolo: *Corde creditur*

ditur ad justitiam, ad Rom. 10 v. 10; *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*, ad Hebr. 11 v. 33.

Ex his patet, actum fidei divinæ debere 641
aliquo modo esse obscurum. Controvertunt nihilominus adhuc, qualis, ac quanta debeat esse hæc obscuritas? an scilicet sufficiat illa, quæ opponitur claritati visionis intuitivæ Dei, an vero requiratur obscuritas opposita omni etiam evidentiæ, quæ dupliciter considerari potest. Nam objectum aliquod revelatum potest esse evidens vel in se, id est ex principiis sibi propriis, & intrinsecis, vel in attestante, id est propter extrinsecam attestationem, seu testimonium Dei intellectui evidenter propositum; licet enim hoc ordinarie non fiat, id tamen quandoque contingere posse concedunt plerique contra Bannesium, & paucos alios. Unde duplex quæstio oritur: prima est, an actus fidei stare possit cum evidentia objecti in se, sive an objectum aliunde evidens pro eodem instanti possit affirmari saltem per duos actus realiter distinctos, quorum unus sit actus evidens scientiæ, alter actus fidei divinæ. Negant Esparz. Pallavicin. cum communi Thomistarum, & Scotistarum, affirmant Suarius, Valentia, Tanner cum pluribus antiquis.

Nam potest contingere, & non raro con- 642
tingit, ut quis in eodem instanti, quo ipsi objectum aliquod e. g. existentia Dei evidenter repræsentatur, simul cognoscat illud objectum esse revelatum a Deo, quo casu non est ratio, quare præter actum scientiæ, ad quem intellectus necessitatur, voluntas nequeat imperare etiam alium assensum propter auctoritatem Dei revelantis, ut tali modo Deo exhibeat speciale obsequium intellectuale; alias ho-

homines docti vel nunquam, vel rariſſime poſſent talia objecta fide divina credere. Quando enim de illis attente, & ſerio cogitant, in illis ſtatim excitantur ſpecies claræ, & evidentes, quas habent vel ex præcedentibus demonſtrationibus, vel ipſa penetratione terminorum de veritate horum objectorum; unde deterioris eſſent conditionis, quam rudes, haberentque cognitionem multo imperfectiorem, cum tamen ipſa Scriptura præcipiat, ut e. g. exiſtentiam Dei credamus. Quod autem doctis præter exiſtentiam Dei ſemper proponatur etiam aliud objectum e. g. quod ſit remunerator ſupernaturalis, gratis fingitur.

643 Neque obſtat 1. Quod juxta Apoſtolum ad Hebr. 11 v. 1 fides ſit *Argumentum non apparentium*; nam ad ſummum vult, quod objectum creditum non debeat eſſe clarum per actum fidei, aut illa claritate, quæ competit viſioni intuitivæ, cui 1 ad Cor. 13 v. 12 actum fidei opponit, dicens: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 2. Quando SS. Patres dicunt credi non poſſe, quod videtur, vel aliunde evidens eſt, contra Manichæos, & gentiles ſolum aſſerunt, quod ipſa viſio, & evidentia non ſint motivum fidei, neque debitam fidem habeamus, niſi etiam credamus ea, quæ non videntur. 3. Quando explicant verba Chriſti Joan. 20 v. 29: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti*; ideo recurrunt ad diverſa objecta materialia, quia ipſa Scriptura illa exprimit; dum enim ait: *Quia me vidiſti*, indicat motivum affirmandi humanitatem Chriſti fuiſſe viſionem humanitatis; dum vero utitur verbo *credidiſti*, innuit, S. Thomam divinitatem, quam non vidit, credidiſſe, unde prorupit in hæc verba: *Deus meus.*

Altera quæstio versatur in eo, an etiam assensus objecto revelato præstitus propter auctoritatem, & revelationem divinam evidenter cognitam, possit esse actus fidei proprie, & stricte talis? ad quam Valent., Arriag., Gormaz cum communi Thomistarum, & Scotistarum iterum respondent affirmative, quia tali assensui nihil deest, quod ad fidem proprie, & stricte talem requiritur. Nam 1 nititur unice objecto formali fidei divinæ, & quidem per illustrationem supernaturalem propositæ, ut hic supponitur. 2. Quia evidentia in attestante non est intuitiva, sed abstractiva, relinquit adhuc illam obscuritatem, & non apparentiam, quæ opponitur visioni intuitivæ, & ab Apostolo requiritur. 3. Licet per evidentiam in attestante intellectus necessitetur ad aliquem assensum tam auctoritati, quam revelationi, & objecto revelato præstandum, manet nihilominus liber ad præstandum assensum talem, vi cujus credens auctoritatem Dei revelantis appretiet super omnia, & ita constitutus sit, ut eadem firmitate assentiretur, tametsi evidentiam in attestante non haberet; hinc 4, talis assensus etiam est meritorius, utpote speciale obsequium intellectuale Deo loquenti exhibitum. 644

Si quæras ulterius: An fides, & scientia de eodem objecto etiam possint simul stare in eodem actu? Resp. 1. Quando datur evidentia in attestante, nihil obstat, quo minus idem actus possit dici scientia, & fides; quod autem fides non amplius possit dari in Beatis, nec data fuerit in Christo, specialis ratio est, quia juxta Scripturam ad fidem theologicam requiritur, ut prima veritas non cognoscatur in seipsa intuitive. 2. Quando objectum revelatum in seipso est evidens, potest intellectus ei- 645

eidem aſſentiri tam ex motivo evidente, quam propter auctoritatem Dei revelantis obſcure propoſitam per eundem actum; quamvis enim talis actus ſimul eſſet clarus, & non clarus, liber, & non liber, conjungibilis, & non conjungibilis cum formidine; hæc tamen prædicata non caderent ſupra actum eodem modo conſideratum, ſed prout ille nititur diverſis motivis, ut pluribus in Philoſophia explicari ſolet. 3. An vero talis actus proprie poſſit dici fides theologica, ad modum loquendi pertinet; ſi enim etiam motivum ſcientificum affirmet intrinſece, videtur ſequi partem debiliorem, & eſſe minus certus, quam alius actus fidei nixus ſola auctoritate Dei revelantis, ut inferius magis declarabitur.

QUÆSTIO II.

De veritate actus fidei divinæ.

646 VEritas, & certitudo actuum intellectus non ſunt idem; nam veritas conſiſtit in conformitate actus cum objecto; certitudo autem in firma quadam determinatione actus ad verum cum excluſione dubii, ac formidinis. Hinc poteſt fieri, ut aliqui actus ſint veriſſimi, & tamen incerti. Sic actus mere probabilis, quam quis habet de exiſtentia Dei, eſt neceſſario verus, & tamen non eſt certus. Viciſſim, ſi certitudo ſumatur, prout complectitur etiam phyſicam, & moralem, hæc utraque abſolute poteſt fallere, adeoque actus eſſe falſus, licet ſit certus. Nos hic tantum agemus de veritate, an videlicet hæc actui fidei divinæ ſit ita neceſſaria, & eſſentialis, ut abſolute repugnet illum eſſe falſum. Affirmativam docet communiſſima contra paucos, qui putarunt

runt Deum de abſoluta potentia poſſe falſum dicere. Item contra Joannem Major, qui docuit, actum fidei divinæ poſſe tendere in revelationem ſolum exiſtimatam, quam ſententiam P. Viva vocat temerariam.

Dicendum. Actus fidei divinæ eſt eſſentialiter verus. Prob 1. Ille actus eſt eſſentialiter verus, cujus adæquatum motivum eſt eſſentialiter connexum cum veritate objectiva, quam actus propter tale motivum infallibiliter cognitum affirmat; ſed motivum fidei divinæ adæquatum eſt eſſentialiter connexum cum veritate affirmata propter hoc motivum, & hoc motivum infallibiliter cognoſcitur: ergo Min. patet; nam motivum adæquatum fidei divinæ eſt auctoritas Dei revelantis, implicat autem, ut Deus falſum teſtetur. Præterea hoc motivum infallibiliter cognoſcitur, nempe per præviam illuſtrationem ſuaſivam Spiritus ſancti. Conf. Auctoritate concilii Tridentini, quod noſtram ſententiam ſupponere videtur, quando ſeſſ. 6 cap. 9 ait, neminem ſcire ſe gratiam Dei eſſe conſecutum *Certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum*. Quæ verba de impotentia abſoluta intelligenda ſunt, tum quia cenſeri debet, concilium fuiſſe locutum in eo ſenſu, quem tunc temporis communiſſime tenebant Catholici, tum quia alias fidei divinæ jam ſimpliciter poſſet falſum ſubeſſe. 647

Probatur 2. Si actus fidei divinæ abſolute poſſet eſſe falſus, tunc ideo, quia poſſet niti revelatione tantum exiſtimata; ſed hoc non poteſt dici. Nam 1 auctoritas divina, & exiſtentia præſens vel præterita revelationis debet proponi per illuſtrationem ſupernaturalem, quæ cum revera ſit aliqua vox, & teſtimonium Dei, fallere nequit. 2. In actum fidei di- 648

vinæ debet influere habitus supernaturalis, vel omnipotentia Dei supernaturaliter applicata; atqui hæc sunt essentialiter determinata ad influendum in actus tantum veros, utpote instrumenta specialia Spiritus sancti moventis ad assensum. Hinc 3 omnes SS. Patres, & fermè omnes theologi pro motivo fidei semper assignant revelationem reipsa factam, non minus quam requirunt auctoritatem Dei vere talem, non vero mere putatitiam, qualem habuerunt gentiles, dum credebant e. g. oraculis Apollinis, quem falso existimabant esse Deum. Conf. Actus charitatis & spei theologicæ pro suo motivo debent habere bonitatem divinam revera talem; ergo a pari.

Objectiones.

649 OBj. 1. Potest quis per actum fidei divinæ simul credere articulum verum, & falsum e. g. dualitatem naturarum, & personarum in Christo, sub eadem apparentia credibilitatis propositas; atqui hic actus est falsus: ergo. Conf. In hoc syllogismo: Ubicunque datur duplex natura, datur duplex persona; sed in Christo datur duplex natura: ergo etiam duplex persona. Conclusio est falsissima; sed hæc conclusio est actus fidei divinæ; nam iterum affirmat minorem, in Christo datur duplex natura. Resp. Trans. interim Maj. Dist. min. Hic actus est falsus, quatenus affirmat articulum revelatum, Neg. min. quatenus affirmat articulum non revelatum, Conc. min. & Dist. Conf. ergo actus fidei divinæ, qui talis, potest esse falsus, Trans. Conf. qua talis, Neg. Conf. Major quoque probabilius falsa est; nam licet tali modo nihil præjudicaretur veridicentiæ divinæ, quia tamen Scriptura,

ra, Patres, & concilia ſimpliciter dicunt, fidem divinam eſſe veram, ac certiſſimam, conformius dicitur, in hoc caſu ſolum poſſe elici fidem naturalem de utroque articulo ſimul ſumpto. Ad Conf. Quæ ſupponit, quod concluſio ſe reflectat ſupra præmiſſas objectivas, eadem eſt reſponſio; nam licet minor hujus ſyllogiſmi poſſit eſſe actus fidei ſupernaturalis, quia tantum affirmat objectum revelatum, & verum; ideo non ſequitur, quod etiam concluſio poſſit eſſe actus ſupernaturalis, cum præter veritatem minoris affirmet objectum falſum.

Dices. In poſito caſu voluntas poteſt elicere piam affectionem ſupernaturalem credendi articulum falſum: ergo etiam intellectus fidem ſupernaturalem circa articulum falſum; quippe ad piam affectionem etiam requiritur habitus ſupernaturalis, & illuſtratio Spiritus ſancti ſuadens obligationem credendi. Conf. Poteſt in damnatis dari dolor ſupernaturalis: ergo etiam error ſupernaturalis; ſi enim ignis infernalis poteſt elevari ad torquendos damnatos, cur non habitus ſupernaturalis ad producendum actum falſum. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Illuſtratio ad piam affectionem requiſita, non affirmat articulum falſum eſſe reipſa verum, & revelatum, ſed tantum proponit obligationem, & honeſtatem credendi fide firma, & excluſiva formidinis, an vero hæc fides poſſit eſſe ſupernaturalis, vel tantum naturalis, præſcindit, & neutram determinate ſuadet. At illuſtratio ad actum fidei requiſita ipſam veritatem revelationis, & articuli falſi proponeret, & habitus ſupernaturalis deberet influere in actum falſum. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Dolor ab igne infernali cau- 650

ſatus ad ſummum eſt ſupernaturalis philoſophice, neque hominem perficit; econtra fides theologica perficit intellectum, ordinat hominem ad ſtatum ſupernaturalem, & elicitur a Deo per ſpecialem illuſtrationem concurrente, cui omnes actus ſupernaturales adſcribi ſolent.

651 Dices 2. Saltem actus fidei poteſt cauſare actum falſum: ergo etiam ipſe poteſt eſſe falſus, cum falſitas ſit mera imperfectio phyſica, ſicut obſcuritas, remiſſio &c. Ant. patet in ſyllogiſmo ſupra poſito, in quo minor poteſt eſſe actus fidei, & ſimul cum majore cauſare concluſionem falſam. Conf. In illo ſyllogiſmo concluſio eſt eſſentialiter connexa cum minore tanquam ſuo principio: ergo eſt actus ſupernaturalis. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quamvis Deus peccare nequeat, poteſt nihilominus aliquo modo ex determinatione creaturæ ad peccatum concurrere; unde non eſt abſurdum, quod actus fidei aliquo modo per accidens, & ex determinatione alterius comprincipii concurrat ad falſitatem a ſe diſtinctam. At ſi ipſemet poſſet eſſe falſus, hæc imperfectio redundaret in Deum, eumque faceret mendacem, conſequenter falſitas non tantum eſſet imperfectio phyſica. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Imprimis talis concluſio non videtur a minore ſupernaturali ita neceſſario dependere, ut non etiam poſſet cauſari a præmiſſa naturali, vel ſi præmiſſæ phyſice in concluſionem influerent, ad ſummum ſequeretur, quod talis concluſio ſit ſupernaturalis philoſophice, & præſuppoſitive. Imo etſi alius actus ſupernaturalis poſſet eſſe falſus, id ſpecialiter repu-

pugnaret in actu fidei, quia alias Deus fieret mendax.

Obj. 2. Ex una parte actus fidei ordinarie nititur revelatione externa creata, & defectibili: ex altera parte ad illum non necessario requiritur illustratio de existentia, & veritate revelationis, sed sufficit, si praecedat illustratio supernaturalis de obligatione credendi: ergo non habetur sufficiens principium, ex quo actus fidei sit essentialiter determinatus ad verum. Conf. Idem habitus naturalis potest influere in actum verum, & falsum: ergo etiam habitus supernaturalis fidei. Resp. Transf. Ant. quoad 1mum membrum, Neg. quoad 2dum. Etsi revelatio externa praecise secundum se accepta posset esse falsa, essentialiter tamen debet esse vera, si spectetur ut informata auctoritate divina, & proposita per illustrationem supernaturalem, quae non solum requiritur ad piam affectionem, sed etiam ad ipsum actum fidei, ut ostendi disp. 8 q. 5, adeoque tam existentiam, quam veritatem revelationis suasive proponit. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. habitus fidei naturalis non est speciale instrumentum Spiritus sancti, nec solum inclinat ad actus certos, sed etiam ad probabiles, ad quos sufficit locutio apparens; hinc modo probabiliter existimem, quod Petrus sit locutus, possum illi adhibere fidem, licet revera locutus sit Paulus. 652

Dices. Revelatio divina existens, & possibilis est eadem: ergo fides divina utrique potest inniti, modo haec existimetur a parte rei existere. Conf. In utroque casu datur eadem facilitas, vel difficultas credendi, eaque provenit ab habitu infuso fidei: ergo habitus infusus in utroque casu influit. Resp. Transf. Ant. si enim 653

re-

revelatio non existit, possibilitas a sua existentia distinguitur realiter negative, in quantum non actu cum illa identificatur, Neg. Conf. Actus fidei non solum essentialiter connectitur cum possibilitate, sed etiam cum actuali existentia præsenti, vel præterita revelationis, eoquod hæc existentia per illustrationem divinam proponatur, & sola essentialiter connectatur cum veritate absoluta objecti revelati. Si argumentum haberet vim, simili modo probari posset, quod etiam sanctitas mere possibilis æque posset reddere hominem sanctum, quam sanctitas actu existens. Ad Conf. Transf. Ant. quoad 1mum membrum, Neg. quoad 2dum. Habitus infusus non dat facile, sed tantum simpliciter posse, unde illa difficultas, & facilitas aliunde oritur, difficultas quidem ex obscuritate, & sublimitate mysterii, facilitas vero ex habitu fidei acquisito.

654 Obj. 3. Actus supernaturales virtutum moralium possunt pro objecto habere honestatem mere apparentem: ergo actus fidei veritatem mere apparentem. Ant. patet. Nam velle sublevare miseriam alterius solum apparenter talem est verus actus misericordiæ, adorare hostiam tantum apparenter consecratam est verus actus religionis &c. Conf. Quando aliquis invincibiliter judicat se debere mentiri, datur honestas mere apparens, cum utique mendacium non sit honestum: ergo. Resp. Dist. Ant. possunt habere pro objecto formali quod honestatem mere apparentem, Neg. Ant. pro objecto formali quo, Transf. Ant. & Neg. Conf. Honestas actuum voluntatis saltem communiter non desumitur ab objecto, prout est in se, sed prout per intellectum proponitur, sive ex conformitate actus cum dictamine proximo conscientiæ; hinc vere honestum est in posito

sito casu velle sublevare miseriam, adorare hostiam &c. Aliud est, quod ipsa paupertas, & consecratio hostiæ sit tantum apparens; nam virtus moralis nihilominus obtinet suum finem, qui est perficere voluntatem per actus honestos. Econtra finis fidei est perficere intellectum per veritatem, quæ non obtinetur per assensum falsum, & revelationem solum apparentem. Ad Conf. eadem est responsio, licet enim mendacium in se non sit bonum, & honestum, tamen bonum, & honestum est ponere actionem, quam invincibiliter judico, hic & nunc esse præceptam.

Dices. Licet dictamen conscientiæ sit a- 655
ctus prudentiæ supernaturalis, tamen interdum potest esse falsum: ergo etiam actus supernaturales intellectus possunt esse falsi. Ant. Prob. Quando quis vult sublevare miseriam alterius tantum apparentem, aut adorare hostiam apparenter consecratam, elicit hos actus: Hic homo est miser, hæc hostia est consecrata; atqui isti actus sunt dictamina prudentiæ supernaturalis: ergo. Conf. Dictamen ultimum ita tendit: Honestum est hanc hostiam adorare, quia est consecrata; atqui hoc dictamen est falsum: ergo. Resp. Neg. Ant. ad Prob. Transf. Maj. quia hoc non semper contingit, multo minus necessario requiritur, Neg. min. Actus prudentiæ non sunt dictamina mere speculativa, sed practica, adeoque hæc judicia falsa nec ad prudentiam pertinent, nec ab habitu infuso prudentiæ procedunt, sed solum ab habitu quodam naturali, & opinativo. Ad Conf. Neg. Maj. Sed dictamen ultimum, ut sit actus supernaturalis prudentiæ, debet hoc modo tendere: Quandocunque apparet moraliter certum, hostiam esse consecratam, honestum est illam adorare. Sive honestum est hanc hostiam

ſtiam adorare; quia moraliter certo apparet eſſe conſecrata; qui actus ſunt veriſſimi.

656 Obj. 4. Judæi ignorantes Chriſtum jam eſſe natum, adhuc poſt illius nativitatem potuerunt fide divina credere, Chriſtum eſſe naſciturum; ſed talis actus fidei tunc fuit falſus: ergo. Conf. Actus fidei, quo aliquis in inſtanti immediate præcedente nativitatem Chriſti crediſſet illum eſſe naſciturum, potuiſſet a Deo conſervari in ſequentibus inſtantibus: ergo. Reſp. Diſt. Maj. potuerunt divina fide credere Chriſtum eſſe naſciturum accipiendo tó naſciturum pro ſtatu; Neg. Maj. ampliative, Tranſ. Maj. Deus tempus Nativitatis Chriſti non tantum revelavit confuſe, ſed pro illo determinato inſtanti, quo facta eſt; cum vero hoc inſtans Judæis non fuerit notum, ſolum potuerunt credere Chriſtum eſſe naſciturum relate ad tempus factæ revelationis; jam vero ſemper verum eſt, & erit, quod Chriſtus eo tempore, quo e. g. per Iſaiam fuit prædictus, nondum fuerit natus, ſed primum naſciturus, licet hoc falſum ſit, ſi accipiatur relate ad tempus præſens. Ad Conf. Diſt. Ant. Potuiſſet a Deo conſervari, ſi ſolum affirmaſſet, quod Chriſtus ſit naſciturus reſpectu illius inſtantis, quo hic actus primo fuit elicitus, Conc. Ant. ſi affirmaſſet, quod ſit naſciturus reſpectu cujuslibet inſtantis ſubſequentis, Neg. Ant. Quippe Deus nunquam revelare voluit, aut potuit, quod Chriſtus pro inſtante coexiſtente, aut ſubſequente ſit naſciturus; hinc licet propoſitiones contingentes poſſint de veris tranſire in falſas, & viciſſim, id fieri nequit in actu fidei eſſentialiter vero, & fundato in revelatione reipſa exiſtente.

QUÆSTIO III.

De certitudine actus fidei divinæ.

UT aliquis actus simpliciter, & absolute sit certus; debet esse infallibilis, & firmus; hinc certitudo in duas formalitates distinguitur; una dicitur certitudo infallibilitatis, & est determinatio actus ad verum excludens falsitatem: altera vocatur certitudo adhæsionis; & est alligatio intellectus ad objectum excludens formidinem de opposito saltem perfectam, & proprie talem. Certitudo infallibilitatis dividitur in objectivam; & subjectivam. Objectiva, seu materialis est determinatio actus ad verum orta præcise ex objecto materiali, in quantum illud necessario ita se habet, prout per actum intellectus affirmatur; hinc vix meretur nomen certitudinis, & convenit etiam actibus valde imperfectis, ac solum probabilibus; nec ad certitudinem simpliciter talem requiritur, cum omnis actus fidei divinæ sit certissimus, licet multi versentur circa objectum mere contingens. Certitudo infallibilitatis subjectiva, & formalis est determinatio actus ad verum proveniens ex objecto formali, simulque ex lumine illius applicativo, in quantum tam objectum formale, quam lumen illius applicativum habet infallibilem connexionem cum objecto materiali, quod affirmatur. 657

Certitudo adhæsionis, seu firmitatis dividitur in pure intellectualem, & affectivam. 658
Prior est, quæ præcise provenit ex objecto formali, & illius lumine applicativo, excludente omnem formidinem de opposito, prout fit, quando objectum intellectui proponitur evidenter; hinc etiam vocatur certitudo evidentiæ; affectiva autem vocatur certitudo inevi-

evidentiæ, & eſt illa, quæ ſaltem partialiter provenit ex imperio voluntatis determinante intellectum ad aſſenſum & inhibente omnem formidinem ſaltem deliberatam, & perfectam. Ut ſit prudens, debet eſſe commenſurata merito, ac dignitati objecti formalis & luminis applicativi, alias potius eſt pertinacia, quam certitudo. Porro per formidinem, quam certitudini adhæſionis oppoſitam eſſe diximus, intelligitur actus intellectus liber, cognoſcentis ſe verſari in periculo erroris non tantum remoto, ſed aliquo modo propinquo. Quod ſi intellectus periculum iſtud agnoſcat tantum per ſimplicem apprehenſionem, erit formido imperfecta, & inchoata, vel ut aliqui vocant, radicalis; ſi vero judicet adeſſe hoc periculum, erit formido in ſuo genere perfecta, vel ut alii loquuntur, actualis, & formalis.

659 Dicendum 1. Actus fidei divinæ eſt certus certitudine infallibilitatis. Ita communiſſima. Prob. Certitudo infallibilitatis conſiſtit in determinatione actus ad verum orta ex objecto formali, & lumine illius applicativo; ſed quilibet actus fidei divinæ ſupernaturalis habet talem determinationem, & quidem metaphyſicam; nam motivum formale eſt auctoritas, & revelatio divina reipſa exiſtens, lumen vero applicativum eſt illuſtratio ſupernaturalis, quod complexum neceſſitate metaphyſica connexum eſt cum veritate objecti materialis, quod per fidem affirmatur. Hinc Chriſtus Matth. 24 v. 35 dixit: *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*; S. Petrus epiſt. 2 cap. 1 v. 19: *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem*; Concilium Tridentinum: *Certitudinem fidei eſſe talem, cui non poſſit ſubeſſe falſum*; S. Chryſoſt. Homil.

mil. 21 in epiſt. ad Hebr. : *Fidem de iis, quæ creduntur, majorem certitudinem facere, quam de his, quæ ſciuntur* ; S. Baſil. in Pſal. 118 : *Fidem perſuadere præ omnibus rationibus naturalibus.*

Dicendum 2. Actus fidei divinæ eſt etiam certus certitudine adhæſionis. Ita rurſus communiſſima. Prob. 1 auctoritate. Actor. 8 v. 37 Philippus ab Evnucho Reginæ Candacis exigit *Fidem ex toto corde.* In ſymbolo S. Athanaſii poſt recenſitos præcipuos fidei articulos dicitur : *Hæc eſt fides catholica, quam niſi quisque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit* ; In profeſſione fidei juxta mentem Tridentini edi ſolita utimur hac expreſſione : *Firmiſſime credo, ac profiteor* ; Atqui hæ expreſſiones non eſſent veræ, niſi fides excluderet omnem formidinem, & dubitationem ſaltem deliberatam, & perfectam. Hinc S. Auguſtinus lib. 7 Confeſſ. cap. 10 ait : *Facilius dubitarem me vivere, quam eſſe vera, quæ audivi* ; Richard. a S. Victore lib. 1 de Trinit. cap. 2 : *Quotquot veraciter fideles ſumus, nihil certius, nihil conſtantius tenemus, quam quod fide apprehendimus.* Conf. Aſſenſus fidei non ſtat cum formidine, ne non ſit locutus Deus, ut patet ex damnatione propoſitionis 21 ; quam num. 549 allegavimus : ergo neque ſtat cum formidine, aut dubio de veritate myſterii revelati, cum quo revelatio divina eſt metaphyſice connexa. 660

Probatur concluſio ratione. Quo major eſt perſonæ auctoritas in loquendo, eo firmior ipſi debetur fides, quando ſufficienter de illius teſtimonio conſtat : ergo cum auctoritas Dei ſit in loquendo ſumma, debetur ipſi fides firmiſſima. Ideo juxta omnes formido, & dubitatio deliberata de veritate objecti a Deo revelati, 661

& sufficienter propositi est gravissima irreverentia intellectualis, & contemptus auctoritatis divinæ. Cæterum quod certitudo adhæsionis fidei divinæ competens non sit pure intellectualis, & speculativa, sed affectiva, patet ex eo, quia saltem regulariter non provenit a sola evidentia, sed partialiter oritur ex pio affectu voluntatis assensum impetantis, & formidinem de opposito excludentis; hinc S. Scriptura, & Patres hortantur fideles, ut mysteriis fidei præstent assensum firmissimum, quod non facerent, si firmitas ista proveniret a sola evidentia, & non esset in libera potestate credentis.

Objectiones.

662 OBj. 1. Juxta S. Scripturam datur fides modica, & infirma, cum aliqua incredulitate, seu formidine mixta; sed fides modica, & infirma est simpliciter fides, sicut homo parvus, & infirmus est simpliciter homo: ergo. Maj. Prob. Matth. 14 v. 31 Christus ait: *Modicæ fidei, quare dubitasti*; Apost. ad Rom. 14 v. 1: *Infirmum in fide assumite*; Pater Energumeni Marci 9 v. 23: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Conf. S. Gregorius lib. 22 moralium cap. 24 facit discrimen inter fidem inchoatam, & perfectam, aitque: *Ipsa autem fides plerumque in suis exordiis nutat.* Resp. Neg. Maj. Christus apud Matthæum fidem accepit pro fiducia, ob cujus defectum Petrum in periculo submersionis redarguit. Apostolus per infirmos intelligit eos, qui nondum satis instructi putabant etiam sub Evangelio servandam esse differentiam legalem ciborum. Pater energumeni petiit fidem magis vivacem, & intensam. Ad Conf. S. Gregorius

rius per fidem inchoatam; vel tantum intelligit prævios quosdam motus intellectus, & voluntatis, qui licet nondum sint fides theologica, sunt tamen dispositio ad illam; vel fidem mere naturalem; a qua communiter incipit fides supernaturalis. Ratio ita interpretandi sunt nostræ probationes.

Dices. actus fidei credentem non certificat absolute de eo; quod objectum ita se habeat; prout enuntiat; nam credens non habet certitudinem de sua fide supernaturali. 663
Conf. Qui certo scit, debet etiam scire, se scire: ergo qui certo cred t, debet scire suum actum esse verum. Resp. Dist. Ant. Non certificat credentem exercite; Neg. Ant. reflexe, Conc. Ant. Aliud est, quod credens non habeat certitudinem reflexam de sua fide formali, ejusque supernaturalitate; aliud quod non habeat certitudinem directam de fide objectiva; seu mysterio, quod credit; hanc enim habet; & quidem absolute ratione objecti formalis infallibilis infallibili modo propositi. Ad Conf. Neg. Ant. Alias ad certitudinem cognitionis reflexæ rursus requireretur, ut reflexe cognoscatur; & sic in infinitum. Dein licet apprehensio prævia ad actum scientificum deberet ita esse clara, ut reflexe cognosci posset; non tamen ita cognoscimus supernaturalitatem nostrorum actuum.

Obj. 2. Ex una parte actus fidei est obscurus, ex altera parte potest simul stare cum actu opinativo de eodem objecto: ergo non excludit omnem formidinem, sicut illam non excludit actus opinativus. Conf. Experientia docet, quod multi fideles præsertim scrupulosi, dum eliciunt actum fidei, experiantur molestas dubitationes ac formidines similes il- 664

lis, quas experimur, dum affirmamus objecta mere probabilia: ergo. Refp. Tranf. Ant. Dift. Conf. ergo non excludit omnem formidinem antecedentem, & in fenfu divifo, Conc. Conf. confequentem, & in fenfu compofito cum fide divina, Neg. Conf. Quamvis antecedenter ad actum fidei poffimus formidare de veritate objecti, quando tamen actu fidem elicimus, hic ipfe actus omnem formidinem perfectam, & deliberatam excludit tum ratione piæ affectionis, tum ratione motivi formalis, & luminis applicativi; hinc quando opinio fimul ftat cum fide, nequit actu effe formidolofa, ficut quando ftat cum fcientia. Ad Conf. Neg. Ant. ejusmodi dubitationes vel non coexiftunt fidei, fed tantum aliquo modo, & absque perceptibili mora illi mifcentur, vel funt mere apprehenfiones inclinantes ad dubitandum, imo fubinde tantum fpecies phantafticæ, quæ præfertim a fcrupulofis non difcernuntur a dubio, & formidine perfecta ac proprie tali.

665 Dices. Charitas theologica non debet excludere omnem affectum ad veniale peccatum, neque fpes theologica omnem formidinem deliberatam, quia poffum fimul fperare, & timere, ne reprobus efficiar: ergo a pari. Conf. Si fides objectum formale deberet appretiare fuper omnia, actus fidei non effet minus arduus, quam actus charitatis theologicæ; hoc falfum: ergo. Refp. Tranf. Ant. Neg. Conf. Affectus ad peccatum veniale non opponitur graviter bonitati divinæ, & ftatui amicitiæ: ergo poteft ftare cum charitate habituali; de charitate vero actuali probabilius id negatur, quia debet bonitatem Dei appretiare fuper omnia adæquate & in tota fua latitudine. Actus fpei non eft fimpliciter, & omni ex parte firmus; nititur enim fimul perfectione divina, &

& simul nostra cooperatione, de qua semper merito possumus formidare. At fides unice nititur auctoritate Dei, & quælibet actualis formido pugnat graviter cum reverentia Deo loquenti debita. Ad Conf. Neg. Maj. Fides suum objectum formale solum debet appretiare supra illa, quæ eidem objecto opponuntur; charitas autem super omnia, quæ opponuntur objecto formali tam suo, quam omnium reliquarum virtutum.

Obj. 3. Vel assensus fidei esset certus cer- 666
titudine sibi intrinseca, ita ut per se ipsam excludat formidinem? vel tantum extrinseca consistente in imperio voluntatis formidinem prohibente? non primum, alias imperium voluntatis esset superfluum: non secundum, alias actus fidei ex perfectione intrinseca non esset firmior, quam actus opinativus. Conf. Hæretici æque firmiter suis adhærent erroribus, quam Catholici articulis veris: ergo. Resp. Certitudinem fidei partim esse intrinsecam, partim extrinsecam. Quod enim sit affectiva probavimus, quod autem etiam sit intellectualis, est conformius Scripturæ, conciliis, & doctrinæ Innocentii XI. Fundatur hæc firmitas partim in motivo formali specialiter applicato, & supernaturalitate actus fidei, partim in essentiali dependentia a pia affectione, & habitu infuso. Nec tamen ideo imperium voluntatis est superfluum, quia non vult, ut assensus jam existens primum suam firmitatem a voluntate acquirat, sed facit, & vult, ut assensus de se firmus existat. Ad Conf. Neg. Ant. Quamvis Hæretici suis erroribus adhæreant æquali, vel etiam majore conatu voluntatis, hæc firmitas tamen nec est supernaturalis, nec ex merito motivi; hinc potius dicenda pertina-

 cia,

cia, quam certitudo, cum omnis certitudo sit determinatio ad verum.

667 Dices. Quando rusticus eodem tempore credit articulum verum, & falsum sub eadem discernibiliter apparentia propositum, non minus firmiter adhæret articulo falso per actum naturalem, quam vero per supernaturalem: ergo dependentia ab imperio voluntatis, habitus fidei, & supernaturalitas actus nihil conferunt ad firmitatem fidei. Conf. Saltem quando creditur objectum reipsa verum, quod tamen solum existimatur esse revelatum, actus naturalis fidei existimatæ habet tantam firmitatem, quantam verus actus fidei; nam ejusmodi actus potest procedere ab imperio supernaturali voluntatis æque efficaci, simulque ab intrinseco est æque determinatus ad verum. Resp. Dist. Ant. Æque firmiter adhæret articulo falso firmitate intrinseca, Neg. Ant. extrinseca eaque tantum apparenter tali, Conc. Ant. & Neg. Conf. Sicut respectu articuli falsi solum datur certitudo putatitia, & apparens, ita firmitas adhæsionis tantum est apparens, nisi etiam accedat certitudo intrinseca se tenens ex parte intellectus, quia alias tantum nititur fundamento infirmo, & persuasione falsa. Ad Conf. Neg. Ant. tum quia imperium voluntatis tantum est efficax ad imperandum actum naturalem, tum quia hic actus non est determinatus ad verum ex motivo suo formali.

668 Quæres 1. An actus fidei divinæ certitudine infallibilitatis sit certior actu naturaliter evidente. Resp. Cum auctoritas Dei revelantis, & illustratio supernaturalis, quibus actus fidei nititur, sit complexum multo perfectius, quam ratio & lumen mere naturale, in quibus fundatur actus evidens, fides divina longe majorem habet vim, & perfectio-

nem

nem excludendi falsitatem, quam quilibet actus naturalis etiam metaphysice evidens; adeoque in hoc sensu actus fidei potest dici certior certitudine infallibilitatis formali, & subjectiva. An vero ideo etiam habeat majorem repugnantiam cum falsitate, quam evidentia metaphysica, videtur pertinere ad modum loquendi. Si significare velis, quod una certitudo metaphysica magis, altera minus, una facilius, altera difficilius cum falsitate possit conjungi, merito id negatur, quia quælibet habet omnimodam, absolutam, adeoque summam cum falsitate repugnantiam. Si vero tantum velis, quod in actu fidei repugnantia cum falsitate oriatur ex perfectiore radice, id libenter admitto; atque in hoc sensu etiam verum est, quod cognitio divina sit infinite certior, quam quælibet humana; cum enim Deo infinite magis repugnet non esse quam creaturæ, cognitio, qua Deus propriam suam existentiam cognoscit, oritur ex radice infinities perfectiore.

Quæres 2. An actus fidei divinæ etiam sit certior quolibet actu naturaliter evidente certitudine adhæsionis? Resp. iterum sub distinctione. Quamquam enim certitudo adhæsionis in actu fidei habeat perfectiorem radicem, vi cujus credens saltem implicite, & virtualiter sit ita constitutus, ut si necessarium esset, mallet carere quolibet actu naturali evidente, quam actu fidei de eodem objecto, & potius mori, quam de objecto revelato dubitare, aut formidare, qualis appretiatio non datur respectu actus naturalis etiam metaphysice evidentis, quis enim prudens vellet pro demonstratione mathematica mori? Nihilominus quia actus naturaliter evidens non solum 669

excludit formidinem deliberatam, & proprie dictam, sed etiam indeliberatam ita, ut ne quidem relinquat potentiam antecedentem formidandi, sed intellectum plane ad assensum rapiat, actus naturaliter evidens videtur intellectum firmius ad objectum alligare, quam actus fidei divinæ; hinc credens nec potest, nec debet ita esse constitutus, ut mallet negare objectum demonstratum, quam creditum.

QUÆSTIO IV.

An, & qualis fides sit necessaria necessitate medii?

670 NEcessarium necessitate medii dicitur, quod est medium per se ordinatum ad conferendam, vel constituendam justificationem ita, ut eo etiam invincibiliter omisso in hac providentia salus obtineri nequeat. Ita necessariam esse fidem habitualem, patet ex eo, quia nemo potest justificari sine gratia sanctificante; hæc autem semper est conjuncta cum habitu fidei. Unde præsens quæstio procedit de fide actuali, & quidem respectu hominum adultorum nondum baptizatorum; nam infantes utique non sunt capaces actualis fidei. Quid vero dicendum esset de parvulo, qui post Baptismum ab infidelibus abstraheretur, & postea omnis peccati gravis quidem expers Attamen omnium mysteriorum invincibiliter ignarus post adeptum usum rationis moreretur, non est opus hic decidere. Videri potest Cardenas, & la Croix. Certe talis homo in æternum non peribit, sed vel tanquam infans salvabitur, vel Deus facienti, quod est in se, & legem naturalem implenti non deerit, quin per specialem illustratio-

tio-

tionem, aut Angelos necessario credenda illi proponat.

Dicendum 1. Cuilibet homini adulto ante 671
usum rationis necdum baptizato necessitate medii necessaria est fides aliqua actualis in re, & non tantum in voto. Prob. 1 pars ex Scriptura, quæ ad Hebr. 11 v. 5 ait: *Sine fide autem impossibile est placere Deo*; ad Galat. 2 v. 16: *Scientes, quod non justificatur homo nisi per fidem JEsu Christi*; Marci 16 v. 16: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*; Hinc Tridentinum sess. 6 cap. 7 & 8 docet, *Sine fide nulli contingere justificationem, sed illam esse humanæ salutis initium, fundamentum & radicem omnis justificationis*; Consonant SS. Patres apud Suarium disp. 1 de fide sect. 1. Nobis sufficiat illud S. Augustini serm. 38 de tempore: *Sine fide nemo ad filiorum Dei consortium potest venire*. Prob. 2 pars ex communissima auctoritate theologorum, qui textus citatos contra Vegam interpretantur de fide actuali, & in re, tum quia Apostolus ad Hebr. 11 doctrinam suam semper confirmat exemplis fidei reipsa elicitæ, tum quia Marci 16 videtur adstrui major necessitas fidei, quam Baptismi, idque clare indicat Tridentinum, dum loco citato fidem requirit absolute, & determinate, lavacrum regenerationis autem tantum disjunctive, vel in re, vel in voto.

Dicendum 2. Fides actualis necessitate me- 672
dii necessaria debet esse supernaturalis, & theologica, seu stricte dicta, videlicet elicita propter auctoritatem Dei revelantis, & non tantum ex testimoniis creaturarum, vel aliis rationibus. Prob. 1 pars. Tum quia fides, ex

qua justus vivit juxta S. Paulum ad Hebr. 11 v. 1: *Est sperandarum substantia rerum*; & Joann 6 v. 29 a Christo vocatur *opus Dei*: tum quia Tridentinum sess. 6 can. 3 de justificat. damnat eum; *Qui dixerit sine Spiritus sancti inspiratione posse hominem credere, sicut oportet*. Hinc nemo Catholicorum unquam dixit, quod fides naturalis ad salutem sufficiat. Prob. 2 pars auctoritate Apostoli, & Tridentini; quippe illa fides est sperandarum substantia rerum, qua credimus bona æterna nobis esse a Deo summe veridico promissa, & de qua Tridentinum sess. 6 cap. 6 ait: *Moventur libere in Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt*; atqui hæc fides debet niti auctoritate Dei revelantis. Ideo ab Innocentio XI damnata est propositio 23: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit*. Hanc tamen damnationem juxta Cardenas non incurreret, qui diceret in alia providentia hominem potuisse per fidem late dictam ad salutem pervenire.

673 Dicendum 3. Necessitate medii necessaria est fides explicita saltem de Deo existente, & remuneratore. Prob. ex Scriptura, quæ ad Hebr. 11 v. 6 dicit: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Item ex propositione 22 damnata ab Innocentio XI: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris*. Porro longe communior theologorum docet, hanc fidem debere esse de Deo ut remuneratore supernaturali, non quidem reduplicative, quasi hoc ipsum quoque debeat credi explicite, quod remuneratio sit supernaturalis, sed saltem specificative, quatenus creditur, & speratur a Deo gloria cælestis, quæ revera supernaturalis est; quip-

pe

pe Apostolus ad Hebr. 11 toto ferme capite loquitur de fide, per quam concipitur spes æternæ felicitatis, & patriæ cælestis, quæ est sperandarum substantia rerum, & argumentum non apparentium, quas nec oculus vidit, nec auris audivit &c. Tridentinum quoque sess. 6 cap. 6 post verba superius citata addit: *Illud imprimis credi debere, a Deo justificari impium per gratiam*; nempe ut Esparza ait: talis credendus est Deus per fidem, qualis quæritur per accessum; sed per accessum quæritur ut remunerator supernaturalis: ergo.

Dixi 1. Fides explicita, quod enim omnia a Deo revelata saltem implicite, aut virtualiter credi debeant, ostendi disp. 2 q. 5. Dixi 2 saltem de Deo existente, & remuneratore; quippe non desunt graves auctores, qui contendunt, post adventum Christi & sufficientem Evangelii promulgationem necessitate medii etiam explicite credi debere Christum ut Redemptorem, & Deum ut trinum in personis. Verum Vasquez, Lugo, Medina, Sotus, aliique plurimi hanc necessitatem negant, tum, quia non sufficienter probatur, tum quia homo sine fide explicita in Christum, & Trinitatem potest credere Deum tanquam summum bonum, & remuneratorem supernaturalem, eumque accedentibus gratiæ auxiliis super omnia amare, & sic justificari. Neque enim datur efficax ratio dicendi, quod Deus libere decreverit, nunquam dare auxilia gratiæ ad actum charitatis necessaria, nisi præcesserit fides explicita in Christum, & Trinitatem. Interim quia sententia affirmativa etiam est probabilis, & quæstio versatur circa rem necessariam necessitate medii, in praxi omnino securius est tenendum, ne salus 674

lus animæ periculo exponatur, si sententia negativa revera esset falsa.

Objectiones.

675 OBj. 1. Modo Deus cognoscatur ex creaturis, jam potest amari super omnia: ergo ad justificationem & salutem non est necessaria fides strictè talis, & multo minus in Deum remuneratorem. Conf. Cornelius centurio Act. 19 dicitur Religiosus, ac timens Deum, antequam credidit: ergo fuit justificatus, & salvari potuit absque fide strictè tali. Resp. Dist. Ant. potest amari super omnia amore naturali, Conc. Ant. supernaturali, & quidem amore amicitiæ, Neg. Ant. Deus in hac providentia saltem libere decrevit, non dare sufficiens auxilium supernaturale ad amorem perfectum, nisi præcedat fides strictè talis in Deum remuneratorem, ut colligimus ex sacra auctoritate. Imo Maurus, Perez aliique existimant ex ipsa natura rei Deum non posse amari amore perfecto amicitiæ, nisi cognoscatur tanquam paratus amicitiam æternam nobiscum inire, aut tanquam finis noster ultimus, & dignissimus, quo æternum fruamur, adeoque tanquam remunerator. Ad Conf. Dist. Ant. Dicitur Religiosus antequam explicite credidit in Christum, Conc. Ant. in Deum remuneratorem, Neg. Ant. cujus falsitas clare colligitur ex can. 25 concilii Arausicani II alibi citato.

676 Dices. Ad alios actus salutares eliciendos non est necessaria fides strictè talis in Deum remuneratorem: ergo neque ad actum perfectæ charitatis. Conf. Media absolute necessaria ad salutem debent posse ab omnibus acquiri; sed fides strictè talis in Deum remuneratorem non

non poteſt ab omnibus acquiri ; cum multis gentilibus Evangelium nunquam fuerit prædicatum. *Quomodo autem credent ſine prædicante?* quærit Apoſtolus ad Rom. 10 v. 14. Reſp. Diſt. Ant. Si tales actus proxime, ac perfecte diſponant ad juſtificationem, & ſalutem, Neg. Ant. ſecus, Tranſ. Ant. & Neg. Conſ. Multi exiſtimant Deum nunquam dare cognitionem ſupernaturalem aliaque auxilia ad actus ſalutares requiſita, niſi præceſſerit fides ſtricte talis, vel ipſi actus ſalutares per ſe ad actum fidei prærequirantur ut pia affectio, ſaltem textus in probatione a nobis allati id probant de actibus ad juſtificationem proxime conducentibus. Ad Conf. Conc Maj. Neg. min. Si gentiles faciant, quod eſt in ſe, Deus omnes homines volens ſalvos fieri, alia quacunque ratione ipſis providebit, ur poſſint elicere fidem proprie talem.

Obj. 2. Ex una parte fideles non ſolent facere diſcrimen inter Deum tanquam remuneratorem naturalem, & ſupernaturalem: ex altera parte quando aliquis Deum perfectiſſime diligit, ab illius remuneratione præſcindit: ergo non requiritur fides in Deum tanquam remuneratorem ſupernaturalem. Conf. In lege Moſaica Deus ſolum credebatur tanquam largitor bonorum temporalium: ergo. Reſp. Diſt. Ant. fideles non ſolent facere hoc diſcrimen ſignate, & reflexe, Conc. Ant. exercite, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & Diſt. etiam alterum. Quando Deus perfectiſſime amatur, præſcinditur ab illius remuneratione in ipſo actu charitatis, Conc Ant. in prævio actu fidei, Neg. Ant. modo credatur remuneratio altior omnibus terreſtribus, vel æterna, prout in hac providentia nobis revelatur, & promittitur, Deus jam creditur tanquam auctor ſupernaturalis 677

talis ſpecificative talis ; & licet hæc remuneratio non neceſſario debeat movere ad amorem ; debet tamen prius cognoſci per actum fidei. Ad Conf. Neg. Ant. Deus in lege Moſaica promiſit quidem etiam bona temporalia, & ut largitor illorum credi potuit, ſed hæc fides non ſuffecit ad amorem juſtificativum, ut evincunt noſtræ probationes.

678 Dices. Juxta nos gravis peccator non poſſet juſtificari niſi prius eliceret fidem in Deum tanquam remuneratorem ſupernaturalem; hoc eſt contra praxim confitentium : ergo. Conf. Attritio ex metu gehennæ concepta ſufficienter avocat a peccatis : ergo etiam ſpes beatitudinis, licet præſcindat a ſupernaturalitate. Reſp. Diſt. Maj. Si prius fidem nunquam elicuit ; aut illam per peccatum oppoſitum iterum amiſit ; Conc. Maj. ſecus ; Subdiſt. niſi prius eliceret fidem explicitam, Neg. Maj. implicitam, & virtualiter talem, Tranſ. Maj. Qui ſæpius elicuerunt fidem, compararunt ſibi ſpecies ſuaſivas de conducentia boni operis ad ſalutem, unde quando actus ſalutares eliciunt, ex ſupernaturali lumine judicant, illos ad vitam æternam conducere, etiamſi ſe explicite non reflectant ad motivum fidei. Aliud eſt de iis ; qui prius fidem vel nunquam elicuerunt, vel habitum fidei iterum perdiderunt : apud hos ait la Croix certum eſſe ; quod ad juſtificationem prærequiratur fides actualis. Ad Conf. Diſt. Ant. avocat a peccato avocatione qualicunque, Conc. Ant. juſtificativa ; Subdiſt. ſi hic metus ſit ſupernaturalis ; & conjunctus cum Sacramento ; Conc. Ant. ſecus ; Neg. Ant. Ut attritio ex metu gehennæ ſit ſupernaturalis, & in Sacramento ad juſtificationem conducat, ſaltem remote ſupponit fidem

ll &

& ſpem de Deo remuneratore ſupernaturali, ut colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6 cap. 7 & ſeſſ. 14 cap. 4.

Obj. 3. Sacra Scriptura ſæpe judicat, fidem explicitam in Chriſtum neceſſitate medii eſſe neceſſariam, ait enim, quod *Juſtitia Dei ſit ſuper omnes per fidem Chriſti, qui credunt in illum*, ad Rom. 3 v. 22; *Quod non juſtificetur homo, niſi per fidem Chriſti*, ad Galat. 2 v. 16; *Quod jam ſit judicatus, qui non credit in nomine Filii Dei*, Joan. 3 v. 18. Eodem modo paſſim loquuntur SS. Patres. Reſp. Neg. Ant. Textus Scripturæ, & Patrum poſſunt intelligi vel 1 de neceſſitate præcepti reſpectu illorum; quibus Evangelium eſt prædicatum. 2. De fide in Chriſtum implicita, in quantum credendo Deum remuneratorem credimus, quod nos ad beatitudinem velit perducere modo ac mediis ſibi placitis, inter quæ præcipue eſt Chriſtus. 3. De fide in Chriſtum in voto, ſaltem implicito, in quantum illud ad ſalutem conducit non tantum negative, ſicut votum ſervandi alia præcepta, ſed poſitive tanquam diſpoſitio ad juſtificationem requiſita. 4. De fide Chriſti non ut objecti, ſed ut cauſæ meritoriæ, quatenus ſola illa fides ad ſalutem ſufficit; quæ elicitur ex gratia, & meritis Chriſti. Ratio ita exponendi textus eſt, quia S. Paulus ad Hebr. 11 ſolum requirit fidem in Deum remuneratorem, & Cornelius fuit juſtificatus, antequam explicite in Chriſtum credidit. 679

Dices 1. In ſymbolo S. Athanaſii dicitur: *Homini ad ſalutem æternam neceſſarium eſſe, ut Incarnationem quoque Domini noſtri JEſu Chriſti fideliter credat*; & concilium Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 6 ait: *Illud imprimis credi debere a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per re-* 680

redemptionem, quæ eſt in Chriſto. Conf. S. Auguſtinus tum alibi ſæpius, tum lib. 18 de civitate cap. 47 docet: *Nemini etiam ante Adventum Chriſti conceſſum fuiſſe, ut ſit juſtus, niſi cui divinitus revelatus eſt unus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus J Eſus.* Reſp. Symbolum S Athanaſii non loquitur determinate de neceſſitate medii, alias omnia, quæ in ipſo continentur, eadem neceſſitate credi deberent; nam ita concludit: *Hæc eſt fides catholica, quam niſi quisque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Tridentinum loc. cit. varias diſpoſitiones ad juſtificationem enumerat, quæ certe non ſunt eodem modo neceſſariæ, uti prædicatio externa Evangelii. Imo ex verbis citatis ſolum ſequitur requiri fidem in Deum per gratiam, quæ eſt ex meritis Chriſti, quin ideo credi debeat, quod ſit ex meritis Chriſti. Ad Conf. S. Auguſtinus vel juxta Suarium hic deſerendus, vel mitius exponendus de fide implicita, aut in voto; nam fides explicita in Chriſtum ante adventum ipſius juxta ipſos Adverſarios non fuit neceſſaria neceſſitate medii.

681 Dices 2. Innocentius XI damnavit hanc propoſitionem: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam culpabilem neſciat myſterium Trinitatis, & Incarnationis.* Conf. Juxta nos fides in Chriſtum non eſſet magis neceſſaria, quam fides aliorum articulorum; hoc abſurdum: ergo. Reſp. Ex hac damnatione ad ſummum probari, quod notitia Incarnationis, & Trinitatis ſit neceſſaria ad abſolutionem, non vero ad perfectam contritionem, adeoque nec ad juſtificationem. Dein prima pars propoſitionis illimitate loquitur de igno-

ignorantia myſteriorum fidei, etiam Dei remuneratoris: pars altera etiam agit de ignorantia culpabili; hinc utraque merito damnata eſt. Porro qui hæc duo myſteria ignorat culpabiliter, non eſt diſpoſitus ad valorem Sacramenti; ſi autem ignorantia eſt invincibilis, & pœnitens poſſit inſtrui, rurſus non poteſt abſolvi ſaltem licite, quia Sacerdos debet eſſe Doctor, & hic non poteſt ſequi ſententiam minus tutam, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Interim ſicut ſpeculative probabile eſt, notitiam horum myſteriorum abſolute non requiri, ita ſpeculative eſt probabile, quod talis poſſit abſolvi valide. Quamquam caſus moraliter vix videtur poſſibilis; qui enim neſcit hæc duo myſteria, vix poterit eſſe ſufficienter inſtructus in iis, quæ eſſentialiter ad Sacramentum pertinent. Ad Conf. Tranſ. Maj. Neg. min. Quia Chriſtus nihilominus eſt magis principale objectum fidei, & fides totam ſuam efficaciam habet ex gratia, & meritis Chriſti.

QUÆSTIO V.

An, & qualis fides ſit neceſſaria neceſſitate præcepti?

PRæceptum fidei aliud eſt negativum, aliud poſitivum. Negativum jubet, ne ulli articulo ſufficienter nobis propoſito diſcredamus, neve fidem exterius negemus, utendo talibus verbis, aut ſignis, quæ vel ex natura ſua, vel inſtitutione hominum principaliter ordinantur ad cultum falſæ religionis ſignificandum. Hoc præceptum obligat ſemper, & pro ſemper; qui enim veritatem, quam ſufficienter agnoſcit a Deo eſſe revelatam, negat, vel de illa dubi- 682

tat, gravem auctoritati divinæ infert injuriam. De iis vero, qui fidem etiam tantum exterius negant, aut falſam Religionem ſimulant, Chriſtus Matth. 10 v. 33 dixit: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.* Certe SS. Martyres atrociſſimam mortem ſubire, quam Religionem falſam profiteri, aut ſimulare maluerunt; hinc Innocentius XI damnavit hanc propoſitionem ordine 18: *Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere autem ut peccaminoſum per ſe non damno.*

683 Præceptum poſitivum jubet, ut pro certis circumſtantiis fidem exterius actu profiteamur. Colligitur ex illo Apoſtoli ad Rom. 10 v. 10: *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Tales circumſtantiæ ſunt 1. Quando alias periclitaretur honor Dei, aut Chriſti, quia Religio catholica poſſet cenſeri falſa. 2. Quando alias ipſe homo non profitens ſe exponeret periculo, ne ex timore fidem neget. 3. Quando ſilentium eſſet ſignum negationis, vel erubeſcentiæ fidei. 4. Quando ex negatione profeſſionis orietur grave detrimentum, aut ſcandalum proximi. 5. Quando Eccleſia ex ſpeciali lege ad faciendam profeſſionem fidei obligat, ut pluribus explicant Caſiſtæ. Nobis duo adhuc examinanda reſtant, an videlicet actus internus fidei quandoque ſit præceptus, & quidem ita, ut hoc præceptum per ſe, & directe ad virtutem fidei pertineat, & in illius honeſtate fundetur? Item quorum articulorum fides explicita, hominibus adultis vi præcepti ſit neceſſaria?

Di-

Dicendum 1. Aliqua fides actualis eſt ne- 684
ceſſaria neceſſitate præcepti, & quidem ſpecialis per ſe, & directe ad virtutem fidei pertinentis. Prob. 1 pars ex S. Scriptura, in qua 1 Joan. 3 v. 23 dicitur: *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus;* & Marc. ult. v. 16: *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Imo cum juxta Scripturam aliqua fides ſit omnino neceſſaria neceſſitate medii, hoc ipſo eſt neceſſaria neceſſitate præcepti; quilibet enim ex præcepto tenetur adhibere illa media, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, & adhiberi poſſunt. Prob. 2 pars ex damnatione propoſitionum, nempe 16 damnatæ ab Innocentio XI: *Fides non cenſetur cadere ſub ſpeciale præceptum, & ſecundum ſe;* & 1 damnatæ ab Alexandro VII: *Homo nullo unquam vitæ ſuo tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ratio concluſionis eſt, quia datur ſpeciale peccatum infidelitatis virtuti fidei oppoſitum: ergo etiam datur ſpeciale præceptum fidei, ſicut datur ſpeciale præceptum eliciendi actus aliarum virtutum ſpei, charitatis, Religionis &c.

Dicendum 2. Quilibet adultus neceſſitate 685
præcepti per ſe tenetur non ſolum explicite quoad ſubſtantiam, & juxta ſuam capacitatem credere omnes articulos ſymboli Apoſtolici, ſed præter illos plura alia ſcire, quorum notitia ipſi eſt neceſſaria ad vitam bene, & juxta ſuam obligationem inſtituendam. Prob. 1 pars. Quia Chriſtianus ſaltem primaria capita ſuæ Religionis debet explicite credere, & habere regulam univerſalem, ex qua dignoſci poſſit, quid ipſi explicite credendum ſit; atqui primaria capita Religionis chriſtianæ continentur in ſymbolo apoſtolico, quod teſte S. Auguſtino

ferm. 135 de tempore in hunc finem ab Apostolis fuit compositum, ut fideles haberent compendium eorum, quæ nosse debent; hinc istam obligationem semper agnovit Ecclesia, ut patet ex concilio Agathensi, Bracharensi, Cabilonensi, & pluribus SS. canonibus distinct. 4 de consecr. Idipsum confirmat consuetudo Ecclesiæ, quæ extra casum necessitatis nullum adultum baptizat, nisi doctus, & professus fuerit totum symbolum. Pars 2 patet ex eo, quia obligatio faciendi infert obligationem sciendi: ergo sicut homo tenetur vitam bene, & christiane instituere, sic tenetur sibi comparare notitiam ad hoc necessariam.

686 Dixi 1. Quemlibet adultum per se teneri explicite credere symbolum apostolicum; nam per accidens potest quis excusari ob defectum rationis, aut instructionis. 2. Quoad substantiam, quia non datur obligatio saltem gravis explicite credendi omnes circumstantias, aut ut singula verba memoria teneantur. 3. Juxta cujusque capacitatem, quippe licet singuli articuli debeant credi in se, & sub propria ratione, quæ per ipsa verba ingenerari solet, non tamen rudes tenentur de illis habere conceptus omnino perfectos ita, ut etiam sciant hos articulos explicare, aut aliquam eorum rationem reddere. 4. Quæ necessaria sunt ad vitam christiane instituendam, uti sunt oratio dominica, præcepta decalogi, & saltem quatuor prima præcepta Ecclesiæ. Item Sacramenta cuilibet adulto necessaria, & reliqua, quando ea volunt suscipere, aut administrare. 5. Juxta suam obligationem plura enim e. g. circa licentiam contractuum debet scire mercator, quam rusticus, plura advocatus, & judex, quam partes litigantes; maxime autem

tem præ aliis debent esse docti animarum pastores, a quibus alii normam vivendi accipere debent.

Objectiones.

OBj Si daretur præceptum eliciendi fidem actualem internam, vi illius deberemus elicere actum supernaturalem; hoc non potest dici, quia nunquam possemus scire, an hoc præceptum impleverimus. Conf. Non debet admitti speciale præceptum, nisi id contineatur in decalogo: ergo. Resp. Dist. Maj, Deberemus elicere actum supernaturalem saltem apparenter talem, Conc. Maj. semper reipsa talem, Neg. Maj. Quia hoc quandoque non est in nostra potestate ob defectum occultum alicujus comprincipii supernaturalis, vel alterius conditionis requisitæ. Unde præceptum fidei solum obligat, ut, quantum in nobis est, conemur actum supernaturalem elicere. Imo etiam de actu supernaturali plerumque non possumus prudenter dubitare, cum Deus facienti, quod est in se, sua gratia deesse non soleat. Ad Conf. Neg. Ant. Sed sufficit, si præceptum existat in Scriptura, ex qua illud satis probavimus. 687

Dices. Præceptum eliciendi actum fidei, neque est naturale; hoc enim non obligat ad actus supernaturales; neque est supernaturale, alias non posset cognosci, nisi per actum fidei; neque est mere ecclesiasticum, quia Ecclesia juxta multos non potest præcipere actus mere internos: ergo. Conf. Si hoc præceptum esset supernaturale, deberet impleri, antequam cognosceretur; hoc absurdum: ergo. Resp. Neg. Ant. quoad 1mum & 2dum membrum. Hoc præceptum sub diverso respectu est natu- 688

rale, & ſupernaturale, ſeu poſitivum divinum. Supernaturale eſt præſuppoſitive, quatenus præſupponit elevationem hominis ad finem ſupernaturalem, revelationem ſupernaturalem, & oblationem auxiliorum ſupernaturalium; naturale eſt conſecutive, quatenus ſuppoſita dicta hypotheſi connaturaliter ſequitur præceptum fidei ſupernaturalis, dictante ipſa natura, omnia Dei præcepta eſſe obſervanda. Hinc facta hypotheſi, quod homo ſit elevatus ad ſtatum ſupernaturalem, etiam præceptum naturale poteſt obligare ad actus ſupernaturales. Neque aliquid obſtat, quo minus præcepta ſupernaturalia per cognitionem mere naturalem poſſint cognoſci. Ideo ad Conſ. Diſt. Maj. hoc præceptum deberet impleri, antequam cognoſceretur per actum fidei, Tranſ. Maj. per cognitionem naturalem, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ.

689 Obj. 2. In ſymbolo Apoſtolorum multa continentur, quæ non debent credi explicite, uti Virginitas Deiparæ, deſcenſus Chriſti ad inferos, ſeſſio ad dexteram Patris, communio Sanctorum &c.: ergo non debent omnes articuli explicite credi. Conſ. Juxta noſtram ſententiam plurimi damnarentur ob ignorantiam horum articulorum: ergo. Reſp. Diſt. Ant. quæ non debent credi explicite quoad omnes circumſtantias, Conc. Ant. quoad ſubſtantiam, Neg. Ant. & eodem modo Conſ. Licet aliqua in ſymbolo apoſtolico e. g. quod paſſio Chriſti contigerit ſub Pontio Pilato, reſurrectio tertia die &c. ſolum videantur pertinere ad circumſtantias, tamen ea, quæ in objectione allata ſunt, probabilius ad ipſam ſubſtantiam pertinent, excepto forte articulo nono, quem Suarez putat virtualiter contineri, & credi in Eccleſia, quam credere debemus ſub conceptu unius

unius congregationis, in qua est vera sanctitas, & una fides sub uno capite, adeoque etiam communio membrorum in bonis operibus & orationibus. Verum hæc in praxi parum juvant, sed fideles in omnibus omnino articulis instrui debent. Ad Conf. Dist. Ant. Plurimi damnarentur, si eorum ignorantia sit graviter culpabilis, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Optandum esset, ut multi instructionem in his mysteriis culpabiliter non negligerent, licet nonnunquam potius culpa sit penes pastores, qui huic gravissimo muneri pro sua obligatione non satisfaciunt.

Dices. Quidam articuli e. g. de Sancto- 690
rum communione, Ecclesia &c. sunt valde obscuri, & ipsi theologi de eorum sensu inter se litigant: ergo non est credibile, quod omnes ad illos explicite credendos obligentur. Conf. Symbolum ab Apostolis dictum revera ab ipsis non est compositum, præsertim quoad formulam, sub qua circumfertur, ut ajunt Erasmus, & Calvinus cum suis: ergo. Resp. Transf. Ant. Dist. Conf. quod omnes obligentur ad illos explicite credendos sub conceptu omnino exacto, Conc. Conf. sub conceptu saltem rudi, quem ipsa verba indicant, Neg. Conf. Etiam alia mysteria e. g. Trinitatis, Incarnationis &c. difficulter a nobis penetrantur, & tamen juxta omnes explicite credi debent. Ad Conf. Neg. Ant. Contrarium constat ex constanti Patrum etiam primæ ætatis, omniumque fidelium consensu. Certe formula hæc est antiquissima, cumque nullus Pontifex, aut concilium possit ostendi, a quo illa sic ordinata fuerit, debet referri ad ipsos Apostolos, qui eam communiter fecisse dicuntur, antequam in gentes dividerentur, collatis communi opera sententiis.

691 Cæterum præter ſymbolum Apoſtolorum duo habemus alia Nicænum, & S. Athanaſii, quæ ſunt explicatio ſymboli apoſtolici, quin tamen ſufficienter probetur obligatio omnia explicite ſciendi, quæ in illis continentur. Nicænum conditum eſt a concilio generali Nicææ congregato, ut divinitas verbi divini expreſſius declararetur, quia id temporum illorum hæreſes exigebant, huic poſtmodum plura addidit concilium Conſtantinopolitanum I, præſertim de divinitate Spiritus ſancti. Continetur hoc ſymbolum paucis mutatis in Miſſali Romano. Symbolum vero S. Athanaſii habetur in Breviario Romano, & huic Patri tanquam auctori tribuitur a pluribus etiam conciliis particularibus. Sed hodie merito dubitatur, an vere ſit opus S. Athanaſii, tum quia de hoc illius opere ſilent omnes antiqui, tum quia ipſe Athanaſius in epiſtola ad Antiochenos teſtatur, ſe ſemper fuiſſe alieniſſimum a condenda nova formula fidei. Accedit, quod ſtylus auctorem latinum indicet, quiscunque hic ſit. Multi exiſtimant eſſe Vigilium Tapſenſem in Africa Epiſcopum, qui ſub finem ſæculi V floruit, & alium quemdam dialogum ſub nomine Athanaſii ſcripſit. Illud interea certum, hoc ſymbolum quoad ſenſum in operibus S. Athanaſii totum contineri, & eſſe certiſſimam fidei regulam, cum ab Eccleſia fidelibus ad credendum proponatur.


692 Quæres. Quando, & quoties præceptum ſpeciale eliciendi actum fidei obliget? Reſp. Circa hoc non convenire auctores. P. Gormaz, & Antonius Mayr exiſtimant, actum fidei ſingulis ſaltem annis eſſe graviter præceptum, tum quia iſta obligatio non videtur nimis gravis, tum quia debet elici intra tale tempus, ut non poſſit dici nimis diu differri, & hominem

diu

diu quasi Dei sui oblivisci; hinc etiam Ecclesia singulis annis præcipit Confessionem, & S. Communionem, quia alias nimis diu differri videretur. P. Cardenas, & Lugo dicunt actum fidei frequenter eliciendum esse, eoquod semper teneamur vivere christiane, & fides sit fundamentum omnium actionum christianarum. Illud certum, quod non sufficiat actum fidei per totam vitam tantum semel elicere, aut per quinquennium differre; nam Innocentius XI damnavit istas propositiones, 17: *Sufficit actum fidei semel in vita elicere*; 65: *sufficit illa mysteria semel credidisse.* 6: *Probabile est, ne singulis quidem quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum*; eadem autem est ratio de præcepto fidei.

Præterea præceptum speciale fidei juxta communem obligat in his circumstantiis. 1. Sub initium vitæ moralis, quando homini rationis compoti proponuntur mysteria fidei tanquam creditu necessaria. 2. Si quis patitur tentationes contra fidem, aut aliam virtutem, quas aliter superare nequit nisi eliciendo actum fidei. 3. Si actus fidei est necessarius ad exercendas alias virtutes, hic & nunc præceptas, quarum actus sine fide non possunt elici. 4. Quando facienda est exterior fidei professio. 5. Postquam aliquis per peccatum infidelitatis amisit habitum fidei. 6. In hora mortis. Ubi tamen notat P. Mayr, initium vitæ moralis, seu usus rationis, & articulum mortis non debere accipi pro instanti physice primo, aut ultimo, sed moraliter, ac ita, ut actus fidei post usum rationis non diu differatur, nec longo tantum tempore ante mortem eliciatur, quia alias hæc obligatio videretur nimis gravis. Sane pueri sæpe per ignorantiam invincibilem videntur ex- 693

cusari, licet tempore longiore actum fidei post usum rationis acquisitum nondum elicuerint.



PARS III.

De Spe, & Charitate Theologica.

PAuca sunt, quæ de gemina hac virtute tractanda præscribuntur; ut igitur brevitas hujus partis longitudinem prioris compenset, quinque duntaxat quæstionibus dicenda complectar.

QUÆSTIO I.

Quid sit Spes Theologica, & quodnam illius objectum?

694 SPes in genere juxta S. Thomam 1 2 q. 4 a. 1 est motus potentiæ appetitivæ consequens apprehensionem boni, futuri, ardui, possibilis adipisci. Itaque objectum Spei debet esse primo Bonum; quæ enim mala judicamus, non speramus, sed timemus. 2. Arduum, id est, conjunctum cum aliqua difficultate; nam quæ pro libitu habere possumus, quando volumus, non dicuntur sperari. 3. Futurum; quippe bonum præsens qua tale non speramus, sed de eo gaudemus; sufficit tamen, si res primum sit futura nostra quoad possessionem, cum utique multa speremus, quæ dudum jam extiterunt, sed a nobis necdum possidentur. 4. Possi-

Possibile adipisci, in quantum objectum spei repræsentatur ut probabiliter obtinendum; quæ enim apprehendimus ut impossibilia, aut certo non obtinenda, potius desperamus. Porro sicut cognitio, qua quis judicat rem esse suam, non constituit gaudium, quod habet de illa re, sed ad gaudium tantum præsupponitur; sic judicium de rei futuritione, & possibilitate non est ipsa spes, sed ad illam solum præsupponitur.

Ex his spes theologica definiri potest, quod 695
sit desiderium fiduciale, & supernaturale æternæ beatitudinis, & bonorum ad illam pertinentium, cum conatu quodam, & erectione animi Deo auxiliatori innixa. Definitio hæc quoad sensum est communissima, & dicit 1 desiderium, seu amorem concupiscentiæ, quo appetimus rem nondum possessam, ut nobis bonam; spes enim non est actus intellectus, sed voluntatis, sicut desperatio tantum est actus voluntatis. Hinc potest quis desperare beatitudinem, quam fide divina credit se obtinere posse, si velit; sed quia non vult relinquere peccata, & cooperari gratiæ, non habet desiderium saltem efficax, quale ad spem requiritur. Dicit 2. Fiduciam cum conatu, & erectione animi ad bonum saltem aliquando obtinendum ita, ut saltem aliquando velit facere, quod ex sua parte est necessarium. Sic peccator habitualis potest sperare, modo velit aliquando agere pœnitentiam: econtra desperans nunquam vult facere, quod ex sua parte requiritur; hinc desperatio est desiderium boni sine fiducia. Dicit 3, certitudinem, quatenus innititur Deo auxiliatori, de quo plura inferius.

Objectum materiale spei primarium est i- 696
pse Deus possidendus possessione beatifica, sive com-

complexum ex beatitudine noſtra objectiva, quæ eſt Deus, & ex beatitudine formali, conſiſtente in viſione intuitiva, & amore fruitivo Dei, in quo complexo etiam conſiſtit delectatio concupiſcentiæ Beatorum, ita tamen ut Deus ſe habeat tanquam objectum magis principale, & ut quod, poſſeſſio vero tanquam objectum minus principale, & ut quo. Ratio eſt, quia objectum materiale ſpei primarium eſt ſummum bonum noſtrum; hoc neque eſt ſola poſſeſſio Dei ſecundum ſe præciſe accepta, utpote aliquid mere creatum, neque ſolus Deus ſecundum ſe præciſe conſideratus, quia ſub hac ratione nondum intelligitur bonum noſtrum, ſed fit noſtrum per poſſeſſionem. Si dicas ſpem ſupponere amorem concupiſcentiæ ordinatum, Deum autem non poſſe ordinate amari propter nos. Reſpondeo imprimis ſtricte loquendo per ſpem Deum non amari propter nos, ſed nobis quatenus eſt ſummum bonum noſtrum. Dein ſperans ſe non habet pro fine cui excellentiæ, & poſitive ultimo, ſed tantum pro fine cui indigentiæ, & negative ultimo, in quantum appetit Deum tanquam ſuam felicitatem, in quo nihil eſt inordinatum.

697 Objectum materiale ſpei ſecundarium ſunt bona creata, tam naturalia, quam ſupernaturalia, quæ ad conſequendam æternam beatitudinem neceſſaria, vel utilia eſſe poſſunt, & ad actum ſpei non jam præſupponuntur, quippe ad eandem virtutem pertinet velle finem, & media, imo etiam fugere ea, quæ impediunt finem; unde etiam peccata, gehenna &c. non ſunt objectum materiale ſpei, ſed averſionis. Ut tamen ſperando iſta bona exerceatur ſpes theologica, debent ad Deum

um tanquam noſtrum bonum referri, & ſic fit, ut magis ſperemus Deum, ſicut ſi diligimus proximum propter Deum, etiam ipſum Deum, & magis diligimus; alias deſiderium fiduciale, quod Deum non ita attingeret, tantum eſſet ſpes moralis. Quod ſiquis deſideraret beatitudinem non ut ſibi bonam, ſed ut bonam Deo, & conducentem ad ejus gloriam, rurſus non exerceret actum ſpei, ſed deſiderium charitatis theologicæ, quia tantum deſideraret bonum ut bonum Deo. Sic actus charitatis eſt deſiderare gloriam nominis divini per totum orbem propagari.

Quatenus ſpes eſt deſiderium pro objecto 698
formali habet bonitatem Dei reſpectivam, ut bonam nobis; quippe ſpes per deſiderium fertur in Deum, ut eſt bonus, non ut eſt bonus in ſe; hic enim modus tendendi eſt charitati proprius: ergo ut eſt bonus nobis, ſicut univerſim objectum formale deſiderii eſt ipſa bonitas finis ut poſſidenda, quæ ad amorem concupiſcentiæ movere ſolet. Cætera vero bona, quæ propter Deum poſſidendum appetimus ad ſummum poſſunt dici objectum formale ſecundarium; nam hoc ipſo quod tantum deſiderentur propter Deum, ultimato ad Deum referuntur, & ipſa bonitas Dei ad illa deſideranda movet. Ex quibus patet, quod in ſpe theologica objectum præcipue amatum non ſit perſona ſperans, ſed Deus, adeoque ſiquis primario ſeipſum amaret, & Deum tantum ſecundario non eliceret ſpem theologicam; at vero licet etiam naturaliter moveamur in Deum ut nobis bonum, actus ſpei nihilominus eſt ſupernaturalis, quia non præciſe oritur ex inclinatione naturali, ſed ex inclinatione naturæ per gratiam elevatæ.

Qua-

699 Quatenus ſpes eſt fiducia pro objecto formali habet Deum auxiliatorem, ſeu ipſius fidelitatem, omnipotentiam, & promiſſionem; his namque Dei perfectionibus homo movetur ad concipiendam fiduciam vincendi tentationes, & obtinendi æternam beatitudinem ſolis viribus naturæ non obtinendam. Porro hoc motivum fiduciæ eſt ſaltem objectum formale quo; ſicut enim medicina poteſt eſſe motivum ſpei, qua ſperatur ſanitas, quin ipſa medicina ametur, aut ad deſiderium ſanitatis moveat, ita poteſt quis ſperare, & amore concupiſcentiæ deſiderare æternam beatitudinem, quin ideo amet Deum ut auxiliatorem vel ipſius auxilia. Neque dicas, tali modo etiam noſtras vires aut cooperationem fore objectum formale ut quo ſpei theologicæ, cum etiam ſine his noſtra beatitudo non poſſit obtineri; nam juxta communem modum loquendi, illud ſolum dicitur objectum formale fiduciæ, ex quo concipitur ſpes obtinendi rem, ſuppoſito, quod ſperans etiam faciat, quæ ex parte ipſius requiruntur.

700 Paulo aliter explicat objectum ſpei Ulloa. Juxta hunc quatenus ſpes eſt deſiderium, illius objectum formale conſiſtit in bonitate Dei a nobis poſſidendi, quatenus eſt fiducia tendens in bonum arduum ut poſſibile in omnipotentia Dei auxiliante, & quatenus eſt certa in promiſſione, & fidelitate Dei, quæ quidem certitudo juxta ipſum præſupponit, ſed non involvit omnipotentiam tanquam motivum; quia, ut ait, omnipotentia ſecundum ſe tam parum movere poteſt ad fundandam certitudinem auxilii, quam parum poteſt movere ad ſperandam unionem hypoſtaticam, quam Deus nobis non promiſit. Exiſtimant quidem aliqui, ſpem verſari poſſe etiam

am circa bona quædam a Deo non promiſſa e. g. circa auxilia efficacia, gratiam finalem &c. Verum ejusmodi actus non ſunt ſpes theologica, ſed actus honeſti concupiſcentiæ, qui modo ad hanc, modo ad aliam virtutem pertinent, & oriuntur ex fide ſupernaturali de miſericordia, & bonitate Dei, conjuncta cum prudenti perſuaſione, quod Deus nos ſit auditurus.

Quæres. An, & quomodo ſpes theologica debeat eſſe certa? Reſp. Quod debeat eſſe certa, patet tum ex ſacra Scriptura, quæ ad Hebr. 6 v. 19 illam vocat *Anchoram animæ tutam, & firmam*; tum ex Tridentino, quod ſeſſ. 6 cap. 13 de dono perſeverantiæ ait: *Nemo certi ſibi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent.* Atqui ſpes non poſſet eſſe tuta, ac firmiſſima, niſi eſſet certa; hinc actum ſpei debet præcedere fides theologica de promiſſo divino auxilio. Notandum tamen 1. Quod certitudo ſpei non ſit intrinſeca, & formalis, ſed extrinſeca, & præſuppoſitiva, in quantum ad deſiderandum bonum ſperatum dirigitur ab actu fidei infallibili, & certiſſimo; nam ſpes eſt actus voluntatis, certitudo autem formaliter tantum convenit actibus intellectus. 2. Quod ſpes tantum ſit præſuppoſitive certa, quatenus nititur Deo auxiliante, quatenus autem tanquam conditionem etiam requirit noſtram cooperationem, eſt incerta, & fluctuans; hinc ſpes theologica conjungibilis eſt cum timore non tantum filiali, ſed etiam ſimpliciter ſervili, imo hic ipſe timor, tanquam actus elicitus ad ſpem pertinet, ut indicat Apoſtolus ad Philippenſes 2 v. 12 ſcribens: *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini.* 701

Di-

702 Dices. Tali modo actus ſpei tantum eſſet conditionatus. Prob. Juxta Tridentinum non poſſumus abſolute judicare, quod bonum ſperatum ſimus obtenturi, ſed tantum conditionate, ſi divinis auxiliis rite cooperemur. Conf. Juxta nos etiam ille, cui Deus revelaſſet ſuam damnationem, poſſet habere ſpem certam ſalutis; nam etiam hic poſſet habere cognitionem certam, quod ſit æternum ſalvandus, ſi divino auxilio cooperetur. Reſp. Neg. ſequelam. Ad Prob. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis illi actus, qui ex parte intellectus ad ſpem præſupponuntur, ſint tantum conditionati, adeoque certitudo ſpei aliquo modo conditionata, tamen actus voluntatis, in quo ipſa ſpes conſiſtit, nempe deſiderium beatitudinis, & erectio animi, eſt abſolutus; qui enim infallibiliter cognoſcit, quod Deus ſub conditione ſibi libera beatitudinem promiſerit, illam jam poteſt abſolute deſiderare, & ad illam conſequendam animum abſolute erigere. Ad Conf. Diſt. Ant. Si in tali caſu dari poſſit deſiderium abſolute efficax beatitudinis, & quidem cum ſerio conatu ad illam aſſequendam, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. Qui ex revelatione divina, vel aliunde certo cognoſcit, quod divino auxilio non ſit cooperaturus, adeoque damnandus, non videtur poſſe habere deſiderium abſolute efficax beatitudinis, cum ſerio conatu illam aſſequendi, ſaltem ſi cognitio hæc ponatur antecedens, inimpedibilis, & aliquo modo directiva voluntatis. Videri poteſt Suarius diſput. 2, Sect. 2, Viva diſput. 5, q. 2, Ripalda, Ulloa &c.

QUÆSTIO II.

Quid sit charitas theologica, & quodnam ejus objectum?

Charitas theologica actualis est actus supernaturalis voluntatis, quo Deus diligitur super omnia propter seipsum, proximus autem propter Deum. Itaque ad actum charitatis requiritur 1 dilectio, seu amor, vi cujus Deo velimus bonum, tam intrinsecum, id est, perfectiones Deo internas, quas ipsi ex animo gratulamur; quam extrinsecum, nempe illius cultum, honorem, & gloriam, de quibus illi exhibitis gaudemus, vel ea exhiberi desideramus. 2. Amor Dei super omnia, in quantum Deus præfertur omnibus rebus etiam ipsi amanti ita, ut Deum æstimet super omnia, & pro nulla re aliquid Deo displicens velit facere. 3. Amor Dei propter se; possumus enim alteri velle bonum, quatenus id bonum est nobis, vel ipsi amato, prius pertinet ad spem, & amorem concupiscentiæ, posterius ad charitatem, & amorem benevolentiæ, cui si etiam accedat redamatio amati, & mutua bonorum communicatio amor amicitiæ vocatur. Addunt aliqui 4, quod actus charitatis ab omni alio motivo creato, & propria amantis utilitate præscindere debeat; sed hoc specialiter examinandum erit. 703

Objectum materiale charitatis theologicæ primarium est ipse Deus, secundarium vero proximus, quatenus Deus vult, ut propter se etiam illi velimus bona tum naturalia, tum supernaturalia, maxime æternam beatitudinem, quæ tamen ipsa ultimato ad Deum referri debet, ut adeo Deus semper sit objectum materiale charitatis cui primarium, & ultimatum, 704

proximus vero: objectum materiale cui secundarium, & non ultimum. Porro nomine proximi hic intelliguntur omnes creaturæ rationales, quæ æternæ beatitudinis sunt capaces, & in cælo, terra, vel purgatorio existunt, etiam peccatores, hæretici, & infideles, non tamen damnati, quia Deus ipsos non amplius amat, & efficaciter decrevit, nullum amplius bonum illis conferre: ergo neque propter Deum possumus ipsis velle aliquod bonum ut ipsis bonum: licet forte aliquo modo possimus illos amare in hoc sensu, quod velimus, ut conserventur ad gloriam Dei, ejusque justitiam demonstrandam, quemadmodum notat D. Thomas. 2 2, q. 25 art.4 in corp.

705 Objectum formale charitatis theologicæ est bonitas Dei absoluta, seu quia Deus in se bonus est; nam charitas est amor benevolentiæ, quo Deo volumus bonum propter se, & proximo propter Deum: ergo motivum formale charitatis est bonitas Dei absoluta, qua Deus de se, & in se summe amabilis est. Bonitas hæc absoluta hic non tantum accipitur pro aliquo attributo speciali ab aliis attributis formaliter distincto, neque tantum pro cumulo omnium perfectionum divinarum sed pro quacunque perfectione divina formaliter infinita, sive seorsim, & præcisive sumpta, sive in cumulo aliarum perfectionum: ratio est, quia Deus propter quamlibet perfectionem formaliter infinitam est amabilis amore amicitiæ propter se, & super omnia, quæ non sunt Deus, & si propter aliquam ita amatur, nihil sive ex objecto materiali, sive formali deest, quo minus hic amor sit actus theologicus. Ex quo infert P. Simonet, Deum etiam ut auctorem bonorum naturalium esse objectum formale charitatis supernaturalis, & justificantis, mo-

modo hic actus per lumen supernaturale fidei dirigatur, & habitus supernaturalis in illum influat.

Quæres. An inter Deum & hominem ju- 706
stum detur vera amicitia. Resp. affirmative. Quippe dari veram amicitiam inter Deum, & hominem, justum passim clamat Scriptura, Psalm. 138 v. 17: *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*; Joan. 15 v. 14: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Idem declarat Tridentinum sess. 6 cap. 7, ubi docet hominem *In justificatione ex injusto fieri justum, ex inimico amicum Dei*; Consentiunt SS. Patres, ex quibus S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10 in Joan. ait: *Nihil majus, quam Dei amicum esse, & nominari*; S. Augustinus tract. 85 in Joan. *Magna dignatio, ut Dominus, quos novit servos suos, dignetur dicere amicos.* Quæ testimonia non tantum debent accipi in sensu improprio, & a communissima theologorum de amicitia vere tali intelliguntur, cum inter Deum, & hominem neque desit sufficiens æqualitas, nec mutua benevolentia, aut bonorum communicatio, nec animorum conjunctio, & stabilitas, quæ sunt præcipuæ dotes ad veram amicitiam requisitæ.

Nam 1 ad amicitiam non requiritur 707
omnimoda paritas, & æqualitas amantium, sed sufficit æqualitas proportionis; hanc justus acquirit per gratiam sanctificantem, quæ est participatio naturæ divinæ, & adoptio in Filium Dei, & hæredem. 2. Sicut homo ex charitate vult Deo bonum, quia ipsi bonum est, eundem laudat, honorat, & per pias preces, ac cogitationes cum ipso conversatur, sic Deus homini justo vult bonum, quia homini bonum est, communicat ipsi dona tum

naturalia, tum supernaturalia, & per internas illustrationes & inspirationes cum ipso agit: ergo datur tanta benevolentia, & communicatio bonorum, quanta prudenter exigi potest. 3. Qui diligit Deum, etiam a Deo diligitur, & quasi unus cum Deo Spiritus est, ut indicat Apostolus 1 ad Cor. 7: ergo inter Deum, & hominem justum datur animorum conjunctio, & quidem de se stabilis, ac æterna, nisi homo sponte per peccatum grave illam dissolvat. Neque hominem justum latet, se a Deo redamari, saltem sub conditione, si ipse Deum amet, plus autem gratis requiritur.

708 Dices 1. Inter servum, & Dominum non potest dari amicitia, neque amici debent esse multi. 2. Deus hominem tantum amat propter suam gloriam, nec in illo invenit rationem, cur illum amet amore benevolo. 3. Deus non potest esse obligatus ad officia benevolentiæ homini præstanda, nec homo in Deum beneficium conferre. Resp. ad 1 Dist. Ant. nisi Dominus ex speciali favore ad amicitiam cum servo se demittat, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. Multitudo tunc solum impedit, aut imminuit amorem amicitiæ, quando impedit communicationem bonorum, de quo apud Deum infinite locupletem non est periculum. Ad 2. Quamvis Deus bona hominum præstita ultimato referat ad suam gloriam, tamen etiam homines respicit tanquam finem cui utilitatis, & amando hominem hoc ipso amore dignum reddit sua amicitia; hinc Neg. Ant. quoad 1 membrum, quoad alterum Neg. suppositum, quod jam antecedenter ad amorem Dei homo debeat esse dignus amicitia divina, licet hoc requiratur inter creaturas, quæ per suum amorem non pos-

possunt reddere aliam amore dignam. Ad 3. Deus homini quidem non obligatur ante liberam suam promissionem jure stricto, nihil tamen obest, quo minus illi in amicum assumpto possit obligari vinculo amicitiæ, a quo vicissim potest recipere laudem, & gloriam extrinsecam, quod ad amicitiam sufficit.

QUÆSTIO III.

An actus charitatis necessario excludat amorem concupiscentiæ?

STatus quæstionis non est, an actus charitatis formaliter, & in sua linea spectatus 709
pro motivo possit habere Deum, ut nobis bonum, sed utrum Deus perfecte possit amari propter se, quamvis per eundem, vel saltem alium actum in eodem instanti etiam ametur, ut nobis bonus e. g. ut finis ultimus, & beatitudo nostra. Quod Deus perfecte possit amari propter se, est communissima Theologorum, dum docent, charitatem formaliter spectatam consistere in amore benevolentiæ, & per hoc distingui a spe, eaque excellentiorem esse, quia *Charitas attingit Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid boni nobis proveniat*, ut in terminis docet S. Thomas 2. 2 q. 23 art. 6 in corpore. Quod vero Deus propter se perfecte ita amari possit, ut per eundem, vel saltem alium actum in eodem instanti etiam ametur, ut nobis bonus, ait D. Amort in Idea divini amoris, esse contra vulgatam aliorum persuasionem, sed immerito, cum Theologi communissime tradant, amorem Dei perfectum posse stare cum desiderio propriæ beatitudinis; imo quemlibet hominem

pro articulo mortis eſſe obligatum ad eliciendum utrumque actum, nempe amoris Dei perfecti, & ſpei, ſeu deſiderii æternæ beatitudinis.

710 Dicendum. Actus charitatis non neceſſario excludit amorem concupiſcentiæ. Prob, 1 exemplis Sanctorum, qui licet Deum perfectiſſime amaverint, tamen etiam illius poſſeſſionem ut ſibi bonam ſimul ardentiſſime deſiderarunt. Sic David Pſalm 41 v. 3 exclamat: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam ante faciem Dei*; quæ verba S. Chryſoſtomus, Baſilius, & Auguſtinus de actu perfecti amoris exponunt. Apoſtolus ad Philippenſes 1 ſimul deſiderat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto tanquam ſibi melius, & ſimul permanere in carne tanquam neceſſarium aliis, atque inter hæc duo ſe dicit coarctari amator perfectiſſimus. S. Ignatius Martyr utut ſumma charitate flagrans, invitat beſtias, & omnia tormenta, quibus citius ad Deum perducatur. Sponſa charitate languens Cantic. 3 v. 2 ſollicite quærit dilectum ſuum: *Circuibo civitatem - - quœram, quem diligit anima mea.* Conf. Sancti in patria ſine intermiſſione perfecte amant Deum, & tamen ſæpe gaudent de ſua beatitudine ut ſibi bona: ergo etiam homo in via perfecte amans Deum poteſt ſimul deſiderare æternam beatitudinem.

711 Probatur concluſio 2. Ex una qarte tam amor concupiſcentiæ, quam benevolentiæ erga Deum ſunt actus poſitive boni, & honeſti: ex altera parte licet habeant motiva, & reſpectus diverſos, iſti tamen invicem ſibi non ſunt oppoſiti: ergo poſſunt ſimul conjungi in eadem voluntate ſicut e. g. actus juſtitiæ, & liberalitatis. Imo quemadmodum ſumma boni-

bonitas abſoluta & reſpectiva in Deo identificantur, ita in eodem indiviſibili actu realiter poſſunt identificari formalitas propria actus concupiſcentiæ, & formalitas propria actus amicitiæ. Conf. Poſſumus juxta omnes per charitatem theologicam proximo velle æternam beatitudinem ut illi bonam : ergo eandem poſſumus velle ut nobis bonam, certe etiam amor concupiſcentiæ confert ad finem amicitiæ : ergo non minus ab amore amicitiæ poteſt imperari, quam actus aliarum virtutum, quo caſu ſimul in eadem voluntate erunt actus imperans amicitiæ, & imperatus concupiſcentiæ.

Objectiones.

OBj. 1. Juxta Scripturam, & SS. Patres 712
Deus per charitatem debet amari gratis, absque intuitu mercedis: *Charitas* enim, ut ait Apoſtolus 1 ad Cor. 13 v. 5, *non quærit, quæ ſua ſunt* : ergo actus charitatis neceſſario excludit amorem concupiſcentiæ. Conf. Charitas theologica eſt amor Dei perfectus : ergo non poteſt ſimul eſſe amor concupiſcentiæ, qui juxta S. Saleſium lib. 2 de amore cap. 17 eſt imperfectus, ferme ſicut imperfectus eſſet amor viri, qui uxorem ſuam amaret propter pecunias. Reſp. Diſt. Ant. Deus debet amari gratis absque intuitu mercedis a Deo diſtinctæ, Tranſ. Ant. mercedis cum Deo identificatæ, Subdiſt. debet amari gratis per charitatem qua talem, & formaliter acceptam, Conc. Ant. per charitatem, quæ eſt talis, & realiter acceptam, Neg. Ant. & Diſt. Conſ. ergo actus charitatis excludit amorem concupiſcentiæ a linea, & ratione ſpecifica ſui habitus, vel actus for-

maliter ſpectati, Conc. Conſ. ab identitate reali ſui actus, vel a conſortio in eadem voluntate, Neg. Conſ. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. S. Saleſius ſolum docet, quod amor concupiſcentiæ ſit imperfectus, ſi ſpectetur ſe ſolo absque eo, quod Deus etiam ametur propter ſe; amor vero uxoris propter pecunias inſuper reſpicit bonum aliquod diſtinctum a fruitione perſonæ amatæ.

713 Dices. Actus charitatis, quos elicuerunt viri ſancti, conſiſtebant in puro amore benevolentiæ absque amore concupiſcentiæ, ut quæſt. ſequente videbimus: ergo amor concupiſcentiæ a charitate excluditur; nam ut S. Thomas lib. 2 de finibus inquit: *Amicitiæ locus eſſe non poteſt, ut quis amicus ſit cuipiam, quem non ipſum amet propter ipſum;* id eſt, ſine intuitu mercedis, aut propriæ utilitatis. Conf. Quando fideles eliciunt actum charitatis, ſolent proteſtari, quod Deum non ament ex metu pœnæ, aut ſpe præmii, ſed tantum propter ſeipſum: ergo. Reſp. Diſt. Ant. Sancti elicuerunt tales actus aliquando, Conc. Ant. ſemper, Neg. Ant. Exempla Sanctorum ſolum probant, quod actus charitatis non debeat neceſſario involvere amorem concupiſcentiæ: S. Thomas autem loquitur de amore amicitiæ qua tali. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Imprimis ejusmodi proteſtationes ad actum charitatis non ſunt neceſſariæ, & ſæpe non conſultæ. Dein fideles per has formulas plerumque non intendunt motivum ſpei poſitive excludere, ſed tantum indicant, quod ſi etiam a metu inferni, aut ſpe præmii non moverentur, nihilominus vellent amare Deum ſuper omnia propter ſeipſum.

Obj.

Obj. 2. Ex una parte Deus est amabilis supra omnia abstrahendo ab omni nostra utilitate: ex altera parte talis actus est possibilis, & perfectior: ergo charitas perfecta non potest intendere nostram utilitatem. Conf. Per charitatem Deus amatur propter se, & non propter aliud: ergo non amatur propter utilitatem propriam. Resp. Conc. Ant. quoad 1mum membrum, Transf. quoad 2dum, Dist. Conf. ergo charitas perfecta non potest intendere nostram utilitatem tanquam suum motivum proprium, & in sua linea, Conc. Conf. non potest illam intendere per amorem concupiscentiae, Neg. Conf. Qui simul elicit amorem concupiscentiae, & benevolentiae, per illam quidem intendit, ac desiderat utilitatem propriam, & hanc ipsam per charitatem ultimato, ac principaliter refert ad gloriam Dei, & paratus esset Deum supra omnia amare etiam praescindendo a propria utilitate. Unde talis actus realiter spectatus non est imperfectior, quam solus amor benevolentiae, quamquam utique non semper teneamur elicere actus charitatis, aut aliarum virtutum perfectissimos. Ad Conf. Dist. Ant. non amatur propter aliud per actum charitatis formaliter spectatum, Conc. Ant. per illum realiter spectatum & cum amore concupiscentiae identificatum, Neg. Ant. & sub eadem distinct. Conf. 714

Dices. Per charitatem debemus diligere Deum supra nos ipsos; atqui hoc non fit, si intendimus propriam nostram utilitatem: ergo. Conf. Deus nos amat puro amore benevolentiae: ergo etiam a nobis ita amari debet, & per se turpe est ita amare amicum, ut non amaretur sublata utilitate ex eo proveniente. Resp. Conc. Maj. Dist. min. hoc non fieret, nisi propria utilitas ulterius ordinaretur ad i- 715

ψsum Deum tanquam finem cui principalem, & ultimatum, Conc. min. secus, Neg. min. & Conf. Sicut aliæ virtutes, ita vel maxime amor spei, & ipsa possessio beatifica Dei cedit ad gloriam, & beneplacitum divinum, adeoque potest propter Deum tanquam finem cui intendi, & quidem ideo, quia Deus in se meretur supra omnia amari. Ad Conf. Transf. Ant. quia Deus etiam bonum hominis ordinat ad suam gloriam, Neg. Conf. Deus nostris bonis non indiget, nec inde fit felicior; at nos summopere indigemus Deo, & ipse Deus vult, ut illum possidendum desideremus. Interim per amorem concupiscentiæ neutiquam sumus ita constituti, ut sublata nostra utilitate Deum non amaremus, sed ab hoc præscindimus, ut omnes debent admittere in casu, quo homo solum elicit spem theologicam sine charitate.

716 Obj. 3. Amor concupiscentiæ, & benevolentiæ habent respectus, & motiva sibi opposita: ergo non possunt simul stare. Ant. Prob. 1. Amor benevolentiæ sistit in Deo, & diligit eum gratis, amor concupiscentiæ sistit in propria beatitudine, & diligit Deum ob mercedem. 2. Amor benevolentiæ pro fine cui ultimo habet Deum, amor concupiscentiæ ipsum amantem. 3. Per amorem benevolentiæ bonum Dei magis amatur, quam bonum proprium, per amorem concupiscentiæ magis amatur bonum proprium, quam bonum Dei. Resp. Dist. Ant. habent motiva sibi opposita formaliter, & præcisive, Transf. Ant. realiter, & exclusive, Neg. Ant. Nam 1 nihil obstat, quo minus aliquis per eundem, vel diversos actus possit desiderare beatitudinem tanquam mercedem, & sibi bonam, ita tamen, ut simul illam ulterius ordinet ad gloriam Dei. 2. Amor concupiscentiæ amantem

tem tantum habet pro fine cui negative ultimo, in quantum formaliter spectatus proprium bonum non ordinat ulterius ad Deum, quod tamen facit charitas formaliter spectata. 3. Quamvis per actum solius concupiscentiæ unice ametur bonum proprium, & a bono Dei præscindatur, non tamen bonum proprium amatur magis, quam bonum Dei. Imo si amor concupiscentiæ simul est amor charitatis a parte rei magis amatur bonum Dei. Ex quo vides, quod contradictoria, quæ in ejusmodi actibus involvi videntur, sint tantum apparentia, & semper cadant supra diversas formalitates, ferme sicut in logica explicari solet de contritione perfecta, quæ simul est amor Dei, & odium peccati, actus prosecutivus, & aversivus &c.

Dices, Omnis actus virtutis specificatur a suo motivo formali : ergo idem actus non potest habere diversa motiva concupiscentiæ, & benevolentiæ, alias homo per talem actum potius uteretur Deo, quam frueretur, sicut utimur homine quamdiu est nobis utilis. Conf. Si tales actus elicerentur ex motivo formali, & imperio charitatis, non essent actus spei, aut concupiscentiæ formaliter, sed tantum materialiter tales : ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. præsertim si ejusmodi motiva sibi invicem subordinentur, prout motivum concupiscentiæ subordinatur motivo benevolentiæ, & quia totus actus in motivo benevolentiæ ultimato quiescit, homo per illum non tantum utitur, sed etiam fruitur Deo. Ad Conf. Dist. Ant. Si eliciuntur ex solo motivo charitatis, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. dupliciter potest quis ex charitate sibi imperare actus aliarum virtutum e. g. spei, timoris &c. 1. Ut aliquis præcise timeat infernum, & speret beatitudinem, quia ita placet Deo propter se summe 717

me amabili. 2. Ut timeat infernum, quia sibi malum, & amet beatitudinem, quia sibi bonam, licet dein hæc ulterius ad Deum ordinet e. g. sic tendendo: Domine timeo infernum, quem mihi minaris, spero beatitudinem, quam mihi promittis, sed longe magis illum timeo, & hanc spero, quia te toto corde diligo propter teipsum, in quo actu timor, & spes non tantum materialiter, sed formaliter includuntur.

QUÆSTIO IV.

An actus charitatis necessario includat amorem concupiscentiæ?

718 CUm actus charitatis non tantum sit amor benevolentiæ, sed amicitiæ, ut patet ex quæst. 2. D. Amort cum Bossueto paucisque Gallis inde deducit, quemlibet actum charitatis necessario includere amorem concupiscentiæ; hinc amorem benevolentiæ dividit in simplicem, ac interessatum, & in purum, seu desinteressatum. Simplicem vocat, quo volumus alteri bonum abstrahendo a motivo explicito, an sit nobis bonum. Purum, ac desinteressatum dicit, quo sic volumus alteri bonum, ut nequidem tacite, & implicite per hoc appetamus nostrum bonum, sed potius illud positive excludamus. Hunc ulterius dividit in affective, & effective talem: affective talis juxta ipsum est, si homo ex abundantia affectus credat se moveri solis motivis benevolentiæ abdicato omni bono proprio: effective talis est, si a parte rei neque tacite, & implicite interveniat appetitus propriæ felicitatis, seu motivum commodi proprii. Hunc ultimum dicit absolute esse impossibilem, quamquam

quam postea doctrinam suam restringat ad solum actum amoris positive exclusivum desiderii beatitudinis, ut videri potest folio 198 tomo 4 Theologiæ eclecticæ addito.

Porro amorem amicitiæ describit, quod sit actus mixtus ex benevolentia, & concupiscentia, quo volumus simul amico, & simul nobis bonum; in quo ab antiquissima, & communissima amicitiæ acceptione recedit; nam S. Thomas 1 2 q. 65 art. 5 ita illam exponit: *Charitas non solum significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quamdam ad ipsum, quæ quidem super amorem addit mutuam redamationem cum quadam communicatione mutua, ut dicitur Ethicor.* cap. 2 S. Augustinus in epist. ad Marianum ex Cicerone amicitiam definit, quod *sit rerum humanarum, & divinarum cum benevolentia & charitate consensio*; nempe non interessata, ut S. Pater declarat Homil. 38 dicens: *Videat charitas vestra primum amor amicitiæ, qualiter debeat esse gratuitus, non enim propterea debes habere amicum, vel amare, ut aliquid tibi præstet.* His ducibus cæteri quoque theologi per amicitiam non intellexerunt amorem mixtum ex concupiscentia, & benevolentia, sed amorem mutuum cum mutua bonorum communicatione. 719

Dicendum. Actus charitatis non necessario includit, vel adjunctum habet amorem concupiscentiæ. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, & Patrum, qui passim docent Deum posse, & debere diligi gratis, & quando amorem filialem, summamque hominis perfectionem explicant, nullam faciunt mentionem de bonitate Dei respectiva, aut mercedis desiderio. Imo S. Chrysostomus Homil. 9 in cap. 2 epist. ad Rom. ait: *Omnia propter Christum agenda,* 720

non propter mercedem; S. Gregorius Nazianz. Homil. 3: *Sublimius assurgere, qui summo bono conjungi propter ipsum summum bonum exoptant, non autem propter honores in altero ævo reconditos*; S. Bernardus lib. de diligendo Deo: *Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit*; S Franciscus Salesius lib. de divino amore: *Solam illam charitatem esse perfectam, quæ ab omni interesse, & commodo proprio depurata est*. Conf. Exemplis Sanctorum Moyses Exodi 23 ex amore puræ benevolentiæ erga Deum voluit deleri de libro vitæ pro suis Hebræis. Paulus ad Rom. 9 voluit anathema fieri pro Christo a Fratribus. Similes actus elicuerunt S. Ignatius Lojola, Franciscus Xaverius, Jacobonus &c. Benedictus quoque XIV de Servorum Dei beatificat. refert, ac laudat actum cujusdam Servi Dei, quo voluit sine ullo præmio vitæ æternæ Deo servire.

721 Probatur 2. Ex una parte possumus cognitione supernaturali cognoscere, Deum tanquam nostrum amicum esse propter se dignissimum, ut supra omnia alia ametur: ex altera parte hæc cognitio est essentialiter practica, & excitans ad talem amorem: ergo hic amor potest dari, quin ad illum moveatur voluntas ulla felicitate amantis, de qua intellectus hic, & nunc nequidem cogitat; atqui hic amor est amor amicitiæ, cui ex parte Dei respondet amor mutuus: ergo. Conf. Quia ab ipsa experientia habemus, quod quandoque non tantum Deum, sed etiam homines virtute, aliisque dotibus insignes diligamus, quin a Deo per hunc actum velimus aliquod bonum nostrum, aut tale ab illis hominibus exspectare possimus; quod enim semper saltem implicite nos etiam moveat nostra felicitas, virtutis sua-

ſuavitas, aut amoris æquitas, quatenus eſt pars noſtræ felicitatis, eſt contra communem Auctorum, & prorſus gratis aſſeritur. Sane amor erga Deum poteſt eſſe talis, ut amans vellet conformare ſuam voluntatem voluntati divinæ in omni re, etſi Deo placeret mundum, & omnia annihilare; in hoc autem actu nullum datur motivum concupiſcentiæ.

Objectiones.

OBj. 1. Quando S. Scriptura præcipit actum 722
charitatis, declarat illum per ſimilitudines, & motiva, quæ non ſolum ad benevolentiam, & beneplacitum divinum, ſed etiam ad concupiſcentiam, & noſtram utilitatem pertinent. Sic Geneſ. 15 v. 1 Deus dixit Abrahamo: *Ego ero merces tua magna nimis*; Exod. 33 v 19 Moyſi: *Oſtendam tibi omne bonum:* ergo actus charitatis neceſſario includit concupiſcentiam. Conf. Ipſi Apoſtoli amorem benevolentiæ ordinarunt ad concupiſcentiam fruitionis Dei, quando Joan. 14 v. 8 dixerunt: *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis:* ergo. Reſp. Neg. Ant. Scriptura per hos textus ſolum indicat, quod Deus etiam amari poſſit, ac quandoque debeat amore concupiſcentiæ, per quem homo ordinarie ſenſim ad charitatem diſponitur, ex quo neutiquam ſequitur, propriam utilitatem eſſe motivum actui charitatis intrinſecum, & eſſentiale, præſertim cum Scriptura nonnunquam etiam proponat bona temporalia, quæ juxta ipſos Adverſarios intrinſece non poſſunt ad charitatem movere. Melius itaque eſſentia charitatis declaratur, quando Matth. 22 v. 37 præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.;* quæ verba clare indicant, Deum eſſe diligendum ſu-

ſuper omnia, & propter ſe, de amore tamen intereſſato, & deſintereſſato abſtrahunt, & per utrumque præcepto ſatisfit. Ad Conf. Neg. Ant. Apoſtoli non ita inordinate amarunt Deum, ut illius amorem ultimato referrent ad ſeipſos, ſed per verba citata ſolum voluerunt indicare, quod de Patre nondum habeant ſufficientem cognitionem, ſed illum amplius cognoſcere, ac videre vellent.

723 Dices 1. SS. Patres paſſim docent, quod amans deſideret videre Deum, illique conjungi; quod appetat amanti copulari, & ſeipſum tacite ad Deum ducat; quod illuc feratur appetitu deſiderii, quo, cum pervenimus, requieſcimus: ergo docent, quod charitas debeat includere amorem concupiſcentiæ. Conf. Modo nihil aliud quæratur, quam Deus poſſidendus, jam amatur gratis, ut tum alibi ſæpius, tum ſermone 35 ex ineditis indicat S. Auguſtinus dicens: *Hoc eſt Deum gratis amare, de Deo Deum ſperare, de Deo propiore impleri, de ipſo ſatiari.* Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ex omnibus Patribus, quos Adverſarii in ſuam partem trahere conantur, nullus aperte aſſerit, quod charitas debeat motivum concupiſcentiæ includere neceſſario; non enim dicunt, quod amans debeat deſiderare conjunctionem cum Deo ut ſibi bonam, & quin illam ulterius poſſit referre ad Deum amatum propter ſe, cum viciſſim Patres a nobis citati omne motivum concupiſcentiæ a charitate qua tali clare excludant. Ad Conf. Neg. Ant. Qui Deum amat ut ſibi bonum, non Deum, ſed ſemetipſum habet pro fine cui; hinc quamvis per amorem ſpei Deus aliquo modo gratis, id eſt ſine mercede temporali ametur, non tamen ita amatur gratis, ut ametur propter ſe, &

& prout juxta communem ad charitatem requiritur. Hinc ipſe S. Auguſtinus loco objecto ait: *Quod non propter ſe amatur, non amatur*, nempe amore benevolentiæ.

Dices 2. Sancti, qui certe Deum perfecte amarunt, non habuerunt amorem deſintereſſatum, ut ipſimet diximus de Davide, Paulo &c.: ergo. Conſ. Quando Moyſes pro Hebræis voluit deleri de libro vitæ, & Paulus anathema fieri pro fratribus, tantum voluerunt ſubire mortem temporalem, ut explicant varii interpretes, & SS. Patres: ergo illorum exempla nihil probant. Imo Apoſtolus ad Rom. 8 v. 35 expreſſe proteſtatur: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti.* Reſp. Diſt. Ant. non habuerunt amorem deſintereſſatum aliquando, Neg. Ant. ſemper, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Ex eo, quod Sancti non fuerunt in ſtatu habituali excludente omne motivum concupiſcentiæ, & ſæpe etiam actus intereſſatos elicuerint, minime ſequitur, quod non etiam quandoque habuerint actus puriſſimæ benevolentiæ. Ad Conſ. Neg. Ant. Licet aliqui amorem Moyſis, & Pauli ita explicent, nemo tamen illorum docet aliquid in favorem Adverſariorum, neque S. Paulus proteſtatur contra ſeparationem a Chriſto, ſed a charitate. Imo Patres expreſſe etiam dicunt, quod Moyſes, & Paulus ex amore Dei voluiſſent privari æterna beatitudine, ſi opus fuiſſet, ut oſtendit Cornelius a Lapide, ſufficiant nobis verba S. Chryſoſtomi in cap. 9 ad Rom.: *Quid ais Paule? nonne jam dixiſti, quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? imo ait, quia amo Chriſtum, cupio ſeparari a fruitione Chriſti, ut plures imo omnes eum ament, & laudent.* 724

Obj. 2. Charitas eſt amor amicitiæ: ergo neceſſario involvit concupiſcentiam mutuæ communicationis bonorum. Conſ. Prob. Amicitia dicit amorem mutuum, & juxta S. Thomam 725

2 2 q. 23 art. 1: *Fundatur supra communicationem bonorum*, præsertim æternæ beatitudinis: ergo. Conf. Ibidem art. 2 ad 4 docet, quod *Objectum charitatis sit bonum divinum, in quantum est objectum beatitudinis.* Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Ad Prob. Dist. Ant. amicitia adæquata dicit amorem mutuum, Conc. Ant. inadæquata, Neg. Ant. Amicitia juxta S. Thomam non fundatur super communicationem bonorum tanquam motivo, & fine, sed tanquam effectu, in quantum Deus ex amore benevolo vult nobis communicare sua bona, ut loco objecto explicat his verbis: *Cum sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari.* Ad Conf. Dist. Ant. docet, quod bonum divinum, ut est objectum beatitudinis, sit objectum charitatis materiale, & terminativum, Conc. Ant. objectum formale, & motivum, Neg. Ant. S. Doctor ut locum objectum bene legenti patebit, ibi solum vult, quod Deus non tantum sit objectum charitatis secundum unum attributum speciale, sed secundum omnem rationem suæ perfectionis, sicut est objectum beatitudinis.

776 Dices 1. S. Thomas quæst. cit. expresse ait: quod *Amor benevolentiæ non sufficiat ad amicitiam*, & discrimen inter spem, & charitatem ponit in eo, *Quod charitas tendat in Deum, ut jam unitum; spes vero, ut primum uniendum pro futuro*: ergo. Conf. In 3 distinct. 27 q. 2 art. 1 ait: *Amor includit concupiscentiam amati, quo desideratur ejus præsentia*, item: *Quælibet amicitia concupiscentiam, seu desiderium includit, & aliquid supra eam addit.* Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Solus amor benevolentiæ non sufficit ad amicitiam, quia ut ait S. Doctor, requiritur, quædam mutua amatio, inter spem vero, & charitatem 2 2 q. 17 art. 8 in corp.

corp. expreſſe etiam ponit hoc diſcrimen : *Quod amor pertinens ad charitatem inhæreat Deo ſecundum ſeipſum, qui autem pertinet ad ſpem, aliquid ſibi obtinere intendat.* Ad Conf. Uterque locus non ſatis fideliter citatur, nam ad primum mox additur : *Secundum quod homo ad amatum afficitur*, alter ita habet : *Amor concupiſcentiam includit, ſecundum quam aliquis amato bona deſiderat, amicitia vero addit ſocietatem amantis, & amati in amore ;* unde patet, S. Thomam concupiſcentiam hic accipere latius pro deſiderio boni non concupiti nobis, ſed amato, intuitu illius, non intereſſe proprii.

Dices 2. Manifeſtum eſt mutuam benevo- 727
lentiam duorum, quorum unus eſt in Italia, alter in Germania, non eſſe amicitiam, ſi nullam habeant ſocietatem mutuam : ergo amicitia non conſiſtit in pura benevolentia mutua. Conf. Deus homines neceſſario amat amore concupiſcentiæ referendo omnia ad ſuam gloriam juxta illud Proverb. 16 v. 4 : *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* : ergo etiam noſtra amicitia erga Deum debet eſſe mixta concupiſcentia. Reſp. Neg. Ant. Amicitia non præſupponit unionem, & communicationem, ſed illam per ipſum amorem mutuum facit, ut docet S. Thomas 2 2 q. 24 art. 4 ; hinc quamvis unus exiſtat in Italia, alter in Germania, nemo negabit illos eſſe amicos, modo inter illos detur qualecunque mutuum benevolentiæ ſtudium, e. g. per litteras. Ad Conf. Tranſ. Ant. quia Deus ab hominibus proprie non poteſt appetere aliquam utilitatem, Neg. Conſ. Cum Deus ſit infinite magis dignus amore, quam omnes creaturæ, mirum non eſt, quod omnia ultimato referat ad ſeipſum tanquam finem cui excellentiæ ; hæc ratio non pugnat in amore hominis erga Deum. Imo etiam quando ex charitate theologica amamus proximum, illum ſolum re-

respicimus tanquam finem cui utilitatis, non vero tanquam finem cui ultimum.

728 Obj. 3. Voluntas humana habet naturalem inclinationem ad appetendam propriam beatitudinem, & ad agendum omnia ex appetitu hujus beatitudinis: ergo Deus non potest ita amari ab homine, ut non saltem tacite adjunctus sit aliquis amor concupiscentiæ; consequenter non datur amor puræ benevolentiæ effective efficax; alias simul in eadem voluntate essent duo actus contrarii, quorum unus efficaciter vellet, alter efficaciter nollet idem objectum. Conf. Inclinatio sequitur naturam; atqui hæc semper tendit in seipsam, & proprium interesse: ergo. Resp. Dist. Ant. Voluntas habet talem inclinationem, quæ tamen non semper est necessario efficax, & movet actu, Conc. Ant. quæ semper necessario, actu, & efficaciter movet, Subdist. nisi aliunde impediatur, Transf. Ant. secus, Neg. Ant. & Conf. Quamvis homo, & quodvis aliud agens, nisi aliunde impediatur, aut determinetur, ex naturali inclinatione tendat ad sui conservationem, & perfectionem, hæc tamen inclinatio non est ita necessaria, ut voluntas per actus libere elicitos illam nequeat reddere inefficacem, & virtutem illius motricem hic & nunc negligere; si enim non obstante illa inclinatione generali homo se potest libere determinare ad vitam profundendam pro salute patriæ, parentum &c. non apparet, quare se determinare nequeat, ut Deo soli propter infinitam ejus bonitatem absolutam placere velit. Hinc ad Conf. Dist. Maj. inclinatio sequitur naturam nisi aliunde ad aliud determinetur, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. & sic Dist. min. Conf.

729 Dices 1. Si posset dari amor efficax puræ benevolentiæ, deberet aliquis saltem conditionate esse indifferens ad abjiciendam vitam beatam, si *Deo ita placeret*; atqui hoc est nimis diffici-

ficile : ergo. Conf. Amor amicitiæ essentialiter tendit ad unionem cum amato : ergo ex tali amore non potest negligi vita æterna. Resp. Transf. Maj. Neg. min. Non dicimus, quod actus charitatis tam perfectus sit præceptus, & benevolentia pura etiam dari potest, modo abstrahatur ab eo, quid amans esset facturus, si ipsam vitam æternam perdere deberet. Unde talis actus effective efficax solum pertinet ad melius Dei beneplacitum, & consilium divinum, quod neutiquam superat vires humanas per Dei gratiam adjutas, nec adeo est difficile, ut non ab aliquibus Sanctis fuerit observatum. Ad Conf. Dist. Ant. tendit essentialiter ad unionem cum amato, quæ habetur per ipsum amorem, Conc. Ant. quæ habetur per possessionem beatificam, Neg. Ant. Cum enim Deus sit infinite magis dignus amore, quam homo, non est, cur homo ejus beneplacitum, & gloriam qualicunque suo bono nequeat anteponere.

Dices 2. Si amor benevolentiæ effective efficax tantum esset consilii, homo tuta conscientia posset oppositum facere dicendo : Si Deus me vellet privare gloria æterna, nollem ei servire : hoc falsum : ergo. Conf. Hæc propositio : *Est sententia Doctorum, quod omnis amor perfectæ charitatis sit amor purus, seu non interessatus,* ante aliquot annos a sacra congregatione fuit prohibita : ergo. Resp. Neg. Maj. Licet virginitas, paupertas, & charitas Dei intensa sit de consilio, ideo non licet fornicari, furari, Deum odisse. Ad Conf. Hæc propositio solum fuit rejecta ob particulam *Omnis*, quæ indicare videbatur, quod omnis actus charitatis essentialiter amorem concupiscentiæ debeat excludere. Cæterum licet voluntas semper etiam deberet intendere proprium interesse, salva staret nostra conclusio, quod videlicet ipse actus charitatis theologicæ non debeat necessario involvere, aut conjunctum habe- 730

re amorem concupiſcentiæ, tum quia voluntas ex inclinatione naturali non ſemper debet tendere in beatitudinem veram, ſed tantum in beatitudinem in communi: tum quia hic actus tantum eſſet naturalis, neceſſarius, & indeliberatus, adeoque cum actu ſupernaturali, & libero charitatis non poſſet identificari, neque ab illo ſpecialiter exigeretur, ſed deberet comitari quoslibet actus aliarum virtutum e. g. fidei, Religionis &c., quæ certe pro motivo partiali non habent propriam beatitudinem qua talem.

QUÆSTIO V.

De vera, & falſa quiete in Deo.

731 QUietiſtæ olim appellati fuerunt Monachi quidam Orientales, a Græcis dicti Heſycaſtæ, quia in ſilentio, & tranquillitate ab aliis ſeparati vivebant, ut contemplationi liberius vacarent, ſed nimio affectatæ contemplationis ſtudio in varios errores inciderunt: horum præcipuus erat, quod crederent, oculis ſuper ventrem tanquam præcipuam animæ ſedem inclinatis, ſe videre lucem prorſus divinam, nempe illam, quæ in monte Tabor apparuit, quam volebant eſſe increatam, attamen ab eſſentia divina diſtinctam. Auctor iſtorum errorum fuiſſe creditur Simon Junior Abbas Xerothercis. Eosdem detexit Barlaam, qui ſæculo VI imperante Andronico Juniore contra Quietiſtas ſcripſit, eosque novo nomine Omphalopſichas, id eſt, Umbilicanos vocavit. Poſtea in pluribus conciliis Conſtantinopoli habitis damnati fuerunt.

732 Quietiſmum ſæculo proxime elapſo rurſus in Italia, Gallia, & Hiſpania excitavit, ac turpiſſimis erroribus auxit Michael de Molinos presbyter

byter Hiſpanus, verſutiſſimus hypocrita. Anno 1665 Romam profectus evulgavit librum, cui titulus Guida ſpirituale, in hoc docebat, quod homo poſſit, ac debeat in Dei voluntatem ita quiete ſe reſignare, ut anima potentias ſuas omnino annihilet, omnem ſpem, timorem, ac ſalutis propriæ curam deponat, ab omni virtutis actu abſtineat, nec ad proprias ſuas actiones ullo modo ſe reflectat, ſed ad omnes tentationes, cogitationes, & motus naturæ ſe prorſus indifferenter, ac permiſſive habeat, certo ſibi perſuadens, quantumvis in corpore turpiſſima patiatur, partem ſuperiorem maculari non poſſe, ſi quis ſemel Deo proprium arbitrium plene ſubjecerit. Doctrina hæc ut cuivis patet, omnibus ſceleribus apertiſſimam pandebat viam, & ſupremam moribus perniciem attuliſſet, niſi ſuccurriſſet Innocentius XI, qui anno 1687 Guida ſpirituale proſcripſit, & 68 propoſitiones inde excerptas damnavit, quas ipſe Molinos ejuravit, & poſt decennalem in carcere pœnitentiam inter ſincera reſipiſcentiæ ſigna mortuus eſt.

Ad eundem Quietiſmi ſcopulum, longe tamen mitius impegit Franciſcus Fenelonius Archiepiſcopus Cameracenſis, vir cæteroquin pietate, & doctrina clarus. Elucubraverat librum, cui titulus: *Placita Sanctorum explicita*. In eo contendit, quod detur ſtatus quidam habitualis puri amoris Dei ſine ulla mixtione motivi proprii intereſſe, in quo neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationis amplius habeat locum, ſed anima ſe prorſus ad omne beneplacitum divinum indifferenter habeat, ut inferius patebit ex ipſis propoſitionibus Fenelonii, quarum 23 anno 1699 damnavit Innocentius XII, ſubdens, hac expreſſa propoſitionum damnatione ſe non intendere alia in dicto libro contenta approbare. Fenelonius intellecta hac damnatione non ſolum 738

Eccle-

Ecclesiæ judicio humiliter se submisit; sed ipsemet raro prorsus exemplo illam approbavit edito publice edicto, in quo debitam summo Pontifici submissionem palam professus, alios ad imitandum suum exemplum hortatur, ac obtestatur, ne quisquam librum suum posthac legeret, aut de novo imprimi curaret.

734 Enim vero quod operari bonum, & vitare malum intuitu proprii interesse, desiderare beatitudinem tanquam nostrum summum bonum, æternam vero damnationem timere, quatenus est summum nostrum malum, nec charitati, nec statui perfectorum repugnet, satis patet ex Scriptura. Nam licet David, Moyses, & Paulus Apostolus in charitate Dei fuerint perfecti, tamen primus Psalm. 118 v. 112 ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* De altero S. Paulus ad Hebr. 11 v. 25 scribit: *Quod magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, aspexerit in remunerationem*; de se ipso autem 2 ad Timoth. 4 v. 8 dixit: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Quod si perfecti possint desiderare beatitudinem ut sibi bonam, hoc ipso etiam possunt vitare infernum ut sibi malum, cum directe beatitudini opponatur. Adde, quod ejusmodi actus nonnunquam sint præcepti, & utiles, aut necessarii ad vincendas tentationes, & animum erigendum contra difficultates, quæ etiam perfectis occurrere solent; imo ipsa charitas potest hos actus imperare, ut jam adverti num. 711.

735 Cæterum ex damnatis propositionibus Fenelonii maxime huc pertinent 1: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla mixtione proprii interesse, neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent*

bent amplius in eo partem, non amatur amplius Deus propter meritum, nec propter felicitatem in eo amando inveniendam. 2. *In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris & spei.* 5. *In eodem statu sanctæ indifferentiæ, nihil nobis, omnia Deo volumus, non volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.* 18. *In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando, quod sint virtutes, in quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit.* 19 *Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & desinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.*

In his propositionibus contendit D. Amort, 736
indirecte etiam fuisse damnatam doctrinam, quam quæst. præcedente tradidi. Sed contra est 1, propositiones damnatæ expresse loquuntur de statu habituali amoris desinteressati, & quidem ita permanente, ac stabili, ut omne motivum spei, & timoris amittatur: ego solum defendo actum puræ benevolentiæ quandoque posse elici, quin tamen actus charitatis necessario desinteressatus esse debeat. 2 Doctrina Fenelonii post proscriptionem pontificiam damnatur ab omnibus Catholicis, & ab ipso auctore suo reprobata fuit: doctrina mea etiam post sententiam pontificiam a Theologis communissime docetur, & a fidelibus in praxi observatur. 3 Benedictus XIV de Servor. Dei beatific. cap. 31 attestatur, quod Innocentius XII solum damnaverit habitualem statum, non ve-

vero actum amoris puri a metu, & ſpe, imo ibidem poſitive probat, talem actum non ſolum eſſe poſſibilem, ſed & vel maxime honeſtum, & laudabilem. 4. Propoſitiones Fenelonii eodem modo loquuntur de actu puro a timore, & damnantur ut perniciosæ in praxi; atqui juxta ipſos Adverſarios actus purus a timore non eſt proſcriptus, & quod impoſſibile eſt, ridicule tanquam pernicioſum in praxi proſcribitur.

737 Dices 1. Actus frequentati generant habitum: ergo ſi poſſibilis eſt actus amoris deſintereſſati, ſequitur etiam poſſibilem eſſe ſtatum habitualem ejusdem amoris. Conf. Charitas eſt major ſpe: ergo eſt major amore concupiſcentiæ, quæ in omni ſpe includitur: ergo habitus charitatis eſt habitus amoris ſine concupiſcentia. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. poſſibilis eſt ſtatus habitualis amoris deſintereſſati excludens habitus, aut alios actus proprium intereſſe reſpicientes, Neg. Conſ. in alio ſenſu, Tranſ. Conſ. Juxta nos actus charitatis non debet neceſſario eſſe deſintereſſatus, neque habitus infuſus determinate ad tales actus inclinat. Imo habitus deſintereſſatus ita dominans, ut a voluntate excludat omnes alios actus, aut habitus intereſſatos in hac providentia nequidem eſt poſſibilis, tum quia actus ſpei, aliarumque virtutum ſæpe ex præcepto debent elici, tum quia in hac vita nullus datur ſtatus liber a tentationibus, ad quas vincendas quandoque neceſſaria eſt ſpes bonorum futurorum, & timor pœnarum æternarum. Ad Conf. Conc. Ant. & primam conſequentiam de charitate & ſpe formali, Diſt. ult. Conſ. ergo habitus charitatis, eſt habitus amoris ſine concupiſcentia, ita ut illam neceſſario excludat, Neg. Conſ. ut illam non neceſſario includat, Conc. Conſ. Actus ſcientiæ eſt melior, quam actus opinio-

opinionis, cum qua semper conjuncta est formido radicalis, nec tamen ideo habitus scientiæ excludit opinionem.


Dices 2. Juxta nos homo posset omnes a- 738
ctus reliquarum virtutum elicere ex imperio, & motivo charitatis: ergo jam potest dari talis status habitualis, qualem docuit Fenelonius, qui a statu perfecti amoris nunquam voluit excludere spem beatitudinis, & timorem inferni, sed propositione 11 expresse ait: *Quod in hoc statu anima nunquam amittat spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.* Conf. Actus puræ benevolentiæ est tantum honestus, & laudabilis per accidens pro casu invincibilis ignorantiæ, quo interesse proprium non satis apprehenditur, & si sit solum affective efficax: ergo. Resp. Dist. Ant. homo posset tales actus elicere ex motivo charitatis, quin illos etiam eliciat ex motivo proprio, Neg. Ant. ita ut simul illos eliciat ex motivo proprio, Conc. Ant. & Neg. Cons. Quando actus aliarum virtutum præcipiuntur, non tantum debent esse actus materiales, sed formales, id est, ex motivo proprio illarum virtutum eliciti. At juxta Fenelonium omnia agerentur ex solo motivo charitatis, neque spes, neque timor formaliter talis amplius haberet locum, sed omnes actus revera tantum essent actus charitatis. Hinc ait: *Spem esse desiderium desinteressatum.* Ad Conf. Neg. Ant. Tum quia actus puræ benevolentiæ non primum fit bonus ex mixtione appetitus propriæ felicitatis, sed ex proprio suo motivo honestus est: tum quia actus de se bonus non ideo fit malus, quia est efficax.

Verum tempus est, ut quiescamus ab an- 739
nuo hoc labore. Quies hæc summe nobis proficua erit, si doctrinam in isto tractatu traditam

ita mente impreſſam teneamus, ut inde ad eliciendos frequentes actus theologicos fidei, ſpei, & charitatis excitemur. Sic enim conabimur ad illam veram quietem pervenire, quam ani- [illegible] ſanctæ quandoque experiuntur, ubi ad cord[illegible]ima ſe retrahunt, & quaſi nihil aliud vident, aut ſentiunt, quam Deum, ita tamen, ut actus aliarum virtutum minime negligant, quamvis charitas cæteris potentiis, & affectibus dominetur, unde inter eas nonnunquam delicias Deo ſuo ſanctiſſime fruuntur, quas optare quilibet poteſt, præſumere nemo debet. Interim quo magis nos liberales erga Deum exhibebimus, & non ſolum omnia bona terrena, ſed etiam cæleſtia ex affectu puræ benevolentiæ ultimato ad ipſius gloriam referre ſtudebimus, eo liberaliorem etiam Deum erga nos experiemur; nec ideo æterna mercede privabimur.







MONSCHEIN
THEOLOGIA
DOGMATICO

TRACT. III. IV.